www.e-rara.ch

Omnes quae extant D. Hieronymi Stridonensis lucubrationes

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Basileae, [1536-1538]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: FM1 II 1-6

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-62470

[Epistolae]

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

A D. ERASMI ROTERODAMI SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORIS
IN SEQVENTEM EPISTOLAM ARGVMENTVM

Ethnicorum ſapientum,& eccleſiaſticorum exemplis prouocat ad ſtudium literarum, præcipue ſacrarum, & in his quantum ſit difficultatis oſtendit. Deinde ceu mundum quendam diuinæ ſcripturæ exponit oculis ac ueluti per tranſennam oſtendit, quo magis inflãmet ad huius ſtudium, ſingulos eius libros,autores & argumenta elogijs quibuſdam breuiter commendans.

HIERONYMVS PAVLINO

1  Rater Ambroſius tua mihi munuſcula perferens, detulit & ſuauiſſimas literas: quæ à principio amicitiarum, fidem iam probatæ fidei & ueteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa neceſſitudo eſt, & Chriſti glutino copulata:quam non utilitas rei familiaris,non præſentia tantum corporum, non ſubdola & palpans adulatio: ſed dei timor & diuinarum ſcripturarum ſtudia conciliant. Legimus in ueteribus hiſtorijs,quoſdam luſtraſſe prouincias,nouos adiſſe populos,maria tranſiſſe:ut eos quos ex libris nouerant, coràm quoq; uiderent.Sic Pythagoras Memphiticos uates,ſic Plato Aegyptum & Architam Tarentinum,
2 eamq; oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laborioſiſſime peragrauit: ut qui Athenis magiſter erat & potens,cuiusq; doctrinam Academiæ gymnaſia perſonabant, fieret peregrinus atq; diſcipulus,malens aliena uerecunde diſcere, q̃ ſua impudenter ingerere.Deniq; cum literas quaſi toto fugientes orbe perſequitur, captus à piratis atq; uenũdatus, etiam tyrãno crudeliſſimo paruit,captiuus,uinctus,& ſeruus. Tamen quia philoſophus,maior emente ſe fuit. Ad Titum Liuium lacteo eloquentiæ fonte manantem, de ultimis Hiſpaniæ,Galliarumq; finibus quoſdã ueniſſe nobiles legimus: & quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat,unius hominis fama perduxit.Habuit illa ætas inauditum omnibus ſeculis celebrandumq; miraculum, ut tantam urbem ingreſſi, aliud extra urbem quærerent.
3 Apollonius,ſiue ille magus ut uulgus loquitur, ſiue philoſophus ut Pythagorici tradũt, in-
B trauit Perſas,pertrãſiuit Caucaſum,Albanos,Scythas,Maſſagetas,opulentiſſima Indiæ regna penetrauit:& ad extremũ latiſſimo Phyſon amne tranſmiſſo, peruenit ad Brachmanas: ut Hiarcham in throno ſedentem aureo, & de Tantali fonte potantem,inter paucos diſcipulos,de natura,de motibus ſyderum ac dierum curſu audiret docentem:inde per Elamitas,Babylonios,Chaldæos,Medos,Aſſyrios,Parthos,Syros,Phœnices,Arabes,Palæſtinos,reuerſus Alexãdriam, perrexit Aethiopiam: ut gymnoſophiſtas & famoſiſſimam ſolis menſam uideret in ſabulo.Inuenit ille uir ubiq; quod diſceret: & ſemper proficiens, ſemper ſe melior fieret. Scripſit ſuper hoc pleniſſime octo uoluminibus Philoſtratus. Quid loquar de ſeculi hominibus? cum apoſtolus Paulus uas electionis & magiſter gentium, qui de cõſcientia tanti in ſe hoſpitis loquebatur: An experimentũ quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? poſt Damaſcum Arabiamq; luſtratam,aſcenderit Hieroſolymam, ut uideret Petrum, & manſerit apud eum diebus quindecim.Hoc enim myſterio hebdomadis & ogdoadis,futurus gentium prædicator inſtruendus erat.Rurſumq; poſt annos quatuordecim,aſſumpto Barnaba & Tito expoſuerit apoſtolis euangelium, ne forte inuacuum curreret aut cucurriſſet. Habet
4 enim neſcio quid latentis ἐνθουσιάσους uiua uox: & in aures diſcipuli de autoris ore transfuſa fortius ſonat. Vnde & Aeſchines, cũ Rhodi exularet: & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat, mirantibus cunctis atq; laudantibus,ſuſpirans ait: Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam,ſua uerba reſonantem? Hæc non dico, quod ſit in me aliquid tale, quod uel poſſis,uel uelis diſcere:ſed quod ardor tuus ac diſcendi ſtudium,etiam abſq; nobis per ſe probari debeat.Ingenium docile & ſine doctore laudabile eſt.Non quid inuenias,ſed quid quæras conſideramus. Mollis cera & ad formandum facilis, etiam ſi artificis & plaſtæ ceſſent manus, tamen uirtute totum eſt, quicquid eſſe poteſt. Paulus apoſtolus ad pedes Gamalielis legem domini & prophetas didiciſſe ſe gloriatur, ut armatus ſpiritualibus telis, poſtea diceret confidenter: Arma militiæ noſtræ,non carnalia ſunt: ſed potentia deo, ad de-

ſtructionem munitionum,conſilia deſtruentes:& omnem altitudinem extollentem ſe aduer
ſus ſcientiam dei,& captiuantem omnem intellectum,ad obediendum Chriſto: & ſubiuga
re parati cunctam inobedientiam.Ad Timotheum ſcribit ab infantia ſacris literis eruditum:
& hortatur ad ſtudium lectionis, ne negligat gratiam quæ data ſit ei per impoſitionem ma
nus presbyteri. Tito præcipit, ut inter cæteras uirtutes epiſcopi, quem breui ſermone de
pinxit: ſcientiam quoq; eligat ſcripturarum.Obtinentem,inquit,eum qui ſecundum doctri
nam eſt fidelem ſermonem:ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & contradicentes reuin
cere.Sancta quippe ruſticitas ſolum ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex uitæ merito eccle
ſiam Chriſti, tantum nocet ſi deſtruentibus non reſiſtat. Malachias propheta:imò per Ma
lachiam dominus interrogauit ſacerdotes legem . Intantum ſacerdotis officium eſt, interro
gatum reſpondere de lege.Et in Deuteronomio legimus. Interroga patrem tuum,& annun 5
ciabit tibi:ſeniores tuos, & dicent tibi. In pſalmo quoq; centeſimo decimo octauo.Cantabi
les mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. Et in deſcriptione iuſti uiri,
cum eum Dauid arbori uitæ, quæ eſt in paradiſo, compararet: inter cæteras uirtutes & hoc
intulit:In lege domini uoluntas eius:& in lege eius meditabitur die ac nocte.Daniel in fine ſa
cratiſſimæ uiſionis,iuſtos ait fulgere ſicut ſtellas:& intelligentes, hoc eſt doctos,quaſi firma
mentum. Vides quantum inter ſe diſtent, iuſta ruſticitas, & docta iuſticia? Alij ſtellis, alij
cœlo comparantur: quanquam iuxta Hebraicam ueritatem, utrunq; de eruditis poſſit intel
ligi: Ita enim apud eos legimus: Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firma
menti:& qui ad iuſticiam erudiunt multos,quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.Cur dicitur
Paulus apoſtolus uas electionis? Nempe quia legis & ſanctarum ſcripturarum armarium
eſt.Phariſæi ſtupent ad doctrinam domini: & mirantur in Petro & Ioãne quomodo legem
ſciant, cum literas non didicerint.Quicquid enim alijs exercitatio & quotidiana in lege medi
tatio tribuere ſolet,illis ſpiritus ſanctus ſuggerebat.Et erant iuxta quod ſcriptum eſt θεοδίδακ
τοι. Duodecim annos ſaluator impleuerat, & in templo ſenes de quæſtionibus legis inter D
rogans,magis docet,dum prudenter interrogat. Niſi forte ruſticum Petrum, ruſticum dici
mus Ioannem: quorum uterq; dicere poterat: Et ſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia.
Ioannes ruſticus,piſcator,indoctus? Et unde uox illa obſecro: In principio erat uerbũ,& uer
bum erat apud deum,& deus erat uerbum? λόγος enim græce multa ſignificat.Nã & uer
bum eſt,& ratio,& ſupputatio,& cauſa uniuſcuiuſq; rei,per quã ſunt ſingula quæ ſubſiſtunt.
Quæ uniuerſa recte intelligimus in Chriſto.Hoc doctus Plato neſciuit: hoc Demoſthenes
eloquens ignorauit.Perdam, inquit, ſapientiam ſapientium,& prudentiam prudentium re
probabo. Vera ſapientia perdet falſam ſapientiam: & quanquam ſtulticia prædicationis in
cruce ſit,tamen Paulus ſapientiam loquitur inter perfectos.Sapientiam autem nõ ſeculi hu
ius,nec principum iſtius ſeculi,quæ deſtruitur:ſed loquitur dei ſapientiã in myſterio abſcon
ditam,quam prædeſtinauit ante ſecula.Dei ſapientia Chriſtus eſt.Chriſtus enim dei uirtus,
& dei ſapientia.Hæc ſapientia in myſterio abſcondita eſt:de qua & noni pſalmi titulus præ
notatur, pro occultis filij: in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: & qui
in myſterio abſconditus erat,prædeſtinatus eſt ante ſecula.Prædeſtinatus autem, & præfi
guratus,in lege & prophetis. Vnde & prophetæ appellabantur uidentes: quia uidebant eũ,
quem cæteri non uidebant.Abraham uidit diem eius,& lætatus eſt.Aperiebantur cœli Eze
chieli: qui populo peccatori clauſi erant.Reuela, inquit Dauid, oculos meos:& conſiderabo
mirabilia de lege tua.Lex enim ſpiritualis eſt:& reuelatione opus eſt, ut intelligatur,ac reue
lata facie dei gloriam contemplemur. Liber in Apocalypſi ſeptem ſigillis ſignatus oſten
ditur:quem ſi dederis homini ſcienti literas,ut legat,reſpondebit tibi: Non poſſum,ſignatus
eſt enim.Quãti hodie putant ſe noſſe literas, & tenent ſignatũ librum:nec aperire poſſunt,
niſi ille reſeraverit,qui habet clauem Dauid:qui aperit & nemo claudit: claudit & nemo ape
rit? In actibus apoſtolorũ ſanctus Eunuchus: imò uir (ſic enim eum ſcriptura cognominat)
cum legeret Eſaiam, interrogatus à Philippo: Putás ne intelligis quæ legis? reſpondit, quo

modo

A modo possum nisi aliquis me docuerit? Ego (ut de me loquar interim) nec sanctior sum hoc Eunucho, nec studiosior: qui de Aethiopia, id est, de extremis mundi finibus uenit ad templum, reliquit aulam regiam, & tantus amator legis diuinæq; scientiæ fuit, ut etiam in uehiculo sacras literas legeret: & tamen cum librum teneret, & uerba domini cogitatione concipe ret, lingua uolueret, labijs personaret, ignorabat eum quem in libro nesciens uenerabatur. Venit Philippus, ostendit ei Iesum, qui clausus latebat in litera. O mira doctoris uirtus. Eadem hora credit eunuchus, baptizatur: & fidelis & sanctus factus est, ac de discipulo magister: plus in deserto fonte ecclesiæ, quàm in aurato synagogæ templo reperit. Hæc à me breuiter perstricta sunt (neq; enim epistolaris angustia, euagari longius patiebatur) ut intellige res te in scripturis sanctis, sine præuio & monstrante, semitam non posse ingredi. Taceo de grammaticis, rhetoricis, philosophis, geometris, dialecticis, musicis, astronomis, astrologis, medicis: quorum scientia mortalibus uel utilissima est, & in tres partes scinditur, τὸ δόγμα τῶν μέθοδον, τῶν ἐμπειρίαν. Ad minores artes ueniam, & quæ non tam lingua quàm manu administrantur. Agricolæ, cementarij, fabri metallorum, lignorúm ue cæsores, lanarij quoq; & fullones, & cæteri qui uariam supellectilem & uilia opuscula fabricantur, absq; doctore non possunt esse quod cupiunt. Quod medicorum est, promittunt medici: tractant fabrilia fabri. Sola scripturarũ ars est, quam sibi omnes passim uindicãt. Scribimus indocti doctiq; poemata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista uerbosus, hanc uniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alij adducto supercilio, grandia uerba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis philosophantur. Alij discũt (proh pudor) à fœminis, quod uiros doceant: & ne parum hoc sit, quadam facilitate uerborũ, imò audacia edisserunt alijs, quod ipsi non intelligunt. Taceo de mei similibus, qui si forte ad scripturas sanctas, post seculares literas uenerint, & sermone cõposito aurem populi mulserint: quicquid dixerint, hoc legem dei putant: nec scire dignãtur, quid prophetæ, quid apostoli senserint. Sed
B ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non uitiosissimũ docendi
6 genus, deprauare sententias, & ad uoluntatem suam, scripturã trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, & Vergiliocentonas: ac non sic etiã Maronem sine Chri-
8 sto possimus dicere Christianum, quia scripserit: Iam redit & uirgo, redeũt Saturnia regna. Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Et patrem loquentem ad filium: Nate, meæ uires, mea magna potentia solus. Et post uerba saluatoris in cruce. Talia perstabat memorans, fixusq; manebat. Puerilia sunt hæc, & circulatorum ludo similia, docere quod ignores, imò ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nescias. Videlicet manifestissima est Genesis, in qua de natura mundi, de exordio generis humani, de diuisione terræ, de cõfusione linguarum & gentium, usq; ad exitum scribitur Hebræorum. Patet exodus, cum decem plagis, cum decalogo, cum mysticis diuinisq; præceptis. In promptu est Leuiticus liber, in quo singula sacrificia, imò singulæ penè syllabæ: & uestes Aaron, & totus ordo Leuiticus, spirãt cœlestia sacramenta. Numeri uero, nónne totius arithmeticæ, & prophetiæ Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionũ mysteria cõtinent? Deuteronomium quoq; secunda lex, & euangelicæ legis præfiguratio: nónne sic ea habet quę priora sunt, ut tamen noua sint
7 omnia de ueteribus? Hucusq; Moyses, hucusq; pentateuchus: quibus quinq; uerbis, loqui se uelle Apostolus in ecclesia gloriatur. Iob exemplar patientiæ, quæ non mysteria suo sermone complectitur? Prosa incipit, uersu labitur, pedestri sermone finitur: omnesq; leges dialecticæ, propositione, assumptione, confirmatione, conclusione determinat. Singula in eo uerba, plena sunt sensibus. Et (ut de cæteris sileam) resurrectionem corporum sic prophetat: ut nullus de ea uel manifestius, uel cautius scripserit. Scio, inquit, quod redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea uidebo deum. Quem uisurus sum ego ipse, & oculi mei cõspecturi sunt, & nõ alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Veniam ad Iesum Naue, qui typus domini non solũ gestis, sed etiam nomine, transijt Iordanem, hostium regna subuertit, diuisit terram uictori populo,

& per ſingulas urbes,uiculos,montes,flumina,torrẽtes,atq; cõfinia,eccleſiæ cœleſtisq; Hie- c
ruſalem ſpiritualia regna deſcribit. In Iudicum libro quot principes populi, tot figuræ ſunt. Ruth Moabitis,Eſaiæ explet uaticinium,dicentis:Emitte agnum domine dominatorem terræ,de petra deſerti,ad montem filiæ Sion.Samuel in Heli mortuo,& in occiſo Saul,ueterem legem abolitam monſtrat,Porrò in Sadoch atq; Dauid,noui ſacerdotij, nouiq; imperij ſacramenta teſtatur. Malachim,id eſt Regum tertius & quartus liber à Solomone uſq; ad Ieconiam: & ab Hieroboam filio Nabath,uſq; ad Oſee, qui ductus eſt in Aſſyrios, regnum Iuda & regnum deſcribit Iſrael. Si hiſtoriã reſpicias,uerba ſimplicia ſunt.Si in literis ſenſum latentem inſpexeris,eccleſiæ paucitas,& hæreticorum contra eccleſiam bella narrantur.Duo decim prophetæ in unius uoluminis anguſtias coartati, multo aliud cẽ ſonant in litera,præfigurant.Oſee crebro nominat Ephraim,Samariam,Ioſeph,Iezrael,& uxorem fornicariam & fornicationis filios, & adulteram cubiculo clauſam mariti, multo tempore ſedere uiduam: & ſub ueſte lugubri,uiri ad ſe reditum præſtolari. Iohel filius Phatuel, deſcribit terram duo decim tribuum, eruca, brucho, locuſta,rubigine uaſtante corruptam: & poſt euerſionẽ prioris populi,effuſum ſpiritum ſanctum ſuper ſeruos dei,& ancillas, id eſt ſuper centum uiginti credentium nomina, qui effundendus erat in cœnaculo Sion: qui centum uiginti, ab uno uſq; ad quindecim paulatim & per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt:qui in pſalterio myſtice continentur. Amos paſtor & ruſticus & ruborum mora deſtringens,paucis uerbis explicari non poteſt.Quis enim digne exprimat tria aut quatuor ſcelera Damaſci,Gazæ,& Tyri,& Idumeæ,& filiorũ Ammon,& Moab, & in ſeptimo octa uoq; gradu Iudææ & Iſrael? Hic loquitur ad uaccas pingues, quæ ſunt in monte Samariæ, & ruituram domum maiorem minoremq; teſtatur.Ipſe cernit fictorem locuſtæ: & ſtantem dominum ſuper murum litum uel adamantinum, & uncinum pomorum, attrahentem ſupplicia peccatoribus, & famem in terram: non famem panis,nec ſitim aquæ,ſed audiendi uerbum dei. Abdias qui interpretatur ſeruus dei:pertonat contra Edom ſanguineum, terre- d
numq; hominem.Fratris quoq; Iacob ſemper æmulum,haſta percutit ſpirituali. Ionas columba pulcherrima,naufragio ſuo paſſionem domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam reuocat:& ſub nomine Niniue, ſalutem gentibus nunciat. Micheas de Moraſti cohæ- 8
res Chriſti,uaſtationem annunciat filiæ latronis,& obſidionem ponit contra eam:quia maxillam percuſſerit iudicis Iſrael Nahum conſolator orbis,increpat ciuitatem ſanguinum,& poſt euerſionem illius loquitur:Ecce ſuper montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem. Habacuk luctator fortis & rigidus,ſtat ſuper cuſtodiam ſuam, & figit gradum ſuper munitionem:ut Chriſtum in cruce contempletur,& dicat:Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena eſt terra. Splendor eius, ut lux erit, cornua in manibus eius,ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Sophonias ſpeculator & arcanorũ domini cognitor,audit clamorem à porta piſcium,& eiulatũ à ſecunda,& contritionẽ à collibus. Indicit quoq; ululatũ habitatoribus pilæ:quia conticuit omnis populus Chanaan:diſperierunt uniuerſi, qui inuoluti erant argento. Aggeus feſtiuus & lætus:qui ſeminauit in lachrymis,ut in gaudio meteret, deſtructum templum ædificat,dominumq; patrem inducit loquentem:Adhuc unum modicum, & ego commouebo cœlum & terram & mare & aridam, & mouebo omnes gentes: & ueniet deſideratus cunctis gentibus. Zacharias memor domini ſui,multiplex in prophetia,Ieſum ueſtibus ſordidis indutum,& lapidem oculorũ ſeptem, candelabrumq; aureum cum totidem lucernis, quot oculis, duas quoq; oliuas à ſiniſtris lampadis cernit & dextris: ut poſt equos uarios,& rufos,& albos,& diſſipatas quadrigas ex Ephraim,& equũ de Hieruſalem, pauperem regem uaticinetur & prædicet,ſedentem ſuper pullum filium aſinæ ſubiugalis. Malachias aperte,& in fine omniũ prophetarum, de abiectione Iſrael & uocatione gentiũ: Non eſt mihi,ait,uoluntas in uobis,dicit dominus exercituũ,& munus non ſuſcipiam de manu ueſtra. Ab ortu enim ſolis uſq; ad occaſum,magnum eſt nomen meũ in gentibus: & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.Eſaiam,Hieremiam,Ezechielem,&

Danielem

A Danielem quis possit uel intelligere,uel exponere? Quorum primus non prophetiam mihi uidetur texere,sed euangelium.Secundus uirgam nuceam,& ollam succensam à facie Aquilonis,& pardum spoliatum suis coloribus:& quadruplex diuersis metris nectit alphabetum. Tertius principia & finem tantis habet obscuritatibus inuoluta: ut apud Hebræos istæ partes cum exordio geneseos ante annos triginta non legantur. Quartus uero qui & extremus inter quatuor prophetas,temporum conscius,& totius mundi philostoros, lapidem præcisum de monte sine manibus, & regna omnia subuertentem, claro sermone pronunciat. Dauid Simonides noster, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoq;,Catullus & Serenus,Christum
9 lyra personat,& in decachordo psalterio ab inferis suscitat resurgentem. Solomon pacificus & amabilis domini,mores corrigit,naturam docet,ecclesiam iungit & Christum, sanctarumq; nuptiarum dulce canit epithalamium. Hester in ecclesiæ typo populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes conuiuij & diem celebrem mittit in posteros. Paralipomenon liber,id est,instrumenti ueteris ἐπιτομή, tantus ac talis est:ut absq; illo si quis scientiam scripturarum sibi uoluerit arrogare,seipsum irrideat.Per singula quippe nomina iuncturasq; uerborum, & prætermissæ in Regum libris tanguntur historiæ,& innumerabiles explicantur euangelij quæstiones. Esdras & Neemias,adiutor uidelicet & consolator à domino, in unum uolumen coartantur: instaurant templũ, muros extruunt ciuitatis:omnisq; illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio sacerdotum,leuitarum,Israelis,proselytorum,ac per singulas familias murorũ ac turrium opera diuisa: aliud in cortice præferunt,aliud retinent in medulla. Cernis me scripturarũ amore raptum excessisse modum epistolę:& tamen non implesse quod uolui. Audiuimus tantum quid nosse, quid cupere debeamus,ut & nos quoq; possimus dicere:Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.Cæterũ Socraticum illud impletur in nobis: Hoc tantum scio quod nescio. Tangam & nouum breuiter testamentum. Mattheus,Marcus, Lu-
B cas & Ioannes,quadriga domini,& uerum Cherubim, quod interpretatur scientiæ multitudo,per totum corpus oculati sunt,scintillæ emicant,discurrunt fulgura, pedes habent rectos & in sublime tendentes,terga pennata & ubiq; uolitantia. Tenent se mutuo, sibiq; perplexi sunt,& quasi rota in rota uoluuntur,& pergunt quocunq; eos flatus sancti spiritus perduxerit. Paulus apostolus ad septem ecclesias scribit, octaua enim ad Hebræos à plerisq; extra numerum ponitur: Timotheũ instruit ac Titum, Philemonem pro fugitiuo famulo deprecatur.Super quo tacere melius puto,q; pauca scribere. Actus apostolorũ nudam quidem sonare uidentur historiã, & nascentis ecclesiæ infantiam texere:sed si nouerimus scriptorem eorum Lucam esse medicum,cuius laus est in euangelio:animaduertemus pariter omnia uerba illius,animæ languentis esse medicinã. Iacobus,Petrus,Ioannes,Iudas apostoli,septem epistolas ædiderũt tam mysticas,q; succinctas,& breues pariter & longas, breues in uerbis, longas in sententijs,ut rarus sit qui non in earum lectione cæcutiat. Apocalypsis Ioannis tot habet sacramenta,quot uerba.Parum dixi pro merito uoluminis.Laus omnis inferior est:in uerbis singulis multiplices latent intelligentiæ. Oro te frater charissime,inter hæc uiuere,ista meditari,nihil aliud nosse,nihil quærere,nónne tibi uidet iam hic in terris regni cœlestis habitaculum? Nolo offendaris in scripturis sanctis simplicitate, & quasi uilitate uerborũ: quæ uel uitio interpretũ,uel de industria sic prolata sunt,ut rusticã concionem facilius instruerent: & in una eademq; sententia,aliter doctus,aliter audiret indoctus.Non sum tam petulans & hebes,ut hæc me nosse pollicear, & eorum fructus capere, quorũ radices in cœlo fixæ sunt: sed uelle fateor.Sedenti me præfero:magistrũ renuens,comitẽ spondeo. Petenti datur,pulsanti aperitur, quærens inuenit.Discamus in terris, quorũ nobis scientia perseueret in cœlo. Obuijs te manibus excipiam: & ut inepte aliquid ac de Hermagoræ tumiditate effundam, quicquid quæsieris,tecum scire conabor. Habes hic amantissimũ tui fratrem Eusebium, qui literarum tuarũ mihi gratiam duplicauit, referens honestatem morũ tuorum,contemptum seculi,fidem amicitiæ,amorem Christi.Nam prudentiã & eloquij uenustatem, etiam absq;

illa

illa ipſa epiſtola præferebat. Feſtina quæſo te, & hærentis in ſalo nauiculæ funem magis c
præcide quàm ſolue. Nemo renunciaturus ſeculo bene poteſt uendere, quæ contempſit ut
uenderet. Quicquid in ſumptus de tuo tuleris, pro lucro computa. Antiquũ dictum eſt: Aua
ro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus diuitiarum eſt. In
fidelis etiam obolo indiget. Sic uiuamus tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Vi
ctus & ueſtitus, diuitiæ Chriſtianorum. Si habes in poteſtate rem tuam, uende: ſi non ha
bes, proijce. Tollenti tunicam, & pallium relinquendum eſt. Scilicet niſi tu ſemper recraſtĩ
nans, & diem de die trahens, caute & pedetentim tuas poſſeſſiunculas uendideris, non ha
bet Chriſtus unde alat pauperes ſuos. Totum deo dedit, qui ſeipſum obtulit. Apoſtoli na
uem tantum & retia reliquerunt. Vidua duo æra miſit ad gazophylaciũ, & præfertur Cræ
ſi diuitijs. Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

QVæ à principio amicitiarum fidem.) Hũc locum eſſe deprauatum, uel ex hoc liquet, quod 1
exemplaria nulla inter ſe conſentiunt. Forte ſic legendum eſt: Quæ à principio probatę iam
fidei fidem, & ueteris amicitiæ noua præferebant argumenta. Apparet Paulinum in initio
epiſtolę ſuæ locutum fuiſſe de neceſſitudine ſua quam habebat cum Hieronymo. Eam cum
uetus eſſet, nouis argumentis renouauit. Catalogus exemplorum quæ ſequũtur eò pertinet, ne quis
ſibi ſtatim uindicet ſcientiam ſacrarum ſcripturarum, ſed diu diſcat priuſquam doceat. Sic Pythago
ras Memphi.) De ſtudio Pythagoræ, meminerunt Valerius Maximus libro. viij. & Diogenes in illi
us uita. Iuuenis adhuc Aegyptum adijt: nam Aegypti ciuitas eſt Memphis, eiuſcę gentis literas ac ſer
monem perdidicit. Tum uatum Memphiticorum arcanos commentarios ſcrutans, innumerabilium
ſeculorum obſeruationem cognouit. Hinc ad Perſas profectus, magorũ diſciplinas omnes didicit. De
inde in Cretam nauigauit, ibiq; cum Epimenide deſcendit in antrum Idæum. Profectus eſt & in Lace
dæmoniam, ut eorum politiam & inſtituta cognoſceret, Poſt hęc deſcendit ad certamen Olympicum.
Deniq; Italiam adijt. Nam à Samo patria, iam tyrannide oppreſſa, diſceſſerat. Crotone docuit, & leges
Italis dedit. Plato Aegyptũ.) De Platone refert eodem in loco Valerius, & Laertius in ipſius uita.
Is cum poſt poeticam: nam hanc primum fuit amplexus, cõtuliſſet ſeſe ad philoſophiæ ſtudium, audiſ D
ſetq; poſt Socratis mortem Cratylũ & Hermogenem annos iam natus duodetriginta, Megaram pro
fectus eſt ad Euclidem mathematicum: poſt Cyrenem Aphricæ ciuitatem adijt: autore Plutarcho. Hinc
in Italiam ad Pythagoricos, Philolaum & Eurytum. Dehinc Aegyptum adijt, & ſacerdotũ arcana di
dicit. Longius autem amore philoſophiæ peregrinaturus, bellis Aſiæ coactus, Athenas redijt. Archi
tam Tarentinum.) Huius nõ meminit Laertius, ſed Valerius. Architas Pythagoricus erat, cuius epi
taphium in Odis ſcripſit Horatius. Hunc audiuit Tarenti. Locris aũt audiuit Timæum, Arionem, &
Chœtũ. Oram Italiæ.) Id eſt finem, quia mari obiacet ea pars Italiæ. Magna Græcia.) Sic Va 2
lerius. In Italiæ etiã partem, quę tunc maior Græcia dicebaſ, perrexit. Et Plinius, Quotam partem ex ea
appellando Græciã magnam. Apparet aũt illic olim Italos Græce fuiſſe locutos, ob cõmercia Græcæ
gentis: quandoquidẽ & Hercules huc peruenisſe legitur. Vt qui Athenis m. e.) Videtur imitatus
Valerium, ſic enim ille. Quoq; tempore à ſtudioſis iuuenibus certatim Athenæ Platonem doctorem
quærentibus petebantur, ipſe Nili fluminis inexplicabiles ripas, uaſtiſtimosq; campos, effuſam barba
riem, & flexuoſos foſſarũ ambitus, Aegyptiorũ ſenum diſcipulus luſtrabat. Academiæ gymnaſio.)
Villa Platonis, in qua docebat ſemotus ab urbe, dicebatur Academia. Gymnaſia, dicuntur loca, in qui
bus exercebantur paleſtritæ, aut ſimiles: poſtea philoſophorũ quoq; conuentus gymnaſia dicta: nam
γυμνάζειν Græcis eſt exercere. Captus à piratis.) Nec is, qui Platonis uitam collegit, nec Laertius
meminit huius rei. Narrant autem Platonem primum Siciliam adiſſe, ut Aetnæ ardentis uideret mira
culum: ibi euocatus à Dionyſio ad colloquium, cum liberius quiddam dixiſſet, offenſus grauiter tyran
nus, occidere parabat, uerum exoratus à Dione, tradidit Polidi legato Lacedæmoniorum, ut eum uen
deret. Is Aeginam adductum uendidit. At Aeginitæ legem tulerant, ut capitale eſſet, ſi quis Athenien
ſis Aeginam ueniret. Itaq; capitis accerſitus eſt. Abſolutus eſt autem, cum patronus diceret, legem dice
re: ſi quis homo, at hunc eſſe philoſophum. Sed amicorum pecunia redemptus, liber Athenas remiſſus
eſt. De hac re loqui Hieronymum ſatis apparet, cum addat, maior emente ſe fuit. Sed fieri poteſt, ut ille
hiſtoricũ aliquem ſecutus ſit, qui rem paulo diuerſius expoſuerit, id quod ſæpe faciunt. Ad Titũ Li
uium.) Plinius in epiſtola ad Nepotem. Numquã ne legiſti Gaditanũ quendam Titi Liuij nomine glo
riaq; commotũ, ad uiſendum eum ab ultimo terrarũ orbe ueniſſe, ſtatimq; ut uiderat, abiiſſe? Gades au
tem in Hiſpania ſunt. Apollonius.) Tyaneum intelligit, qui uixit magni nominis, ſub Claudio & 3
Nerone uſq; ad tempora Neruæ. Huius peregrinationes ac uitã omnem ſcripſit Philoſtratus ſophiſta,
nugaciſſimis deliramentis, & prodigioſis ſomnijs refertam. Vnde Hieronymus dubitat, utrũ magum
eum

A eum appellare debeat,an philosophũ. Physon amne transmisso.) Physon Hieronymus in locis Hebraicis eundem putat,quem autores Gangen appellãt,qui & ipse in India est, influens in Oceanũ Austrinum. Peruenit ad Brachmanas.) Brachmanes populi sunt Indię,de quibus incredibilia prodũt autores.Sunt uitæ temperatissimæ,nullũ illic animal quadrupes,nulla agricultura,nullũ ferrum,non domus,non ignis,non aurũ,non argentũ,non panis,non uinũ,sed aeris salubritate paucissimis arborum fœtibus & limpidissimæ aquæ potu ꝯdiutissime uiuũt,pietatis & iusticiæ obseruantissimi.Aliaq; complura mira narratu,quę persequi nõ est huius instituti. Ad hos & Alexandrum uisendi causa legimus peruenisse. Vt Iarcham in throno &.) Philostratus in uita Apollonij lib.iij.scribit,apud Brachmanas sapientes esse,quorũ princeps,ipsorũ opinor lingua,Iarchas uocetur.Hos uisit Apollonius ,à quibus ita est acceptus.Iarchas in ęreo sedebat throno,aureis exornato statuis,is Apollonium nominatim salutabat.Infra Iarcham in sellis humilioribus sedebant cæteri.Deinde post dissertionẽ philosophicam Iarchas ostendit Apollonio statuam, Tantali subscriptione notatam ,longã cubitos quatuor, similem manu phialam porrigenti.In hanc humor perennis ita distillat,ut nunquã tamen exundet.Ex ea phiala bibunt Indici philosophi,priusquam eant cubitum. Deinde thoris herbaceis incumbentes dormiunt: ex eadem propinant , si quem in amicitiam recipiunt. De Tantali fonte.) Fontem uocat phialam, quòd in ea uelut è fonte subscatẽs semper exuberet humor aquæ. Tantali uocat,quod statua quæ phialam tenet, Tantali titulũ habeat. Nam hũc putant humanissimũ fuisse. Inter paucos discip.) Nam Apollonius refert duodeuiginti fuisse. Vt gymnosophistas.) Gymnosophistæ sunt ultra Indoscythas,ita uocati,quod nudi in syluis agant,uoluptatum omnium expertes,quibus mortaliũ uita corrumpitur.De his quoq; mira dicta prodiderunt autores,quæ nihil ad hunc pertinent locum. Famosissimam solis mensam.) Locus est in Aethiopia,nempe pratum quoddam,semper multa carnium copia refertum,quas illic noctu magistratus ponunt,ut exorto sole liceat unicuiuis qui uelit accedere uescíq;, unde uulgus putat eam ciborum uim diuinitus innasci campo:proinde locum ἡλιοτράπεζαν, id est,solis mensam uocãt.Ad hanc uisendam Cambyses rex legatos suos misit. Autores Herodotus in tertio, Solinus,& Pomponius Mela. Post Damascũ Arabiamq;.) Sic enim ipse narrat in epistola ad Galatas:Sed abij in Arabiam,& iterum reuersus sum Damascum. Deinde post annos tres ueni Hierosolymam uidere Petrum,& mansi apud eum diebus quindecim.Et paulo post. Deinde post annos quatuordecim,iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba,assumpto & Tito.Ascendi autem secundum reuelationem,& contuli cum illis euangelium,quod prædico in gentibus:seorsum autem ijs,qui uide-
B bantur aliquid esse,ne forte in uacuũ currerem,aut cucurrissem. Hoc enim mysterio.) Quindecim septenarium & octonarium complectuntur.Septenarius ad Iudæos & legem Mosaicã pertinet,Octonarius ad euangeliũ.Sabbatũ enim Iudæorũ septem diebus finiebatur: huic successit euãgelij gloria, & resurrectionis quies,quã octonarius numerus significat. Vnde tres psalmi sunt eodem inscripti titulo, nempe Pro torcularibus, qui omnes ogdoadis mysteriũ habent , octauus, octogesimus, octogesimus tertius.Siquidẽ euangelij gloria coruscante,gentiũ torcularia nouo musto exuberabãt,dilatato in octauum diem,Mosaicæ legis sabbato.Huiusmodi ferme Hilarius in psalmos . Ideoq; addit Hieronymus,
4 futurus gentium prædicator. Latentis energias.) ἐνέργεια cum per ε scribitur , uim significat & efficaciam,ab ἐνεργέω. quod est ago,siue efficio in aliquo quippiam:cum per α euidentiam. Viua uox.) Sic uocant,non uocem scriptam, quæ quasi mortua est,sed ab ore docentis prolatam. Cicero in Tusc. quæst. Licèt enim satis exemplorum ad imitandum ex lectione suppeditet , tamen uiua illa, ut dicitur, uox alit plenius,præcipueq; præceptoris.Et Plinius in epistola quadam.Præterea magis,ut uulgo dicitur,uiua uox afficit. Quid si ipsum audissetis.) Id Plinius in epistola ad Nepotem narrat hisce uerbis.Nisi uero falsum putamus illud Aeschynis, qui cum legisset Rhodijs orationem Demosthenis, admirantibus cunctis,adiecisse fertur, τί δὲ εἰ αὐτὸ θηρίο ἀκηκόητε, id est,quid autem si ipsam beluam audissetis? Et sine autore.) Alij codices habent,sine doctore. Et plastæ cessan.) πλάττω Græce fingo,& πλαστὴς, qui fingit è materia,ueluti argilla,cera,gypso aut similibus. Ars dicitur πλαστικὴ, id est, plastice. Virtute totũ est.) Semigræce locutus est,illi siquidem δυνάμι dicunt,id est potentia,quod actu non sit,sed quod esse possit, ut semen exiguum, δυνάμι magna est arbor. Ad pedes Gamalielis.) De hoc legis Act.cap.v.Surgens autem quidã in concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor,honorabilis uniuersę plebi.Huius discipulus fuit Paulus,ut ipse testatur Act.cap.xxij.Ego sum uir Iudæus,natus Tharso Ciliciæ,nutritus autem in ista ciuitate,secus pedes Gamalielis eruditus iuxtà ueritatem paternæ legis. Arma militiæ nostræ.) Ad Corinthios ij.cap. x. Quanq; ęditio uulgata non nihil discrepat à uerbis Hieronymi. Malachias propheta.) Ita legimus Malach. cap.ij. Labia enim sacerdotis custodiunt scientiã, & legem requirent ex ore eius , quia angelus domini exercituũ est. Intantum sacerdotis.) Sacerdotem episcopũ dicit.Nam olim soli episcopi sacerdotes uocabant,& ijdem presbyteri.Deinde cum plures esse cœpissent,princeps omniũ,sacerdos & episcopus uocabat , cæteri presbyteri.Ex his palàm liquet,propriũ episcopi munus esse docere populũ,nõ Scoticas argutias , sed Christũ,& arcanas scripturas.Atq; is qui summi pontificis nomẽ sibi uẽdicat,deberet in eo qd' summũ est munus,esse summus.At nũc plericq; summas episcopi parteis ad uilissimos relegãt,ipsi q̃d est infimũ

sibi sumunt

ſibi ſumunt,litium cognitiones,& cenſuũ rationes.Et ne nihil omnino ſacri populo uideantur dare,mo C
ta manu benedicunt. Interroga patrem.) Patrem intelligit epiſcopũ,qui patres eſſe deberent non 5
domini.Patres ſua omnia transfundunt in filios.Domini ad ſuum cõmodum ſeruis utũtur & abutun/
tur.Seniores autem uocat presbyteros.Græce enim πρεσβύτερος ſenior dicitur. Cum eum ad bori
uitæ.) Tanq̃ lignũ,quod plantatũ eſt ſecus decurſus aquarũ &c. Meditabitur.) Id eſt exercebitur,
hoc enim ſignificat & Latine meditari,& Græce μελετᾶν. In doctrinã,rationem,& uſum.) Hoc lo
co deſunt Græca,quæ ex ueterũ codicum ueſtigijs reſtituimus ad hunc modum, τὸ δόγμα,τῷ μεθοδῳ,
τὴν ἐμπειρίαν. id eſt, decretũ, rationẽ & experientiam. Homerocentonas.) Latini ueſtem è pannis 6
uerſicoloribus conſutã uocant centonem,Græci κέντρωνα. Nam Latini detrahũt ρ in ea dictione.Vn/
de & carmen ex uarijs uerſuum fragmentis,hinc atq̃ inde conſutis,cõtextum, centonem appellamus.
Qualis eſt Auſonij centon nuptialis,ex Vergilianorũ carminũ fragmentis concinnatus: extat & Pro/
bæ centon:extat & Homerocenton argumento conſimili. Arbitror autem legendũ non Homerocen/
tonas,ſed Homerocentronas & Vergiliocentronas.Etenim cum cõpoſitio Græca ſit,oportet & Græ
cam ſeruare dictionẽ. At ea habet ρ. Quanq̃ in Suida,& Etymologico Græco, ὁμηροκέντρα legimus,
non ὁμηροκέντρωνας, ſed haud ſcio an deprauate.Eſt autẽ huic generi peculiare, autorũ uerba in ſenſum
longe diuerſum detorquere,uelut illud Vergilij de inferis,Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen,Au
ſonius detorquet ad coitum,& pudenda muliebria. Qui uolet huius carminis leges cognoſcere,legat
præfationem Auſonij in ſuum centonem. Iam redit & uirgo.) Hæc quidã trahunt ad Mariam uir
ginem ac matrem: & credidit diuus Auguſtinus,ſanctũ ſpiritũ per os inimicorũ,uera fuiſſe locutum,
cum Vergilius de Erigone ſentiat.Quanq̃ illic poeta Sibyllæ uaticiniũ recenſuit. Carmen eſt in Buco/
licis. Nate meæ uires.) Carmen eſt ex primo lib. Aeneidos.Atq̃ his uerbis Venus alloquitur Cu/
pidinem filium.Quæ quidam ſtulte trahere conabãtur ad patrem æternũ, & illius filiũ Ieſum. Talia
perſtabat me.) Verba ſunt Aeneæ apud Maronẽ ſecundo Aeneidos libro,quæ quidam accõmodant
Chriſto pendenti in cruce. Ne hoc quidem ſcire quod.) Quod,hoc loco cõiunctio eſt. Perinde eſt,
quaſi dicat,ne hoc quidem ſcire,te inſcium eſſe.Alludit ad Socratem,qui ſolitus eſt dicere, ſe unũ illud
ſcire,quod nihil ſciret. Videlicet manifeſtiſſima eſt Geneſis.) Hæc legenda ſunt non ſimpliciter,ſed
per Ironiam, cum nulla pars ſcripturæ diuinæ difficilior ſit quàm Geneſis propter myſteriorum
profunditatem: adeo ut olim Iudæi non admiſerint ad huius libri lectionem, niſi prouectiores ætate.

Patet Exodus.) Et hoc κατ' ἀντίφρασιν dictũ eſt,ut & illud,quod ſequitur,in promptu eſt. Deu/
teronomium. Expoſuit Græcam uocem. δεύτερος Græce ſecundum ſignificat, ſiue poſteriorem,& D
νόμος legem. Hucuſq̃ Moyſes.) Horum quinq̃ uoluminum Moyſen autorem exiſtimant. Pen 7
tateuchus.) πέντε quinq̃,& τεῦχος uolumen,quod quinq̃ complectatur uolumina. Quibus quin
que uerbis.) Hic Hieronymus nonnullam facit uim uerbis Paulinis.Nam is in epiſtola prima ad Co/
rinthios cap.xiiij.ſentit,ſe malle paucula uerba loqui in eccleſia,ſic ut audientes ædificentur, quàm de/
cem mi ia,quæ ſolus intelligat, & nulli proſint ad ædificationem. Quanquã hodie ſacerdotum uulgus
magni faciat ſua uerba,quæ nec ipſi qui ſonant intelligunt. Proſa incipit.) Initium & finis Iob,ora/
tione ſoluta compoſita ſunt,ipſum opus carmine conſtat. Propoſitione &c.) His partibus conſtat
ſyllogiſmus rhetoricus.Propoſitione,qua exponunt id quod cõſtituunt probare.Aſſumptione,quam
quidam rationem uocant,qua probant id quod propoſitũ eſt.Confirmatione,quę pluribus argumen/
tis confirmat rationem.Concluſione,quæ iam ueluti probatum repetit,id quod propoſitũ fuerat. Qui
dam confirmationi ſubijciunt exornationem, quæ rationem & confirmationem exemplis locupletat.
Ergo quod dialectici ſuo more colligunt aridius, hic rhetorice diſſerit. Super ſeruos dei.) Sic enim
legimus Iohel cap ij.Sed & ſuper ſeruos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum. Super
centum uiginti credentium nomina.) Tantus enim erat numerus cõgregatus poſt aſcenſionem Chri/
ſti,ut narrat Lucas Actuũ Apoſtolicorũ capite primo. Qui locus adhuc oſtẽdebatur uiuo Hieronymo
in Hieruſalem. In cœnaculo Sion.) In Hieruſalem datus eſt ſpiritus ſanctus, & in monte Sion ædi/
ficata eſt Hieruſalem,ut teſtatur in commentarijs Eſaiæ.Maluit autem dicere,cœnaculum Sion,ut allu
deret ad aſcenſum.Sion enim mons,& Latine ſonat ſpeculam.Deniq̃ in pſalmis quindecim graduum
nominatim fit mentio Sion. Qui confidunt in domino ſicut mons Sion, ut intelligas cœnaculum hoc
ſignificaſſe faſtigium illud, ad quod quindecim perfectionis gradibus aſcenderetur. Ab uno uſq̃ ad
quindecim.) Forte ſcriptum erat,ab imo uſq̃ ad ſummum.Siquidem cœnaculum appellatur ſuperior
pars ædium,quæ procul à terra ſemota eſt.Quoniam igitur in cœnaculum gradibus aſcenditur, admi/
ſcuit Hieronymus myſterium quindecim graduum,qui ſunt in pſalmis,quibus ſignificantur incremen
ta piorum ab imo ad ſumma paulatim proficiſcentium.Verum hæc diuinatio non tantum ualuit apud
nos ut ſcripturam mutaremus. Ipſe cernit fictorem. Sic enim legis Amos cap.vij. Et ecce fictor locu 8
ſtæ in principio germinũ. Micheas de Moraſthi,cohæres Chriſti.) Moraſthi uiculus eſt,iuxta Eleu
theropolin urbem Palæſtinæ, ubi natus fuit propheta Micheas,unde ſe Moraſthiten uocat, uti ſcribit
Hieronymus in præfatione Commentariorũ, quos in hunc ædidit. Porrò Moraſthi ſermone Hebrai/
co ſonat hæredem.Vnde diuus Hieronymus ſimul alluſit & ad Hebraicã uocem, & quod ſcripſit Pau
lus ad

A lus ad Romanos cap. viij. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Habacuk luctator &c.) Nam hæc omnia significat Hebraice Habacuk. Sophonias speculator.) Nam Sophonias Hebraice sonat, specula domini, uel cognitor arcanorum domini. Aggeus festiuus & lætus.) Et hic alludit ad uocem Hebraicam, quæ illis significat festiuum ac lætum. Zacharias memor domini.) Zacharias Hebręa lingua memoria domini est. Testis Hieronymus in huius enarratione. Malachias apertę.) Obscurius quidem, sed tamen hic quoq; uidetur ad Hebræam uocem alludere. Malachias sonat angelus domini, uel annuncians dominum. Id enim est angeli, pasam annunciare Christum. Et quadruplex.) Hoc ad Threnos, id est, lamentationes pertinet. Verum quoniã id paucis explicari nõ potest, qui uolet cognoscere, legat præfationem Hieronymi in Threnos Hieremiæ. Istæ partes.) Principium & finis. Cum exordio.) Quoniam & hic multa fabulis simillima uideantur, nisi in ingenium incidant præparatum. Et totius mundi philohistoricus.) Non dubium est, quin hic locus sit de prauatus. Sunt qui legendũ putẽt, polyhistor. Id enim cognominis additũ fuit Appioni grammatico, qui singularum gentiũ historiam contexuit. Autor A. Gellius lib. v. cap. xiiij. Aut certe polyhistoros, ne longius recedamus à scriptura. Polyhistor, siue polyhistoros Græce dicitur, qui multa nouit ac memorat: Præmisit enim, temporum conscius. Mihi potissimũ arridet, ut legamus philistoros, id est, cognoscendi cupidus. Sic enim audiuit à Gabriele, quia uir desideriorũ es. Danielis cap. ix. Simonides noster.) Quoniã Dauid Lyricis uersibus scripsit psalmos, & ab alijs scriptos cecinit, recenset poetas Lyricos ethnicorum, ad quorum distinctionem Dauid Simonidem nostrum uocat. Serenus.) Hic Serenus Sammonicus præceptor fuit Gordiani iunioris, cuius meminit Capitolinus in uita Gordianorum, filius Sereni, cuius mentionem facit Spartianus. Ferunt & hodie extare nonnulla illius carmina: reliqui lyrici noti sunt. Ab inferis suscitat.) Alluit ad id quod est in psalmo quinquagesimo sexto:
9 Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara, exurgam diluculo. Solomon pacificus.) Nam hoc Hebræis sonat. Et amabilis domini.) Id enim Hebræis יְדִידְיָה iedidia significat, quod nomen Solomoni à Nathan impositum est, ut habetur ij. Reg. xij. Epithalamium.) Id est carmen nuptiale. Significat autem canticum mysticum. Paralipomenon.) Græce sonat omissorum, siue prætermissorum. Επιτομὴ.) Id est compendium, siue abbreuiatio.) Adiutor uidel. & consol.) Rursum exponit Hebræa nomina. In unum uolumen.) Apud Hebræos Esdræ & Neemiæ sermones in unum uolumen coartantur, ut testatur Hieronymus in præfatione in Esdram, ubi quæ tertio & quarto referuntur, somnia uocat. Itaque duos primos libros unum faciunt Hebræi, reliquos duos non recipiunt. Scio
B quod nescio.) Ambiguis uerbis explicuit Socratis sententiam. Quod hic coniunctio est, non nomen. Sensus est: hoc tantum scio, quod sum nescius. Octaua enim ad Heb.) In alio loco dixit, epistolam ad Hebræos non recipi à Latinis, sicut nec Apocalypsim à Græcis. Nunc utrunq; complectitur eccle-
10 siæ candor. Pro fugitiuo.) Pro Onesimo. Hermagoræ timiditate,) Nonnulli codices habent timiditate. Vterq; sensus est tolerabilis. Hermagoras rhetor erat, quẽ citat aliquoties M. Tullius in opere De inuentione. Auaro tam.) Senecæ dictum est, quod unum citat Gellius tanquã bene dictum. Totus mundus.) Mundus hic significat supellectilem repositam, unde & mundum muliebrem dicimus. Totum integrum dixit. Scilicet nisi tu.) Scilicet hic ironiam habet.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS.

Præfatio in pentateuchum, qua reddit rationem, quo consilio post æditionem Septuaginta, uetus testamentum ex Hebræorum uoluminibus Latine uerterit.

HIERONYMI IN PENTATEVCHVM MOSI PRAEFATIO.

DEsiderij mei desideratas accepi epistolas, qui quodam præsagio futurorũ cum Daniele sortitus est nomen, obsecrantis ut translatum in Latinam linguam de Hebræo sermone pentateuchum, nostrorum auribus traderem. Periculosum opus certe & obtrectatorum meorum latratibus patens: qui me asserunt in Se-
1 ptuaginta interpretum sugillationem, noua pro ueteribus cudere: ita ingenium quasi uinum probantes: cum ego sæpissime testatus sim, me pro uirili portione in tabernaculo dei offerre quæ possim, nec opes alterius aliorum paupertate fœdari. Quod ut auderem, Origenis me studium prouocauit, qui æditioni antiquæ, translationem Theodotionis miscuit, asteriscо & obelo opus omne distinguens: dum aut illucescere facit, quæ minus ante fuerant: aut superflua quæq; iugulat & confodit, maxime quæ euangelistarum & apostolorum autoritas promulgauit. In quibus multa de ueteri testamento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur: ut est illud: Ex Ægypto uocaui filium meum: Et, quoniam Nazaræus uocabitur: Et, uidebunt in quem compunxerunt: Et, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ: Et, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus diligen-

tibus ſe:& multa alia quę propriùm σωτάγμα deſiderant. Interrogemus ergo eos,ubi hæc 1
ſcripta ſint,& cum dicere non potuerint,de libris Hebraicis proferamus. Primum teſtimoni- 2
um eſt in Oſee:ſecundum in Eſaia: tertium in Zacharia: quartũ in prouerbijs: quintũ æque
in Eſaia:quod multi ignorantes, apocryphorum deliramenta ſectantur, & Hiberas nænias
libris authenticis præferũt. Cauſas erroris non eſt meum exponere. Iudæi prudenti factum
dicunt eſſe conſilio, ne Ptolæmeus unius dei cultor etiam apud Hebræos duplicem diuinita
tem deprehenderet. Quod maxime idcirco faciebant,quia in Platonis dogma cadere uide-
batur. Deniq; ubicũq; ſacratum aliquid ſcriptura teſtatur de patre & filio & ſpiritu ſancto,
aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt:ut & regi ſatisfacerent,& arcanũ fidei non
uulgarẽt. Et neſcio quis primus autor,ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendaciõ ſuo extru-
xerit,quibus diuiſi,eadẽ ſcriptitarint:cum Ariſteas eiuſdem Ptolemæi ὑπόθεσιν, & mul- 3
to poſt tempore Ioſephus,nihil tale retulerint:ſed in una baſilica cõgregatos, contuliſſe ſcri-
bant,non prophetaſſe. Aliud eſt enim uatem,aliud eſt eſſe interpretem. Ibi ſpiritus uentura
prædicit,hic eruditio & uerborum copia,ea quæ intelligit transfert. Niſi forte putandus eſt
Tullius Oeconomicum Xenophontis,& Platonis Protagoram, & Demoſthenis pro Cte-
ſiphonte,afflatus rhetorico ſpiritu tranſtuliſſe. Aut aliter de eiſdem libris per Septuaginta
interpretes, aliter per apoſtolos ſpiritus ſanctus teſtimonia texuit: ut quod illi tacuerunt, hi
ſcriptum eſſe mentiti ſint. Quid igitur? Damnamus ueteres? Minime, ſed poſt priorum ſtu-
dia,in domo domini quod poſſumus,laboramus. Illi interpretati ſunt ante aduentum Chri-
ſti,& quod neſciebant,dubijs protulere ſententijs:nos uero poſt paſſionẽ & reſurrectionem
eius,non tam prophetiam,quàm hiſtoriam ſcribimus. Aliter enim audita,aliter uiſa narran-
tur. Quod melius intelligimus,melius & proferimus. Audi igitur æmule,obtrectator auſcul-
ta,non damno,non reprehendo Septuaginta,ſed confidenter cunctis illis apoſtolos præfe-
ro. Per iſtorum os mihi Chriſtus ſonat, quos ante prophetas inter ſpiritalia chariſmata po-
ſitos lego:in quibus ultimum penè gradum interpretes tenent. Quid liuore torqueris? Quid 5
imperitorum animos contra me concitas? Sicubi in tranſlatione tibi uideor errare,interroga
Hebræos:diuerſarum urbium magiſtros conſule. Quod illi habent de Chriſto,tui codices 4
non habent. Aliud eſt,ſi contra ſe poſtea ab apoſtolis uſurpata teſtimonia probauerunt, &
emendatiora ſunt exemplaria Latina quàm Græca,& Græca quàm Hebraica. Verum hæc
contra inuidos. Nunc te precor Deſideri chariſſime,ut me quia tantum opus ſubire feciſti,&
à Geneſi exordium capere, orationibus iuues, quo poſſim eodem ſpiritu quo ſcripti ſunt li-
bri,in Latinum eos transferre ſermonem.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

TAngenium quaſi uinum probantes.) Alluſit ad id quod Horatius taxat eos,qui libros an 1
nis æſtimant,non ſuis meritis. Nam uina meliora redduntur ætate,libri non item. Ita & Iuue
nalis, Atq; uni cedit Homero propter mille annos. Pro uirili portione.) Virili,non à uiro
dictum uidebatur,ſed à uiribus,niſi reclamaret primæ ſyllabæ quantitas:quandoquidẽ per-
inde ſonat,quaſi dicas,pro modo uirium. Dicimus & pro parte uirili,nonnunquam pro uirili, ut ſub-
audias,parte. Aſterico & obelo.) Aſteriſco legendum eſt. Eſt enim Græcis diminutiuum nomen,
ſicut ἀνθρωπίσκος & νεανίσκος, ab ἀστὴρ, ſtella,quaſi dicas ſtelluſa. ὀβελὸς gladij ſeu teli genus eſt,figura
ueru. Brito ille Minorita belle interpretatᷣ Aſtericũ,ab aſter,quod eſt ſtella,& ycon imago,uel ſignum.
O impudentiam fuſtuario dignam. Nec in cor hominis aſcendit.) Græcis eſt,aſcenderunt:quem- 2
admodum plenius docuimus in Annotationibus,quas ædidimus in Nouum teſtamentũ recognitum.

Proprium ſyntagma.) Id eſt,uolumen,à σωντάττω compono. Rurſus hic occurrit eximius ille Bri-
to:Syntagma,inquit,idem eſt quod dogma,idq; grauiſſimirum autore Huguitione. Alij dicũt,inquit,
quod taſſo eſt ordino, inde taſſus ſiue taxus maſculini generis, & tagma neutri generis. O doctores,
ò ſeculum infelix, ò deploranda ingenia,quæ in huius generis autoribus optimos annos peſſime collo
cant. Apocryphorum deliramenta.) κρύπτω occulto, ἀπόκρυφον reconditum ſiue occultum, quod
ea non legerentur publicitus,ſed priuatim ac domi, pro ſuo cuiuſq; animo. Ab apos,inquit Brito,quod
eſt de, & cryſis ſecretum, quaſi de numero ſecretorum: uel ab apo,quod eſt procul, & cryſis iudicium,
quaſi longe à iudicio. Hiberas nænias.) Ita ſubinde Hieronymus appellat portentoſas nugas,quod
apud Hiberos magica miracula narrarentur,ut apud Theſſalos. Quia in Platonis dogma cadere ui-
debatur

A debatur.) Id pertinet ad illud quod dixit. Ex Aegypto uocaui filium meum. Nam Plato in Timæo de os facit incorporeos & immortales, & horum filios dęmones, immortales & ipsos, sed corporeos, quo rum opificio conditus sit hic mundus, Cęterum quæ recensęt hoc loco Brito, de noy & Thugathon, & anima mundi, mera sunt somnia, & ut maxime uera sint, ne tantulum quidem faciunt ad hunc locum.

Mendacio suo extruxerit.) Augustinus nonnihil tribuit huic historiæ, & item Hilarius, quod nihil
5 addi uellent Septuaginta. Eiusdē Ptolemæi hyperaspistes.) ὑπερασπιστής, id est satelles & protector, à clypeo, cuius obiectu satellites tegunt corpora principum. Festiuiter autem uocat defensorem regis, satellitem. Hyperaspistes, inquit Hugo cardinalis undiquaq; sui similis, est fidelis interpres: ipse parū fi delis interpres, ab hyper, quod est ualde, & pistis fides, sed assem interim donat pauperibus. Et ne quid addubites, probat testimonio Ioannis, nardi pistici precioſi. Nefas autē non habere fidem euangelio. Et tamen si hoc parum probatur, est altera interpretatio nō minus lepida. Hyperaspistes, inquit, est no tarius, ab hyper, quod est super, & pistan, assistens. Hæc non referrem, nisi conduceret in commune, no tari scriptorum huiusmodi non dicam imperitiam, sed impudentem arrogantiam, perinde quasi pecu dibus aut truncis scribant, non hominibus, ut posthac qui sacræ theologiæ scientiam amant, ex bonis eam hauriant autoribus. Oeconomicum Xenophontis.) Liber est de administranda re domestica. Liber extat, translatio Tulliana perijt. Platonis Pythagoram.) Protagoram legendū est, non Pytha goram, quod hoc titulo nullus sit liber Platonis. Illo extat elegantissimus dialogus aduersus Sophistas,
4 quanquam & hic à Cicerone uersus intercidit. Aliud est si contra se.) Hunc locum insulsissime citat glossematarius, quisquis is fuit, in Decretis pontificum, distinctione nona, cap. Vt ueterum librorū: pu tans Hieronymum uere sensisse, Grecorū exemplaria emendatiora esse q̄ Hebræa, & Latina emenda tiora quàm Græca. Et hunc nodum multis modis dissoluit, nugacissime nugans in re non intellecta, uel dic, uel dic, uel dic. Tantum ne est istis autoritatis, ut cum rem prorsus non intelligant, tamen illis ius sit quicquid lubitum fuerit dicere? Nam Hieronymus inducit hoc uelut ἀδύνατον, & dictu absurdum, quo magis refellat, quod isti uolebant. Nec aliud est, recte interpretatur Carrensis, aliud genus defensio nis: imò quod Cicero dicere solet, nisi forte, hic suo more dicit, aliud est: ueluti si dicas, diuitiæ non red dunt hominem beatum, nisi forte mentitus est Christus, qui pauperes beatos appellat. Quid enim ab surdius, q̄ dicere hæc ab Septuaginta probata, quæ post Septuaginta dicta sint ab apostolis? Quod si uere sensit Hieronymus, id quod interpres ille somniat, quæ tandem insania fuit hoc laboris suscipere? Verum hæc absurdiora sunt quàm ut refelli mereantur, & tamen haud indigna uidētur, quæ à magnis
B doctoribus magno supercilio doceantur in scholis publicis.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS

Refellit calumnias æmulorum: & hoc opere confecto, pollicetur sese ad intermissam prophetarum interpretationem reditūrum.

HIERONYMI IN IOSVE PRAEFATIO

1 TAndem finito pentateucho Moysi, uelut grandi fœnore liberati, ad Iesum fili um Naue manū mittamus, quem Hebræi Iosue Ben Nun, id est Iosue filium
2 Nun uocant: & ad Iudicum librum, quem Sophtim appellant: ad Ruth quoq; & Hester, quos eisdem nominibus efferunt: Monemusq; lectorem, ut syluam Hebraicorum nominum & distinctiones per membra diuisas, diligens scriptor conseruet, ne & noster labor & illius studium pereat: Et ut in primis, quod sæpe testatus sum, sciat me non in reprehensionem ueterum noua cudere, sicut amici mei criminantur: sed pro uirili portione, offerre linguæ meæ hominibus, qnos tamen nostra delectant: ut pro Græcorum
5 ἁπλοῖς quæ & sumptu & labore maximo indigent, æditionem nostram habeant. Et sicu bi in antiquorum uoluminum lectione dubitarint: hæc illis conferentes, inueniant quod re quirunt: maxime cum apud Latinos tot sint exemplaria quot codices: & unusquisq; pro ar bitrio suo, uel addiderit, uel subtraxerit quod ei uisum est: & utiq; nō possit uerum esse quod dissonat. Vnde cesset arcuato uulnere contra nos insurgere scorpius: & sanctum opus uene nata carpere lingua, uel suscipiens si placet, uel contemnens si displicet, memineritq; illorum uersuum: Os tuum abundauit malicia, & lingua tua concinnabat dolos: sedens aduersus fra trem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc feciſti & ta cui. Existimasti inique quod ero tui similis, arguam te & statuam contra faciem tuam. Quæ enim audientis uel legentis utilitas est, nos laborando sudare, & alios detrahendo laborare: dolere Iudæos quod calumniandi eis & irridendi Christianos sit ablata occasio, & ecclesiæ homines id despicere, imò lacerare, unde aduersarij torqueantur? Quod si uetus eis tantum

interpretatio placet,quæ & mihi non diſplicet:& nihil extra recipiendum putant:cur ea quæ c
ſub aſteriſcis & obelis,uel addita ſunt uel amputata, legunt & negligunt? Quare Danielem iuxta Theodotionis traditionem eccleſiæ ſuſceperunt? Cur Origenem mirantur & Euſebium Pamphili cunctas æditiones ſimiliter diſſerentes? Aut quæ fuit ſtultitia,poſtq; uera dixerint,proferre quę falſa ſunt? Vnde autem in nouo teſtamento probare poterũt aſſumpta teſtimonia quæ in libris ueteribus non habentur? Hæc dicimus, ne omnino calumniantibus tacere uideamur. Cæterũ poſt ſanctæ Paulæ dormitionem, cuius uita uirtutis exemplũ eſt, & hos libros quos Euſtochio uirgini Chriſti negare nõ potui: decreuimus dum ſpiritus hos regit artus,prophetarũ explanationi incumbere,& omiſſum iamdiu opus,quaſi quodã poſt liminio repetere: præſertim cum & admirabilis ſanctusq; uir Pammachius hoc eidem literis flagitet:& nos ad patriã feſtinãtes,mortiferos Sirenarũ cantus ſurda debeamus aure trãſire.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

Inito pentateucho.) πέντε quinq;, τόμῳ uolumen,quod ea pars quinq; conſtet uoluminibus. 1
Grandi fœnore.) Id eſt,debito ſiue ære alieno,quod mora temporis augetur.
Ioſue ben Nun.) Ben בן filius.Filium Nun dixit ad differentiam Ioſue filij Ioſedech ſacerdotis. Quem Sophtim.) Sophet שופט iudex eſt, ſophtim שופטים iudicũ. Iiſdem nominibus.) Nimirum earum fœminarum,de quibus tractant,quemadmodum & Iob inſcribitur:nec alius eſt titulus apud nos quàm apud Hebræos. Vt ſyluam Hebraicorum nominum.) Materiam rudem & temere congeſtam,Latini ſyluam uocant, ducta metaphora à materijs arborũ. Et hic 2
nugatur carrenſis,quanquam ubi non facit idem? Per membra diuiſas.) κῶλα ſentit.Si quidem omnis oratio diſtinguitur κώλοις, κόμμασιν & περιόδοις. Carrenſis membra interpretatur capitula. Pro 3
Græcorum hexaplis.) Origenes cõpoſuit opus, in quo per ſingulas columnas digeſſit uarias æditiones,ſic ut prima haberet Hebræa ſuis literis.Secunda,eadem Græcis literis, tertia Aquilæ æditionem, quarta Symmachi,quinta Septuaginta,ſexta Theodotionis.Qua de re dictũ eſt nobis aliàs. Ad patriam feſtinantes.) Alluſit ad fabulam Vlyſſis Ithacam properantis.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS.

Omnium ſacræ ſcripturæ uoluminum uelut indicem facit,numerum & ordinem indicans,quę priD
mæ notæ ſint, quæ hagiographa, quæ apocrypha & extra canonem. At hodie recepta ſunt in canonem quæ tum in canone non erant.

HIERONYMI IN LIBRVM REGVM PRAEFATIO

Viginti & duas literas eſſe apud Hebræos, Syrorum quoq; lingua & Chaldæorum teſtatur,quæ Hebraeæ magna ex parte cõfinis eſt. Nam & ipſi uiginti duo elementa habent eodem ſono,ſed diuerſis characteribus.Samaritani etiam pentateuchum Moyſi totidem literis ſcriptitant, figuris tantũ & apicibus diſcrepantes.Certumq; eſt,Eſdram ſcribam legisq; doctorem,poſt captam Hieroſolymã,& inſtaurationem templi ſub Zorobabel,alias literas reperiſſe,quibus nunc utimur: cum ad illud uſq; tempus ijdem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint. In libro quoq; Numerorum hæc eadem ſupputatio, ſub leuitarum ac ſacerdotum cenſu myſtice oſtenditur.Et no 1
men domini tetragrammaton in quibuſdam Græcis uoluminibus uſq; hodie antiquis expreſſum literis inuenimus. Sed & pſalmi triceſimus ſextus & centeſimusdecimus & centeſimuſundecimus,& centeſimusdecimusoctauus,& centeſimuſquadrageſimuſquartus, quanquam diuerſo ſcribantur metro, tamen eiuſdem numeri texuntur alphabeto. Et Hieremiæ lamentationes,& oratio eius:Salomonis quoq; in fine Prouerbia ab eo loco in quo ait: Mulierem fortem quis inueniet? eiſdem alphabetis uel inciſionibus ſupputantur. Porrò quinq; literæ duplices apud Hebræos ſunt:caph,mem,nun,phe,ſade.Aliter enim ſcribũtur per has 2
principia,medietatesq; uerborum, aliter fines. Vnde & quinq; à pleriſq; libri duplices æſtimantur:Samuel,Malachim,Dibre haiomim,Eſdras,Hieremias cum Cinoth:id eſt, lamentationibus ſuis.Quomodo igitur uiginti duo elementa ſunt per quæ ſcribimus Hebraice omne quod loquimur,& eorum initijs uox humana comprehenditur: ita uiginti duo uolumina ſupputãtur:quibus quaſi literis & exordijs, in dei doctrina tenera adhuc & lactens uiri iuſti eruditur infantia.Primus apud eos liber uocatur Breſchith,quẽ nos geneſim dicimus.Secun 3

dus

A dus Elle ſmoth:qui Exodus appellatur. Tertius uaijkra,id eſt, Leuiticus. Quartus uaiedab-
4 bet,quem numeri uocamus. Quintus elle hadborim: qui Deuteronomium prænotatur.Hi ſunt quinq; libri Moyſi: quos proprie thora: id eſt legem appellant. Secundum propheta-rum ordinem faciunt, & incipiunt ab Ieſu filio Naue, qui apud illos Ioſue ben Nun dicitur. Deinde ſubtexunt ſophtim,id eſt,Iudicum librum,& in eundem compingunt Ruth:quia in diebus Iudicum facta eius narratur hiſtoria.Tertius ſequitur Samuel, quem nos regnorum primum & ſecundū dicimus.Quartus Malachim,id eſt Regum, qui tertio & quarto regno-rum uolumine cōtinetur.Meliusq; multo eſt Malachim,id eſt regū,q̄ malachoth, id eſt re-gnorum dicere.Non enim multarū gentium regna deſcribit: ſed unius Iſraelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus eſt Eſaias.Sextus Hieremias. Septimus Ezechiel.
5 Octauus,liber duodecim prophetarum,qui apud illos uocatur there aſar. Tertius ordo ha-giographa poſſidet.Et primus liber incipit ab Iob.Secundus à Dauid,quem quinq; inciſio-nibus & uno pſalmorum uolumine comprehendunt. Tertius eſt Salomon, tres libros ha-
6 bens: Prouerbia quæ illi parabolas,id eſt, miſle appellant. Quartus Eccleſiaſten:id eſt,coe-
7 leth.Quintus eſt Canticum canticorum,quem titulo ſir aſirim appellāt. Sextus eſt Daniel. Septimus dibre haiomim,id eſt,uerba dierum,quod ſignificantius χρονικὸν totius diuinæ hiſtoriæ poſſumus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus atq; ſecundus in-ſcribitur.Octauus Eſdras: qui & ipſe ſimiliter apud Græcos & Latinos in duos libros diui-ſus eſt.Nonus Heſter.Atq; ita fiunt pariter ueteris legis libri uigintiduo:id eſt,Moyſi quin-que,& prophetarum octo: hagiographorum nouem, quanquā nonnulli Ruth & Cinoth inter hagiographa ſcriptitent: & hos libros in ſuo putent numero ſupputandos: ac per hoc eſſe priſcæ legis libros uigintiquatuor, quos ſub numero uigintiquatuor ſeniorum, Apoca-lypſis Ioannis inducit, adorātes agnum,& coronas ſuas proſtratis uultibus offerentes, ſtan-tibus coràm quatuor animalibus oculatis ante & retro:id eſt, in præteritum & in futurum re-
B ſpicientibus,& indefeſſa uoce clamantibus: Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus omni-potens,qui erat & qui eſt,& qui uenturus eſt. Hic prologus ſcripturarum quaſi galeatū prin-cipium,omnibus libris quos de Hebræo uertimus in Latinum,conuenire poteſt: ut ſcire ua-leamus quicquid extra hos eſt,inter apocrypha eſſe ponendum.Igitur ſapientia quæ uulgo Salomonis inſcribitur:& Ieſu filij Sirach liber,& Iudith & Tobias & Paſtor, non ſunt in ca-
8 none. Machabæorum primum librum Hebraicum reperi. Secundus Græcus eſt: quod ex ipſa quoq; phraſi probari poteſt.Quæ cum ita ſe habeāt:obſecro te lector,ne laborem me-um reprehenſionem exiſtimes antiquorū:in templo dei offert unuſquiſq; quod poteſt.Alij aurum,argentum, & lapides precioſos:alij byſſum & purpuram & coccum offerunt & hya-cinthum. Nobiſcum bene agitur,ſi obtulerimus pelles & caprarum pilos.Et tamen Apoſto-lus contemptibiliora noſtra magis neceſſaria iudicat. Vnde & tota illa tabernaculi pulchritu-do, & per ſingulas ſpecies eccleſiæ præſentis futuræq; diſtinctio, pellibus tegitur & cilicijs, ardoremq; ſolis & iniuriā imbrium ea quę uiliora ſunt prohibent.Lege ergo primū Samuel & Malachim meum.Meum,inquam,meum.Quicquid enim crebrius uertēdo & emendan-do ſollicitius & didicimus & tenemus,noſtrum eſt.Et cum intellexeris quod antea neſciebas: uel interpretem me exiſtimato,ſi gratus es:uel paraphraſten, ſi ingratus. Quanq̄ mihi om-nino conſcius non ſim,mutaſſe me quippiam de Hebraica ueritate.Certe ſi incredulus es, le-ge Græcos codices & Latinos,& confer cum his opuſculis quæ nuper emendauimus,& ubi-cunq; diſcrepare inter ſe uideris,interroga quemlibet Hebræorū, cui magis accōmodare de-
9 beas fidem,& ſi noſtra firmauerit,puto quod eum non exiſtimes coniectorem,ut in eodem loco mecū ſimiliter diuinauerit.Sed & uos famulas Chriſti rogo quæ domini diſcumbentis precioſiſſima fidei myrrha ungitis caput,quæ nequaq̄ ſaluatorē quæritis in ſepulchro, qui-bus iam ad patrem Chriſtus aſcendit:ut cōtra latrantes canes, qui aduerſum me rabido ore deſęuiunt,& circumeunt ciuitatem,atq; in eo ſe doctos arbitrantur,ſi alijs detrahant,oratio-num ueſtratum clypeos opponatis. Ego ſciens humilitatem meam, illius ſemper ſententiæ

recordabor: Dixi custodiam uias meas, ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo cu- c
stodiam: cum cõsisteret aduersum me peccator. Obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

Euitarum ac sacerdotũ censu.) Quod horum uiginti duæ familiæ censeantur: uel quod ue- 1
ro propius est, quod omnes quos numerauerunt Moyses & Aaron, iuxta præceptum do-
mini, per familias suas in genere masculino à mense uno & supra fuerunt uiginti duo milia,
ut habetur Numerorum iij. Nam familiæ uiginti quatuor fuisse leguntur Paralipom. xxiiij.

Et nomen domini tetragrammaton.) Quod hisce quatuor scribebatur literis, יהוה Alphabetis
uel incisionibus.) Commata sentit, quibus distinguitur oratio, quemadmodum & colis. Carrensis ho
mo suauissimus, incisiones interpretatur literas. Idq; probat carmine Nasonis: Verbaq; correctis inci-
dere talia ceris. Duplices sunt apud Hebræos.) Hoc est duplici figura. Nam caph in principio me- 2
dioq; dictionis scribitur hac forma ב, in fine hac ך. Mem in fine hoc modo ם, alibi sic מ. Nun in fine
notatur hoc pacto ן, in alijs locis sic נ. Phe in calce hanc habet figuram ת, in cæteris hanc פ. Sade in
fine pingitur hoc typo ץ, alijs in locis hoc צ. Malachim Dibre haiomim.) Id est, regum ac uerba
dierum. מֶלֶךְ melech, rex, דָּבָר dabar, uerbum. יוֹם iom, dies. Cum Cinoth.) קִינוֹת, Cinoth la-
mentationes. Vocatur Bresith.) בְּרֵאשִׁית, id est, in principio. Hanc uocem Hilarius ait tria signi- 3
ficare Hebræis, in principio, in capite, & in filio. Notant enim librũ primis uocibus unde liber incipit.

Secundus ueelle smoth.) וְאֵלֶּה שְׁמוֹת, id est, & hæc sunt nomina, Nam id exordium exodi. Cæ-
terum ἔξοδος exitus est Latinis. Tertius Vaiikra.) וַיִּקְרָא, id est, & uocauit. Sic enim incipit Leui-
ticus. Quartus Vaiedabber.) וַיְדַבֵּר, & locutus est. Hoc initiũ libri Numerorum. Quintus Elle
hadbarim.) אֵלֶּה הַדְּבָרִים, hæc sunt uerba. His uerbis exorditur Deuteronomium. Porrò δευτερονό- 4
μιον Græcis perinde sonat, quasi dicas secunda lex, aut posterior lex. Qui apud illos uocatur There 5
asar.) תְּרֵי עָשָׂר, id est, duodecim. Nam There duo sunt, & asar decem. Tertius ordo hagiographa
possidet.) ἁγιόγραφα, id est, sancta scripta, siue sanctorum scripta, quæ proximæ sint autoritatis: cum
illa tribuantur deo, hæc sanctis. Quinq; incisionibus.) Id est, distinctionibus, quas Græci uocant
τμήματα, nos uulgo partes. Quæ illi parabolas.) παραβολὴ similitudo siue collatio, ut Cicero uertit,
à παραβάλλω confero, cum sententia metaphoræ inuolucro cõuestitur. Eam Hebræi uocãt misle, מְשָׁלִי.

Quartus ecclesiasten.) ἐκκλησιαστὴς Græce concionator, hoc est qui loquitur apud populum, à no- 6
mine ἐκκλησία concio, unde ἐκκλησιάζω, & hinc uerbale nomen ecclesiastes. Hebræis dicitur קֹהֶלֶת ד
coeleth. Quem titulo Sirrha sirim.) שִׁיר, sir cantio, שִׁירִים Sirim cantionũ, ut eximiũ canticum
intelligas iuxta proprietatem Hebræi sermonis. Quod significantius chronicon.) χρόνος tempus, 7
χρονικὰ uocãt Græci quæ Latini annales, cum res digesta temporibus recensetur. Apud nos Parali-
pomenon.) παραλειπομένων, id est, omissorũ, Est hoc titulo liber Xenophontis. Quasi galeatũ prin-
cipium.) Opinor quod in summis malis, & in capite poni soleat galea. Tobias & pastor.) Tobias 8
extat, Pastor nuper emersit in lucem. Ex ipsa phrasi.) Id est dictione, siue genere sermonis. φράζω di
co, φράσις dictio, hoc est, quicquid ad instructã orationem pertinet. Vide lector, ut Hieronymus stili ar
gumento potissimũ colligit, librũ non esse Hebræũ. Sunt enim qui stili iudicio parum tribuunt. Vel
paraphrasten si ingratus.) Paraphrasis est interpretandi genus liberius, cum à uerbis autoris discedi-
tur, & ita sententia redditur, ut aliquid addas & de tuo, nonnulla dilucidius dicas, quædam exponens
interim, ut Themistius Paraphrastes erat Aristotelis. Aestimes coniectorem.) Coniectores, diui- 9
norum genus est, qui ex cõiecturis futura quædã aut arcana proferunt. Preciosissima fidei myrrha.)
Quum exemplaria cõsentirent, non ausus sum immutare scripturam, tametsi sensus uidebatur absur-
dus. Quãdo enim factum est, ut aliquis ungeret caput hominis uiui myrrha? Sed quidã codices ansam
dederũt diuinandi id quod arbitror ab Hieronymo fuisse scriptũ. In quodã enim legitur myrro. Id cum
nihil significaret, alius uertit in myrra. Vnde nihil dubitandũ est, quin Hieronymus scripserit, myro, μύ-
ρω, id est, unguẽto. Alluxit enim ad mulierẽ quæ effudit alabastrũ unguenti precioso in caput domini di-
scumbentis. Et euangelica uoce delectatus, maluit dicere μύρῳ, q̃ unguẽto: tum Græca uox aptior est.
Nam Latinis unguẽtis oblinũtur & scabiosi: sed Græcis μύρου nõ dicitur nisi fragrans & aromaticum.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS.

In nonnullis codicibus ex fragmentis primæ præfationis, cuius initium: Tantus ac talis: & hac epi-
stola, nescio quis unam conflauerat præfationem, & artifex connexuerat: per sed interiectum.

HIERONYMI IN LIBRVM PARALIP. PRAEFATIO

Si septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in Græcum uersa est, æditio perma- 1
neret, superflue me Chromati episcoporũ sanctissime atq; doctissime impel-
leres, ut Hebræa uolumina Latino sermone transferrem. Quod enim semel au
res hominum occupauerat, & nascentis ecclesiæ roborauerat fidem: iustum erat
etiam nostro silentio cõprobari. nunc uero cum pro uarietate regionũ, diuersa ferant exem-
plaria

A plaria, & germana illa antiquaq; translatio corrupta sit atq; uiolata: nostri arbitrij putas aut è pluribus iudicare quid uerum sit: aut nouum opus in ueteri opere cudere, illudentibusq; Iudæis cornicum (ut dicitur) oculos configere. Alexandria & Aegyptus in septuaginta suis Esychium laudat autorem. Constantinopolis usq; Antiochiam Luciani martyris exemplaria probat. Mediæ inter has prouinciæ, Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus uulgauerunt. Totusq; orbis hac inter se trifaria uarietate com
2 pugnat. Et certe Origenes non solum exempla composuit quatuor æditionum, è regione singula uerba describens, ut unus dissentiens, statim cæteris inter se consentientibus arguatur: sed quod maioris audaciæ est, in æditione septuaginta, Theodotionis æditionem miscuit, asteriscis uidelicet designans, quæ minus fuerant, & uirgulis quæ ex superfluo uidebantur apposita. Si igitur alijs licuit non tenere, quod semel susceperant, & post septuaginta cellulas, quæ uulgo sine autore iactantur, singulas cellulas aperuere, hocq; in ecclesijs legitur, quod Septuaginta nescierunt: cur me non suscipiant Latini mei, qui inuiolata æditione ueteri, ita nouam condidi, ut laborem meum Hebræis, & quod his maius est, apostolis autoribus comprobem? Scripsi nuper librum de optimo genere interpretandi, ostendens illa de euangelio, Ex Aegypto uocaui filium meum: Et, quoniam Nazaræus uocabitur: Et, uidebunt in quem compunxerunt: Et illud apostoli: Quæ oculus non uidit, nec auris audiuit: & nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit deus diligentibus se: cæteraq; his similia, in Hebræorũ libris inueniri. Certe apostoli & euangelistæ, Septuaginta interpretes nouerant, & unde eis hæc quæ in Septuaginta interpretibus non habentur? Christus dominus noster, utriusq; testamenti conditor, in euangelio secundum Ioannem: Qui credit, inquit, in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Vtiq; scriptum est, quod saluator scriptum esse testatur. Vbi scriptum est? Septuaginta non habent: apocrypha nescit ecclesia. Ad Hebræos igitur reuertendum est: unde & dominus loquitur, & discipuli exempla præsu
B munt. Hæc pace ueterum loquor, & obtrectatoribus meis tantũ respondeo, qui canino dente me rodũt, in publico detrahẽtes & legentes in angulis: ijdem & accusatores & defensores, cum in alijs probent quod in me reprobant: quasi uirtus & uitium non in rebus sit, sed cum autore mutetur. Cæterum, memini æditionem Septuaginta translatorum olim de Græco emendatam tribuisse me nostris, nec inimicum debere existimari eorum, quos in conuentu fratrum semper edissero. Et quod nunc dibre haiomim: id est uerba dierum interpretatus sum: idcirco feci, ut inextricabiles moras & syluam nominum, quæ scriptorum confusa sunt
3 uitio, sensuumq; barbariem, apertius & per uersuum cola digererem, mihimetipsi & meis iuxta Ismeniam canens, si aures surdæ sunt cæterorum.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

1 PVra, & ut ab eis in Græcum.) Tribuit nonnihil animo Chromatij, apud quem sciebat, sanctam esse Septuaginta autoritatẽ, nam aliàs aliter sentit de ijsdem. Illudentibusq; Iudæis cornicum, ut dicitur, oculos configere.) Prouerbium est apud Ciceronem & Macrobium, dici solitum de ijs qui re uehementer ingeniosa prodita, efficiant ut cæteri nihil scire uideantur. Nam ante à Iudæis in huiusmodi rebus uelut oracula petebantur, At Hieronymus sua correctione
2 præstitit, ut nihil iam opus esset illos consulere. Exemplaria composuit.) Nõnulli codices habebant exempla. Ipsa uarietas mihi suspicionem facit legendum esse hexapla: quæ prodidit Origenes, ex diuersis æditionibus. Canino dente.) Idem dictus est genuinus, medius inter planos primores & molares. Per uersuum cola.) κῶλον membrum. unde apparet singulos uersus singulis colis finiri solere.
3 Iuxta Ismenium.) Ridiculum dictu, quod Hugo Carrensis, siue quisquis alius is fuit, nam mihi subolet nõ unius hominis esse collectanea, ut in his arduis negocijs iuxta prouerbiũ, ἀδελφὸς ἀδελφῷ πρόσκνα solet, Ismeniũ fluuium facit, iuxta quem Orgia Bacchi solita sint celebrari. Aut si minus placet fluuius, ille philosophũ facit è fluuio, nimirum qua pollet autoritate. Cæterum historiæ meminit Valerius Maximus libro Rerum memorabilium tertio, cap. vij. Antigenidas tibicen discipulo docto, sed parũ populo grato: Mihi, inquit, cane & Musis. Ismeniam legendum est, non Ismenium.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS

Ostendit utilem esse Geographiam ad diuinæ scripturæ cognitionem. Duos Paralipomenon li-

bros, qui apud Hebræos unus est, cum Iudæo quodam Tyberiadensi diligenter collatos restituit. Ex c
Hebræorum uoluminibus addita, stellulis prænotauerat; ab Septuaginta interpretibus adiecta, obeliscis signauerat.

AD DOMN. ET ROGAT. IN LIBRVM PARALIP. PRAEFATIO

QVomodo Græcorum historias magis intelligunt, qui Athenas uiderint: & ter- 1
tium Vergilij librum, qui à Troiade per Leucaten, & Acroceraunia ad Siciliam: & inde ad ostia Tyberis nauigauerint: Ita sanctam scripturam lucidius intuebitur, qui Iudæam oculis contemplatus sit: & antiquarum urbium memorias locorumq; uel eadē uocabula, uel mutata cognouerit. Vnde & nobis curæ fuit cum eruditissimis Hebræorum hunc laborem subire: ut circumiremus prouinciam, quam uniuersæ Christi ecclesiæ sonant. Fateor enim mi Domnion & Rogatiane charissimi, nunq; me in diuinis uoluminibus proprijs uiribus credidisse: nec habuisse opinionem meam: sed ea etiā, de quibus scire me arbitrabar, interrogare me solitum. Quanto magis de his, super quibus anceps eram? Deniq; cum à me nuper literis flagitassetis: ut uobis Paralipomenon Latino sermone transferrem, de Tyberiade quendam legis autorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumpsi: & contuli cum eo à uertice (ut aiunt) usq; ad extremum unguem: & sic confirmatus, 2
ausus sum facere quod iubebatis. Libere enim uobis loquor. Ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominū liber uitiosus est: ut nō tam Hebræa q̄ Barbara quædam & Sarmatica nomina cōiecta arbritrandū sit. Nec hoc Septuaginta interpretibus, qui spiritu sancto pleni, ea quæ uera fuerunt transtulerant, sed scriptorum culpæ asscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant: & sæpe tria nomina, subtractis è medio syllabis, in unum uocabulum cogunt: uel è regione unum nomen propter latitudinem suam in duo uel tria uocabula diuidunt. Sed & ipsæ appellationes, non homines ut pleriq; existimant, sed urbes & saltus & prouincias sonant: & oblique sub interpretatione & figura eorum quędam narrantur historiæ. De quibus in regnorum libro dicitur: Nónne ecce hæc scripta sunt in libro uerborum D
dierum regum Iudæ? Quæ utiq; in nostris codicibus non habentur. Hoc primum sciendum quod apud Hebræos liber Paralipomenon unus sit, & apud illos uocatus dibrehaiomim, id est uerba dierum, qui propter magnitudinem apud nos diuisus est. Quod nonnulli etiam in Bruto Ciceronis dialogo faciunt: ut eum in tres partes secent, cum unus à suo autore sit æditus. Deinde etiam illud attendendum: quod frequenter nomina, non uocabula hominum, sed rerum (ut dixi) significantias sonant. Ad extremum: quod omnis eruditio scripturarum in hoc continetur: & historiæ quæ uel prætermissæ sunt in suis locis, uel perstrictæ leuiter, hic per quædam uerborum compendia explicentur. Orationum itaq; uestrarum adiutus auxilio: misi librum beneuolis placiturum, tamen inuidis displiciturum esse non ambigo. Optima enim quæq; (ut ait Plinius) malunt contemnere pleriq; quàm discere. Si quis in hac interpretatione uoluerit aliquid reprehendere: interroget Hebræos: suam conscientiam recolat: uideat ordinem textus mq; sermonis: & tunc nostro labori si potuerit detrahat. Vbicunq; ergo astericos, id est, stellas, radiare in hoc uolumine uideritis: ibi sciatis de Hebræo additum 3
quod in Latinis codicibus non habetur. Vbi uero obelus, transuersa scilicet uirga præposita est: illic signatur quid Septuaginta interpretes addiderint: uel ob decoris gratiam, uel ob spiritus sancti autoritatem: licet in Hebræis uoluminibus non legatur.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

QVomodo Græcorum.) Hieronymo non satis erat, nomina situsq; locorum ex Geogra- 1
phorum libris habere cognita, nisi lustratis regionibus singula diligentius & oculis lustrasset. At hodie multis mei similibus theologis, sat est si tantum sciant nomen esse loci: quanq; sunt qui ex loco nōnunquam pecudem reddant, tam supinus est huius partis contemptus.

A Troiade per Leucaten.) Troias est ipsa regio, in qua erat urbs Troia, eadem dicta Ilium & Teucria & Dardania. Leucates promontorium est Epiri, quemadmodū & Acroceraunia, hinc dicta, quod ob celsitudinem crebro fulmine tangantur. Vel eadem uocabula.) Et hinc ingentes nonnunquam tenebræ

A tenebræ, quod eídem loco ſæpenumero quaterna aut ſena ſunt uocabula, ueluti Iebus, Salem, Hieruſa
2 lem, Hieroſolymæ, Aelia, eiuſdē urbis uocabula ſunt. A uertice, ut aiunt, uſq; ad extremū unguem,) Ita totum hominem prouerbiali ſchemate ſignificamus, à ſummo uertice capitis uſq; ad extremos un/gues pedum. Et Sarmatica nomina.) Sarmatæ barbarie ſua nobiles olim erant, ut Thraces & Scy/thæ. Qui ſpiritu ſancto pleni.) Hoc Hieronymus Domnionis, ad quem ſcribit, animo tribuere uide
5 tur. Nam alias his diuerſa ſcripſit, nec id uno ſane loco. Vbicunq; ergo aſteriſcos.) Quis hæc abſq; dolore légat, intelligens & Hieronymi uigilias, & noſtram utilitatem in hac parte librariorum incuria periſſe? Nam ſi quod hæc diſtinxit Hieronymus, nihil ad rem pertinebat: ſtultus fuerat oportet, qui in re infrugifera ſudandum putarit. Sin id ad ſcripturæ diuinæ ſynceritatem faciebat, impie fecerunt, qui notas huiuſmodi ſuſtulere de uoluminibus. Vel ob ſpiritus ſancti autoritatem.) Et hoc illorum af/fectibus ad quos ſcribit dediſſe uidetur Hieronymus.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS.

Duos Eſdræ & Neemiæ libros probat, qui apud Hebræos unico uolumine continentur: tertium & quartum improbat.

HIER. AD DOMN. ET ROGAT. IN ESDRAM ET NEEMIAM PRAEFATIO

VTrum difficilius ſit facere quod poſcitis, an negare, necdū ſtatui. Nam neq; uo/bis aliquid imperantibus abnuere ſententiæ eſt, & magnitudo oneris impoſiti ita ceruices premit: ut ante ſub faſce ruendum ſit, quàm leuandum. Accedunt ad hoc inuidorum ſtudia, qui omne quod ſcribimus, reprehendendum putant. Et interdum contra ſe conſcientia repugnante publice lacerant, quod occulte legunt: in tantum ut clamare compellar & dicere: Domine, libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Tertius annus eſt, quod ſemper ſcribitis atq; reſcribitis, ut Eſdræ librum & Heſter uobis de Hebræo transferam: quaſi non habeatis Græca & Latina uolumina: aut quicquid illud eſt quod à nobis uertitur, non ſtatim ab omnibus conſpuendum ſit. Fruſtra autem (ut ait quidam) niti, neq; aliud fatigando, niſi odium quærere, extremæ dementiæ eſt. Itaque
1 obſecro uos mi Domnion & Rogatiane chariſſimi, ut priuata lectione contenti, libros non
B efferatis in publicum: nec faſtidioſis cibos ingeratis: uitetisq; eorum ſupercilium: qui iudi/care tantum de alijs, & ipſi facere nihil nouerunt. Si qui autem fratrum ſunt quibus noſtra non diſplicent: his tribuatis exemplar, admonentes ut Hebræa nomina (quorum grandis in hoc uolumine copia eſt) diſtincte & per interualla tranſſcribant. Nihil enim proderit e/mendaſſe librum, niſi emendatio, librariorum diligentia conſeruetur. Nec quenquam mo/ueat, quod unus à nobis liber æditus eſt: nec apocryphorum tertij & quarti libri ſomnijs de/lectetur: quia & apud Hebræos Eſdræ Neemiæq; ſermones in unum uolumen coartantur: & quæ nō habentur apud illos, nec de uigintiquatuor ſenibus ſunt procul abijcienda. Si quis autem Septuaginta uobis oppoſuerit interpretes: quorum exemplaria uarietas ipſa lacera/ta & inuerſa demonſtrat: nec poteſt utiq; uerum aſſeri quod diuerſum eſt: mittite eum ad e/uangelia, in quibus multa ponuntur quaſi de ueteri teſtamento, quæ apud Septuaginta in/terpretes non habentur, uelut illud: Quoniam Nazaræus uocabitur: Et, ex Aegypto uoca/ui filium meum: Et, uidebunt in quem compunxerunt: multaq; alia, quæ latiori operi reſerua mus: & quærite ab eo ubi ſcripta ſint. Cumq; proferre non potuerit: uos legite de his exem/plaribus quæ nuper à nobis ædita, maledicorum quotidie linguis confodiuntur. Sed ut ad compendium ueniam: certe quod illaturus ſum, æquiſſimum eſt, ædidi aliquid quod nō ha/betur in Græco: aut aliter habetur quàm à me uerſum eſt? Quid interpretem laniant? Inter/
2 rogent Hebræos: & ipſis autoribus translationi meæ, uel arrogent uel derogent fidem. Por/rò aliud eſt ſi clauſis, quod dicitur, oculis, mihi uolunt maledicere: & non imitantur Græco/rum ſtudiū ac beneuolentiam: qui poſt Septuaginta translatores iam Chriſti euangelio co/ruſcante, Iudæos & Hebionitas legis ueteris interpretes, Aquilam uidelicet & Symmachum
3 & Theodotionem, & curioſe legunt, & per Origenis laborem in exaplois eccleſijs dedicarūt. Quanto magis Latini grati eſſe deberent, quod exultantē cernerent Græciā à ſe aliquid mu/tuari. Primū enim magnorū ſumptuū eſt & infinitæ difficultatis, exemplaria poſſe habere omnia: deinde etiā qui habuerint, & Hebræi ſermonis ignari ſunt, magis errabunt: ignorātes

quis

quis è multis uerius dixerit. Quod etiam ſapientiſſimo cuidam nuper apud Græcos accidit, c
ut interdum ſcripturæ ſenſum relinquens,uniuſcuiuſq; interpretis ſequeretur errorem. Nos autem qui Hebrææ linguæ ſaltem paruam habemus ſcientiam,& Latinus nobis utcunq; ſermo non deeſt:& de alijs magis poſſumus iudicare, & ea quæ ipſi intelligimus in noſtra lingua promere.Itaq; licet hydra ſibilet,uictorq; Sinon incendia iactet:nunquã meum (iuuante Chriſto)ſilebit eloquium: etiam præciſa lingua balbutiet. Legant qui uolunt, qui nolunt abijciant.Euentilent apices,literas calumnientur. Magis ueſtra charitate prouocabor ad ſtudium,quàm illorum detractione & odio deterrebor.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

Vetiſq; eorum ſupercilium.) Supercilium faſtuoſam arrogantiam dixit. Miſe uero taxauit 1
quorundam mores, qui uelut è ſublimi pronunciãt de ſcriptis aliorum tanquam Areopagitæ,neq; quicquam illis ſatisfacit, cum ipſi neq; poſſint quicquam ædere ſi uelint, neq; uelint ſi poſſint. Nec Apocryphorum tertij & quarti.) Mirum cum Hieronymus tertium & quartum Eſdræ librum inter apocrypha numeret,& quod in eis ſcriptum eſt ſomnia uocet,qui factum ſit,ut ijdem nũc citra diſcrimen ullum legantur à nobis. Quæ latiori operi.) Nimirum libro de optimo genere interpretandi. Porrò aliud eſt.) Eadem eſt ſermonis forma quam annotauimus in ſecun 2
da præfatione. Clauſis quod dicitur oculis.) Quod eſt Andabatarum, quemadmodum latius explicuimus in Chiliadibus noſtris in prouerbio Andabatæ. Et Hebionitas.) Hæreticos,ſemijudæos & ſemichriſtianos. Et per Origenis laborem in ἑξαπλοῖς.) In quibuſdam uetuſtis non erat in hexa 3
plis, ſed exaplis. Dedicarunt eccleſijs dixit, quod Origenes ea admiſcuerit æditioni quæ legebatur in eccleſijs. Itaq; licet hydra ſibilet.) In uetuſtis legimus,licet excetra ſibilet. Victorq; Sinon.) Ruffinum opinor notat hoc hemiſtichio Vergiliano.

IN SEQVENTEM PRAEFATIONEM CENSVRA

Cum hic liber nec ſit apud Hebræos, & inter hagiographa cenſeatur,autore Hieronymo, tamen à nobis inter præcipua receptus eſt.

HIERO. AD CROMA. ET HELIO. IN TOBIAM PRAEFATIO

Irari non deſino exactionis ueſtræ inſtantiam. Exigitis enim ut librum Chaldæo ſermone conſcriptum ad Latinum ſtilum traham: librum utiq; Tobiæ, D
quem Hebræi de catalogo diuinarum ſcripturarum ſecantes,his quę hagiographa memorant manciparunt. Feci ſatis deſiderio ueſtro, non tamen meo ſtudio: Arguunt enim nos Hebræorum ſtudia,& imputant nobis contra ſuum canonem,Latinis auribus iſta transferre.Sed melius eſſe iudicans phariſæorum diſplicere iudicio,& epiſcoporum iuſſionibus deſeruire,inſtiti ut potui.Et quia uicina eſt Chaldæorum lingua ſermoni Hebraico, utriuſq; linguæ peritiſſimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: & quicquid ille mihi Hebraicis uerbis expreſſit, hoc ego accito notario ſermonibus Latinis expoſui.Orationibus ueſtris mercedem huius operis compenſabo, cum gratum uobis didicero,me quod iubere eſtis dignati compleſſe.

SEQVENTIS PRAEFATIONIS CENSVRA

Non affirmat approbatum hunc in ſynodo Nicena,ſed ait,legitur computaſſe. Subijcitur hoc loco aliud argumentum, ſed indoctum & parum dignum Hieronymo,-proinde non adiunximus.

HIERONYMI IN IVDITH PRAEFATIO

Apud Hebræos liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius autoritas ad roborandã illa quæ in contentionem ueniunt ſatis idonea iudicatur. Chaldæo tamen ſermone conſcriptus,inter hiſtorias computatur.Sed quia hunc librum ſynodus Nicena in numero ſanctarum ſcripturarum legitur computaſſe: acquiui poſtulationi ueſtræ imò exactioni: & ſepoſitis occupationibus quibus uehementer artabar,huic unam lucubratiunculam dedi,magis ſenſum è ſenſu,quàm ex uerbo uerbum tranſferens.Multorum codicum uarietatem uitioſiſſimam amputaui:ſola ea quæ intelligentia integra in uerbis Chaldæis inuenire potui, Latinis expreſſi. Accipite Iudith uiduam caſtitatis exemplum: & triumphali laude,perpetuis eam præconijs declarate. Hanc enim non ſolum fœminis,ſed & uiris imitabilem dedit,qui caſtitatis eius remunerator uirtutẽ ei talem tribuit, ut inuictum omnibus hominibus uinceret,& inſuperabilem ſuperaret.

Librum

A I  Librum Heſter, uarijs translatoribus conſtat eſſe uitiatum: quem egò de archiuis Hebræorum releuans, uerbum è uerbo expreſſius tranſtuli. Quem librum æditio uulgata lacinioſis hincinde uerborum ſinibus trahit: addens ea quæ ex tempore dici poterāt & audiri: ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis ſumpto themate excogitare: quibus uerbis uti potuit qui iniuriam paſſus eſt, uel qui iniuriam fecit. Vos autem ô Paula & Euſtochium quoniam & bibliothecas Hebræorum ſtuduiſtis intrare, & interpretum certamina comprobaſtis, tenentes Heſter Hebraicum librum, per ſingula uerba, noſtram translationem aſpicite, ut poſſitis agnoſcere me nihil etiam augmentaſſe addendo, ſed fideli teſtimonio ſimpliciter ſicut in Hebræo habetur hiſtoriam Hebraicam latinæ linguæ tradidiſſe. Nec affectamus laudes hominum, nec uituperationes expaueſcimus. Deo enim placere curantes, minas hominum penitus non timemus: quia deus diſſipat oſſa eorum, qui hominibus placere deſiderant: & ſecundum Apoſtolum, qui eiuſmodi ſunt, ſerui Chriſti eſſe nō poſſunt. Rurſum in libro Heſter alphabetum ex minio uſq; ad theta literam fecimus diuerſis in locis: uolentes ſcilicet Septuaginta interpretum ordinem per hoc inſinuare ſtudioſo lectori. Nos enim iuxta morem Hebraicum ordinem proſequi etiam in Septuaginta æditione maluimus.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

1 Releuans lege pro reuelans. Lacinioſis hinc inde uerborū ſinibus.) Flexuoſa laxitas ueſtis non aſtrictæ, ſed fluentis lacinia dicitur. Sinus item flexus dicuntur. Rurſum hic notas quas ex minio addiderat Hieronymus deſideramus.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS.

Oſtendit ſe bis uertiſſe Iob, ſemel iuxta æditionem Septuaginta, additis obelis & aſteriſcis: ac rurſum ex Hebræis uoluminibus. Hæc utra ſit, incertum eſt.

HIERONYMI IN LIBRVM IOB PRAEFATIO

B I  Cogor per ſingulos ſcripturæ diuinæ libros aduerſariorum reſpondere maledictis: qui interpretationem meam reprehenſionem Septuaginta interpretum criminantur, quaſi non & apud Græcos Aquila, Symmachus & Theodotio, uel uerbum è uerbo, uel ſenſum è ſenſu, uel ex utroq; commixtum & medie temperatum genus translationis expreſſerint: & omnia ueteris inſtrumēti uolumina Origenes obelis aſteriſciſq; diſtinxerit: quos uel additos uel de Theodotione ſumptos, translationi antiquæ inſeruit: probans defuiſſe quod additum eſt. Diſcant igitur obtrectatores mei recipere in toto, quod in partibus ſuſceperunt: aut interpretationem meam cum aſteriſcis ſuis radere. I Neq; enim fieri poteſt, ut quos plura intermiſiſſe ſuſceperint: non eoſdem etiā in quibuſdam erraſſe fateantur: præcipue in Iob: cui ſi ea quæ ſub aſteriſcis addita ſunt ſubtraxeris, pars maxima detruncabitur: & hoc duntaxat apud Græcos. Cæterum apud Latinos ante eam tranſlationem, quam ſub aſteriſcis & obelis nuper ædidimus: ſeptingenti fermè, aut octingēti uerſus deſunt: ut decurtatus & laceratus corroſuſq; liber, fœditatem ſui p.blice legentibus præbeat. Hæc autem translatio nullum de ueteribus ſequitur interpretem, ſed ex ipſo Hebraico Arabicoq; ſermone, & interdū Syro: nunc uerba, nunc ſenſus, nunc ſimul utrunq; reſonabit. Obliquus enim etiam apud Hebræos totus liber fertur & lubricus: & quod Græci rhetores uocant eſchematiſmenos: dum qui aliud loquitur, aliud agit: ut ſi uelis anguillam uel murēnulam ſtrictis tenere manibus, quanto fortius preſſeris, tanto citius elabitur. Memini me ob intelligentiam huius uoluminis Lyddeum quendam præceptorem, qui apud Hebræos primus haberi putabatur, non paruis redemiſſe nummis: cuius doctrina an aliquid profecerim, neſcio. Hoc unum ſcio, non potuiſſe me interpretari, niſi quod ante intellexeram. A principio itaq; uoluminis uſque ad uerba Iob apud Hebræos proſa oratio eſt. Porrò à uerbis Iob in quibus ait: Pereat dies in qua natus ſum: & nox in qua dictum eſt, conceptus eſt homo: uſq; ad eum locum, ubi ante finem uoluminis ſcriptum eſt: Idcirco ipſe me reprehēdo & ago pœnitentiam in fauilla & cinere: hexametri uerſus ſunt, dactylo ſpōdeoq; currentes, & propter

linguæ

linguæ idioma crebro recipientes & alios pedes, non earundem ſyllabarum, ſed eorundem c
temporum. Interdum quoq; rhythmus ipſe dulcis & tinnulus fertur numeris pedum ſolutis.
Quod metrici magis quàm ſimplex lector intelligunt. A ſupradicto autem uerſu uſq; ad fi/
nem libri, paruum comma quod remanet, proſa oratione contexitur. Quod ſi cui uidetur in/
credulũ, metra ſcilicet eſſe apud Hebræos: & in morem noſtri Flacci Græciq; Pindari & Al/ 2
cæi & Sapphus uel pſalterium uel lamentationes Hieremiæ, uel omnia fermè ſcripturarum
cantica comprehendi: legat Philonem, Ioſephum, Origenem, Cæſarienſem Euſebium, & eo
rum teſtimonio me uerum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei idcirco me
in hoc uolumine laboraſſe: non ut interpretationem antiquã reprehenderem, ſed ut ea quæ
in illa aut obſcura ſunt aut omiſſa, aut certe ſcriptorum uitio deprauata: manifeſtiora noſtra
interpretatione fierent: qui & Hebræorum ſermonem ex parte didicimus, & in Latino penè
ab ipſis cunabulis inter grammaticos & rhetores & philoſophos detriti ſumus. quod ſi apud
Græcos poſt ſeptuaginta æditionem iam Chriſti euangelio coruſcante, Iudæus Aquila &
Symmachus ac Theodotio Iudaizantes hæretici ſunt recepti, qui multa myſteria ſaluatoris
ſubdola interpretatione cælarunt: & tamen in ἐξαπλοῖς habẽtur apud eccleſias, & explanan
tur ab eccleſiaſticis uiris: quantomagis ego Chriſtianus & de parentibus Chriſtianis natus,
& uexillum crucis in mea fronte portans: cuius ſtudium fuit omiſſa repetere, deprauata cor/
rigere, & ſacramenta eccleſiæ puro & fideli aperire ſermone, uel à faſtidioſis uel à malignis
lectoribus non debeo reprobari. Habeant qui uolunt ueteres libros uel in membranis pur/
pureis, auro argentoq; deſcriptos: uel uncialibus (ut uulgo aiunt) literis onera magis exarata 3
quàm codices, dummodo mihi meisq; permittant pauperes habere ſchedulas, & non tam
pulchros codices quàm emendatos. Vtraq; autem æditio & Septuaginta iuxta Græcos, &
mea iuxta Hebræos in Latinum meo labore trãslata eſt. Eligat unuſquiſq; quod uult, & ſtu/ D
dioſum me magis quàm maleuolum probet.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

SVſceperint.) Lege perſpexerint. Nam ĩſdẽ uerbis utitur tomo ij. aduerſus Ruffinũ, Neq; 1
eñ fieri poteſt, ut quos plura intermiſiſſe perſpexerint. Scheſmatiſmenos.) Scribendũ
ἐχηματισμένος, id eſt, figuratum, quod nõ ſit ſimplex oratio. Carrenſis, ut hoc riſus gratia
notem obiter, exponit uocem dictam à ſchema & mene, citans cantorem, neſcio quem, qui
dixerit legendũ eſſe, cacosfallotrionmenos: à cacos malus, allotrion alienum, & mene defectus. Eamus
nunc, & hos autores dignos exiſtimemus, qui legantur. Et Alcæi & Sappho.) Sapphus legendum 2
eſt, non Sappho: ſicut à Dido Didus. Vncialibus, ut uulgo aiũt.) Vncialibus, hoc eſt magnis: nam 3
uncia non ſolum ad pondus & numerũ, uerũ & ad menſurũ pertinet. Nõnulli codices habebãt, initia/
libus: quod primores literæ ſoleãt eſſe maiores & inauratæ nõnunq;. Et ſtudioſum me.) Refragan/
tibus licet exẽplaribus, ipſe ſenſus admonet, pro me, legendũ ſe. Deprecaẽ enim malitiæ crimen apud
eos, quibus nõ placet ipſa uerſio, qui ſi minus probant euentũ, tamen ſtudiũ & conatũ probare debẽt.

ARGVMENTVM PRAEFATIONIS SEQVENTIS.

Hæc eſt præfatio in Iob è Septuaginta uerſum, ſed additis notulis. Additur & tertia præfatio, cuius
initium: In terra quidem: quæ non eſt Hieronymi.

ALIA PRAEFATIO

SI aut fiſcellam iunco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in ſudore
uultus mei comederem panem: & uentris opus ſollicita mente pertractarem,
nullus morderet, nemo reprehenderet. Nunc autem, quia iuxta ſententiam ſal/
uatoris, uolo operari cibum qui non perit: & antiquam diuinorum uoluminum
uiam ſentibus uirgultisq; purgare, error mihi geminus infligitur: corrector uitiorum, falſa/
rius dicor: & errores non auferre, ſed ſerere. Tanta eſt enim uetuſtatis conſuetudo, ut etiam
confeſſa pleriſq; uitia placeant, dum magis pulchros habere uolunt codices quàm emenda/
tos. Quapropter ò fratres dilectiſſimi, unicum nobilitatis & humilitatis exemplar: pro fla/
bello, calathis, ſportelliſq; munuſculis monachorum, ſpiritalia hæc & manſura dona ſuſci/
pite, ac beatum Iob, qui adhuc apud Latinos iacebat in ſtercore, & uermibus ſcatebat erro/
rum, integrum immaculatumq; gaudete. Quomodo enim poſt probationẽ atq; uictoriam
duplicia

a duplicia ſunt ei uniuerſa reddita:ita ego in lingua noſtra(ut audacter loquar)feci eum habere quæ amiſerat. Igitur & uos & unumquemq; lectorem ſolita præfatione commoneo: & in principijs librorum eadem ſemper annectens,rogo, ut ubicunq; præcedentes uirgulas uideritis,ſciatis ea quæ ſubiecta ſunt in Hebraicis uoluminibus non haberi. Porrò ubi ſtellæ imago præfulſerit,ex Hebræo in ſermone noſtro addita ſunt. Necnõ & illa quę haberi uidebantur,& ita corrupta erant ut ſenſum legentibus tollerent:orantibus uobis magno labore correxi:magis utile quid ex ocio meo eccleſijs Chriſti uenturum ratus, cũ ex aliorum negocio.

HIERONYMI IN PROVERBIA SOLOMONIS PRAEFATIO

IVngat epiſtola quos iungit ſacerdotium:imò charta non diuidat, quos Chriſti nectit amor. Commentarios in Oſee,Amos & Zachariam, Malachiam quoq; poſcitis:ſcripſiſſem,ſi licuiſſet præ ualetudine. Mittitis ſolatia ſumptuum:notarios noſtros & librarios ſuſtentatis,ut uobis potiſſimum noſtrum deſudet ingenium Et ecce ex latere frequens turba diuerſa poſcentium:quaſi aut æquum ſit me uobis eſurientibus,& alijs laborare:aut in ratione dati & accepti,cuiquam præter uos obnoxius ſim. Itaque longa ægrotatione fractus, ne penitus hoc anno reticerem: & apud uos mutus eſſem, tridui opus nomini ueſtro conſecraui, interpretationem uidelicet trium Solomonis uoluminum: Miſle,quod Hebræi parabolas,uulgata autẽ æditio prouerbia uocat:Coeleth, quem Græce Eccleſiaſten,Latine concionatorem poſſumus dicere: Sir haſirim, quod in lingua noſtra
1 uertitur Canticum canticorum. Fertur & panæretos Ieſu filij Sirach liber: & alius pſeudepigraphus,qui ſapientia Solomonis inſcribitur. Quorum priorem Hebraicum reperi, non eccleſiaſticum ut apud Latinos, ſed parabolas prænotatum. Cui iuncti erant Eccleſiaſtes & Canticum canticorum:ut ſimilitudinem Solomonis non ſolum numero librorum,ſed etiam materiarum genere coæquaret. Secundus apud Hebræos nuſquam eſt, quin & ipſe ſtilus Græcam eloquentiam redolet: & nõnulli ſcriptorum ueterum hunc eſſe Iudæi Philonis af-
b firmant. Sicut ergo Iudith & Tobiæ & Machabæorum libros legit quidem eccleſia, ſed eos inter canonicas ſcripturas non recipit: ſic & hæc duo uolumina legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem eccleſiaſticorũ dogmatum confirmandam. Si cui ſanè Septuaginta interpretum magis æditio placet, habet eam à nobis olim emendatam. Neq; enim noua ſic cudimus, ut uetera deſtruamus. Et tamen cum diligentiſſime legerit: ſciat magis noſtra ſcripta intelligi,quæ non in tertiũ uas transfuſa coacuerint: ſed ſtatim de prælo puriſſimæ commendata teſtæ, ſuum ſaporem ſeruauerint.

SCHOLIVM

1 Fertur & panæretos.) παναίρετος, id eſt, eximius ac præcipuus.

HIERONYMI IN LIBRVM ECCLESIASTEN PRAEFATIO

MEmini me ante hoc fermè quinquennium cum adhuc Romæ eſſem, & eccleſiaſten ſanctæ Bleſillæ legerem,ut eam ad contemptũ mundi huius prouocarem: & omne quod in mundo cerneret, putaret eſſe pro nihilo: rogatum ab ea ut in morem commentarioli obſcura quæq; diſſererem:ut abſq; me poſſet intellige re quæ legebat. Itaq; quoniam in procinctu noſtri operis ſubita morte ſubtracta eſt: & ubi non meruimus ò Paula & Euſtochium talem uitæ noſtræ habere conſortem: tantoq; uulnere tunc percuſſus obmutui, & nunc in Bethlehem poſitus, anguſtiore uidelicet ciuitate, & illius memoriæ & uobis reddo quod debeo: hoc breuiter admonens, quod nullius autoritatem ſequutus ſum: ſed de Hebræo transferens, maxime Septuaginta interpretum conſuetudini me coaptaui, in his duntaxat quæ non multum ab Hebraicis diſcrepabant. Interdum Aquilæ quoque & Symmachi & Theodotionis recordatus ſum: ut nec nouitate nimia, lectoris ſtudium deterrerem: nec rurſum contra conſcientiam meam, fonte ueritatis omiſſo, opinionum riuulos conſectarer.

SEQVENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

Verſibus eſſe deſcriptos.) Et proſæ orationis eſſe uerſus hinc liquet: nec enim omnis uerſus eſt carmen. Per cola & commata.) id eſt,per membra & inciſa.

AD PAVLAM ET EVSTOCHIVM IN TRANSLATIONEM

Esaiæ ex Hebraica ueritate, præfatio.

NEmo cum prophetas uersibus uiderit esse descriptos, metro eos existimet apud Hebræos ligari, & aliquid simile habere de psalmis & operibus Solomonis: sed quod in Demosthene & in Tullio solet fieri, ut per cola scribantur & commata: qui utiq; prosa & non uersibus conscripserunt: nos quoq; utilitati legentiũ prouidentes, interpretationem nouam nouo scribendi genere distinximus. Ac primum de Esaia sciendum, quod in sermone suo disertus sit, quippe uir nobilis & urbanæ eloquentiæ: nec habens quicquam in eloquio rusticitatis admixtum: unde accidit ut præ cæteris florem sermonis eius, translatio non potuerit conseruare. Deinde etiam hoc adiiciendum, quod non tam propheta dicendus sit quàm euangelista. Ita enim uniuersa Christi ecclesiæq; mysteria ad liquidum prosequutus est: ut non putes eum de futuro uaticinari, sed de præteritis historiam texere. Vnde conijcio noluisse tunc temporis Septuaginta interpretes, fidei suæ sacramenta perspicue ethnicis prodere: ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent. Quæ cum hanc æditionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita. Nec ignoro quanti laboris sit prophetas intelligere: nec facile quempiam posse iudicare de interpretatione, nisi intellexerit ante quæ legerit: nos quoq; patere morsibus plurimorum, qui stimulante inuidia, quod consequi non ualent, despiciunt. Sciens ergo & prudens in flammam mitto manum: & nihilominus hoc à fastidiosis lectoribus precor, ut quomodo Græci post Septuaginta translatores Aquilam & Symmachum & Theodotionem legunt, uel ob studium doctrinæ suæ: uel ut Septuaginta magis ex collatione eorum intelligant: sic & isti saltem unum post priores habere dignentur interpretem. Legant prius & postea despiciant, ne uideantur non ex iudicio, sed ex odij præsumptione ignorata damnare. Prophetauit autem Esaias in Hierusalem & in Iudæa, necdum decem tribubus in captiuitatem ductis: ac de utroq; regno nunc cõmixtim, nunc separatim texit oraculum. Et cum interdum ad præsentem respiciat historiam: & post D
Babyloniæ captiuitatem reditum populi significet in Iudæam: tamen omnis eius cura de uocatione gentiũ, & de aduentu Christi est. Quem quãto plus amatis ò Paula & Eustochium, tanto magis ab eo petite: ut pro obtrectatione præsenti, qua me indesinenter æmuli laniant, ipse mihi mercedem restituat in futuro: qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, ne Iudæi de falsitate scripturarum ecclesijs eius diutius insultarent.

SEQVENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIVM

Hieremias propheta.) Et in hoc bona pars Hieronymiani laboris intercidit, nec uersuum manet distinctio: nec distinctio uisionum. Et Baruch additus est, quem ille prætermiserat.

HIERONYMI IN HIEREMIAM PRAEFATIO

HIeremias propheta, cui hic prologus scribitur, sermone quidem apud Hebræos Esaiæ & Osee, & quibusdam alijs prophetis uidetur esse rusticior, sed sensibus par est: quippe qui eodem spiritu prophetauerit. Porrò simplicitas eloquij, à loco ei in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathotites, qui est usq; hodie uiculus, tribus ab Hierosolymis distans milibus: sacerdos ex sacerdotibus, & in matris utero sanctificatus, uirginitate sua euangelicum uirum Christi ecclesiæ dedicans. Hic uaticinari exorsus est puer, & captiuitatem urbis atq; Iudææ non solum spiritu, sed & oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus Israel Assyrij in Medos transtulerant: iam terras earum coloniæ gentium possidebant. Vnde in Iuda tantum & in Beniamin prophetauit: & ciuitatis suæ ruinas quadruplici planxit alphabeto: quod nos mensura metri, uersibusq; reddidimus. Præterea ordinem uisionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarij eius, qui apud Hebræos nec legitur nec habetur, prætermisimus: pro his omnibus maledicta ab æmulis præstolantes: quibus me necesse est, per singula opuscula respondere. Et hoc patior, quia uos me cogitis. Cæterum ad compendium mali rectius fuerat modum furori eorum, silentio meo ponere, quàm quotidie noui aliquid scriptitantem, inuidorum insaniam prouocare.

A EZechiel propheta cum Ioachin rege Iuda captiuus ductus est in Babylonem, ibiq; his qui cum eo capti fuerant, prophetauit, pœnitentibus quod ad Hieremiæ uaticinium se ultro aduersarijs tradidissent: & uiderent adhuc urbem Hierosolymam stare, quam ille casuram esse prædixerat. Triceſimo autem ætatis suæ anno, & captiuitatis quinto, exorsus est ad concaptiuos loqui. Et eodem tempore, licet posterior, hic in Chaldæa, Hieremias in Iudæa prophetauerunt. Sermo eius nec satis diser-tus, nec admodum rusticus est, sed ex utroq; medie temperatus. Sacerdos & ipse fuit, sicut Hieremias: principia uoluminis & finem magnis habēs obscuritatibus inuoluta. Sed & uulgata eius æditio non multum distat ab Hebraico. Vnde satis miror, quid causæ extiterit, ut si eosdem in uniuersis libris habemus interpretes, in alijs eadem, in alijs diuersa transtulerint. Legite igitur & hūc iuxta translationem nostram: quoniam per cola scriptus & commata, manifestiorem legentibus sensum tribuit. Si autem amici mei & hunc subsannauerint, dicite eis, quod nemo eos compellat ut scribant. Sed uereor ne illud eis eueniat, quod Græce
1 significantius dicitur, ut uocentur phagolœdori, quod est manducantes senecias.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

1 VT uocentur phagolœdori.) Non paulo facilius est docere scripturam hanc nō carere meri do, quàm restituere quod deprauatum est. Primum si φαγολοίδορι compositum est ex φαγεῖν & λοιδορία, ne consistit quidem compositio: neq; enim dicimus φαγόλωτος, sed λωτοφάγος. Iam quod adiectum est, quod est manducantes senecias, palam est ab Hieronymo non fuisse asscriptum, sed ab alio quopiam Græce perito, qui subito quod scriptum offendit, uertit utcunq;. Deinde scriba quispiam ex conuicijs fecit senecias. Pudet enim referre quid hic nugentur interpretes de senecijs: quibus senecia in plures uertitur formas quàm apud poetas Empusa. Senecia im mundum est animal, senecia labium senis, senecia rubrum illud quod est sub aure piscis: sic enim illi loquuntur: senecia labia corrosa, senecia illusa piscium, quod equidem quid sit non intelligo: senecia sa-
B liua defluens per genas, quasi uero ex oculis defluat saliua. Verum his nihil interest inter mentum & genam, imò ne inter uentrem quidem & caput. Senecia mus est, sed immundus: senecia herba est. At quanto simplicius erat dicere, nescio, quàm ad hunc nugari modum? Nam quod Plinius meminit herbæ senecionis, quæ Græce dicatur erigeron, non uideo quid pertineat ad λοιδορίαν, quæ uox & ipsa Græca est. Proinde quod unum licet, quandoquidem exemplaria uetusta nihil opitulantur, conijcio scriptum fuisse φιλολοίδορι, quibus studio est calumniari & carpere, uelut id suo morbo faciant, non merito aliorum.

DIVI HIERONYMI IN DANIELEM PRAEFATIO

DAnielem prophetam, iuxta Septuaginta interpretes, domini saluatoris ecclesiæ nō legunt, utentes Theodotionis æditione: & hoc cur acciderit, nescio. Siue quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus à nostro eloquio discrepat: noluerunt Septuaginta interpretes easdem linguæ lineas in translatione seruare: siue sub nomine eorum ab alio, nescio quo, non satis Chaldæam linguam sciente, æditus est liber: siue aliud quid causæ extiterit ignorās: hoc unum affirmare possum, quod multum à ueritate discordet, & recto iudicio repudiatus sit. Sciendum quippe est Danielem ma
1 xime & Esdram Hebraicis quidem literis, sed Chaldæo sermone conscriptos, & unam Hieremiæ pericopen, Iob quoq; cum Arabica lingua plurimam habere societatem. Deniq; & ego adulescentulus post Quintiliani & Tullij lectionem ac flores rhetoricos, cum me in linguæ huius pistrinum recluſissem: & multo sudore, multoq; tempore uix cœpissem anhelantia stridentiaq; uerba resonare: & quasi per cryptam ambulans, rarum desuper lumen aspicerem, impegi nouissime in Danielem: & tanto tædio affectus sum, ut desperatione subita, omnem laborem ueterem uoluerim contemnere. Verum adhortante me quodam Hebræo, & illud mihi crebrius in sua lingua ingerente, labor omnia improbus uincit: qui mihi uidebar sciolus inter Hebræos, cœpi rursus esse discipulus Chaldaicus. Et ut uerum fatear, usq; ad præsentem diem magis possum sermonem Chaldaicum legere & intelligere quàm sonare. Hæc idcirco refero, ut difficultatem uobis Danielis ostenderem: qui apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconis fabulas, quas

nos,quia in toto orbe diſperſæ ſunt,ueru antepoſito easq; iugulante ſubiecimus, ne uidere- C
mur apud imperitos magnam partem uoluminis detruncaſſe.Audiui ego quendam de præ 2
ceptoribus Iudæorum,cum Suſannæ derideret hiſtoriam:& à Græco, neſcio quo,eam dice-
ret eſſe cõfictam,illud opponere, quod Origeni quoq; Aphricanus oppoſuit, etymologias
has ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσαι,καὶ ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσαι, de Græco ſermone deſcẽdere.Cuius rei nos
intelligentiã noſtris hanc poſſumus dare:ut uerbi gratia,dicamus, de arbore ilice dixiſſe eũ,
ilico pereas:& à lentiſco,in lentem te cõminuat angelus:uel non lente pereas,aut lentus,id eſt
flexibilis ducaris ad mortem:ſiue aliud quid ad arboris nomen conueniens.Deinde tantum
fuiſſe octũ tribus pueris cauillabatur,ut in camino æſtuãtis incendij metro luderent,& per or-
dinem ad laudem dei omnia elementa prouocarent. Aut quod miraculum diuinęq; aſpira-
tionis indicium,uel draconem interfectum offa picis, uẽl ſacerdotum Belis machinas depre-
henſas: quæ magis prudentia ſolertis uiri,quàm prophetali eſſent ſpiritu perpetrata? Cum 3
uero ad Habacuk ueniret, & de Iudæa in Chaldæam raptum diſcophorum lectitaret,quæ-
rebat exemplum,ubi legiſſemus in toto ueteri teſtamento,quenquã ſanctorum graui uolaſ-
ſe corpore:& in puncto horę tanta terrarum ſpacia tranſiſſe.Cui cum quidam è noſtris ſatis
ad loquendum promptulus,Ezechielem adduxiſſet in medium:& diceret eum de Chaldæa
in Iudæam fuiſſe translatum,riſit hominem: & ex ipſo uolumine demonſtrauit Ezechielem
in ſpiritu ſe uidiſſe tranſpoſitum:Denicq; & Apoſtolum noſtrũ,uidelicet ut eruditum uirum,
& qui legem ab Hebræis didiciſſet,non fuiſſe auſum affirmare ſe raptum in corpore, ſed di-
xiſſe: Siue in corpore, ſiue extra corpus,neſcio, deus ſcit.His & talibus argumentis apocry-
phas in libro eccleſiæ fabulas arguebat. Super qua re lectoris arbitrio iudiciũ derelinquens,
illud admoneo,non haberi Danielem apud Hebræos inter prophetas, ſed inter eos,qui ha
giographa conſcripſerunt.In tres ſiquidem partes omnis ab eis ſcriptura diuiditur:in legem,
in prophetas,& in hagiographa, id eſt,in quinq;, & octo,& in undecim libros: de quo non
eſt huius temporis diſſerere. Quæ autem ex hoc propheta,imò cõtra hunc librum Porphy D
rius obijciat: teſtes ſunt Methodius, Euſebius & Apollinarius, qui multis uerſuum milibus
eius ueſaniæ reſpondentes,neſcio an curioſo lectori ſatisfecerint. Vnde obſecro uos,ò Paula
& Euſtochium, fundatis pro me ad dominũ preces:ut quamdiu in hoc corpuſculo ſum,ſcri-
bam aliquid gratum uobis,utile eccleſiæ,dignum poſteris.Præſentium quippe iudicijs obla
trantium non ſatis moueor,qui in utranq; partem aut amore labuntur aut odio.

PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

1 T unam Hieremiæ pericopen.) A περικόπτω reſeco,quod ea pars reſecta ſit à reliquo corpo
re prophetiæ. Qui apud Hebræos.) Mirũ quod Hieronymus ueru iugulat, id nunc paſ-
ſim legitur & canitur in templis,ceu res in primis ſancta. Tanto plus ualet cõſuetudo multi
tudinis imperitæ, cũ hominis eruditi iudicium. Imò nullo delectu legimus de Bel dracone,
quam Hieronymus non ueritus eſt appellare fabulã:nec additurus,ni ueritus fuiſſet,ne bonam uolumi
nis partẽ detruncaſſe uideretur: ſed apud quos tandẽ? Apud imperitos, inquit ipſe.Sic ubi cõmodum
eſt,quiduis apud nos ualet Hieronymi autoritas:ubi non eſt cõmodum,ne tantulũ quidem ualet:ac po
ſtea nos ut parum credulos damnant, cum nulli minus recte credant cũ iſti qui quiduis credunt. Au 2
diui ego quendã.) Hunc locum inter cætera crimina Ruffinus obijcit Hieronymo: ad quod tamen ille
ſatis oblique uafreq; reſpondet. Quod ad Græcã etymologiã attinet,abſurdũ eſt in libro,quem Hebrai
ce Chaldaiceq; ſcriptũ uideri uelis,adducere Græcam etymologiã,quæ non ſemper reſpondet in omni
lingua:ueluti ſi quis dicat,non debent eſſe in eadem menſa, qui nõ ſint eiuſdẽ mentis: nimirum eadem
alluſio non reſpondet in uerbis Græcis, πράπεζα & νοῦς. Porrò σχῖνος lentiſcus eſt arbor,unde cuſpi-
des fiunt, aptæ purgandis dentibus, & σχίζω ſcindo Græcis eſt. Ad Græcam igitur uocem alluſit Da-
niel,cum ait:Ecce enim angelus dei accepta ſententia ab eo, ſcindet te mediũ.Et πρῖνος ilicis eſt genus,
& Græcis πρίω ſonat ſeco. Huc igitur alluſit Daniel cum ait: Manet enim angelus dei gladiũ habens,
ut ſecet te medium. Cæterum ea uocum alluſio,quoniã non reſpondet in ſermone Chaldaico,nimirum
conſtat,hoc eſſe Græci ſcriptoris commentum. Diſcophorum.) δισκοφόρου, quod diſcum adferret. 3

IN SEQVENTEM PRAEFATIONEM SCHOLIA

Et Oſee ſynchronon Eſaiæ.) σύγχρονοι qui iiſdem uixere temporibus,quaſi dicas cõtemporaneos. 1
Extrema prophetarum minorum argumenta decerpta ſunt ex epiſtola,Frater Ambroſius.

HIERONYMI

A NOn est idem ordo duodecim prophetarum apud Hebræos, qui est apud nos. Vnde secundum id quod ibi legitur, hic quoq; dispositi sunt. Osee commaticus est,& quasi per sententias loquens. Iohel planus in principijs, in fine obscurior & usq; ad Malachiam habent singuli proprietates suas, quem Esdram scribam, legisq; doctorem Hebræi autumant. Et quia longum est nunc de omnibus dicere, hoc tantum uos ò Paula & Eustochiũ admonitas uolo: unum librum esse duodecim prophetarum; 1 & Osee synchronon Esaiæ: Malachiam uero Aggei & Zachariæ fuisse temporibus. In quibus autem tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus & hi qui ante eos habent titulos,prophetauerunt.

Cætera in minores prophetas argumenta, partim quod nihil habeãt difficultatis, partim quod ex prima decerpta sint epistola,nonnullis etiam incertũ autorem præferentibus, non curauimus adijcere.

HIERONYMI IN IOHELEM PRAEFATIO

SAnctus Iohel apud Hebræos post Osee ponitur.Et sicut ibi sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur uaticinium, uel quæ Samaria uel Israel sæpe memorantur:sic in hunc prophetam omne quod dicitur,ad tribum Iuda & ad Hierusalem pertinere credendum est:& nullã omnino Israelis,id est,decem tribuum in hoc fieri mentionẽ. Tempora quoq; quibus prophetauit,eadem debemus accipere, quæ in Osee legimus, in diebus Oziæ,Ioathan & Achaz, & Ezechiæ regum Iuda: & in diebus Hieroboam filij Ioas regis Israel. Porrò factum esse sermonem domini,ad meritum eius refertur cui fit:non ad conditionem eius qui fieri dicitur, ut alibi legimus: Dominus factus est mihi in salutem. Auditus autem in scripturis sanctis non est iste qui ad aures sonat, sed qui corde percipitur:iuxta illud quod dominus loquitur in euangelio: Qui habet aures audiendi,audiat. Quod autem dicitur Hebraice haazenu הַאֲזִינוּ Græce γνωτίσασθαι, & Latine sonat,auribus percipite: proprie non aure,sed corde percipitur. Qui senes sunt & cœlestes, au- 2 diunt spiritualiter: qui autem habitãt in terra,appellanturq; terreni,auribus percipiunt. Vbicunq; autem hæc duo uerba iuncta ponuntur,nõ ad simplicem tantum uerborũ sonum,sed ad reconditam quoque dictorum intelligentiam pertinere intelligendum est. In Genesi Lamech loquitur ad uxores suas,Ada & Sella:Audite uerba mea uxores Lamech:auribus percipite sermones meos: quia uirum occidi in uulnus meum, & iuuenẽ in liuore meo.Et Esaias: Audite cœli,& auribus percipe terra.

HIERON. IN QVATVOR EVANGELIA AD DAMASVM PRAEFATIO

NOuum opus me facere cogis ex ueteri,ut post exemplaria scripturarum toto orbe dispersa,quasi quidam arbiter sedeam: & quia inter se uariant, quæ sint illa quæ cum Græca consentiant ueritate,decernam. Pius labor, sed periculosa præ- 1 sumptio,iudicare de cæteris ipsum ab omnibus iudicandum: senis mutare linguam,& canescentem iam mundum ad initia retrahere paruulorum. Quis enim doctus pariter uel indoctus,cum in manus uolumen assumpserit: & à saliua quam semel imbibit uiderit discrepare quod lectitat:non statim erumpat in uocem,me falsarium,me clamitans esse sacrilegum,qui audeam aliquid in ueteribus libris addere, mutare, corrigere. Aduersus quam inuidiam duplex causa me consolatur:quod & tu qui summus sacerdos es, fieri iubes: & uerum non esse quod uariat,etiam maledicorum testimonio comprobatur. Si enim Latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria penè quot codices. Sin autem ueritas est quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem reuertẽtes,ea quæ uel à uitiosis interpretibus male reddita: uel à præsumptoribus imperitis emendata peruersius, uel à librarijs dormitantibus aut addita sunt aut mutata, corrigimus? Neq; uero ego de ueteri disputo instrumẽto,quod à Septuaginta senioribus in Græcam linguam uersum tertio gradu ad nos usq; peruenit. Non quæro quid Aquila, quid Symmachus sapiant: quare Theodotion inter nouos & ueteres medius incedat. Sit illa uera interpretatio, 2 quam apostoli probauerunt. De nouo nunc loquor testamento, quod Græcum esse non

dubium eſt,excepto apoſtolo Matthæo,qui primus in Iudæa euangelium Chriſti Hebraicis literis ædidit.Hoc certe cum in noſtro ſermone diſcordat, & in diuerſos riuulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum. Prætermitto eos codices, quos à Luciano & Heſychio nuncupatos paucorum hominum aſſerit peruerſa contentio: quibus utiq; nec in toto ueteri inſtrumento poſt Septuaginta interpretes emendare quid licuit, nec in nouo profuit emendaſſe: cum multarũ gentiũ linguis ſcriptura ante translata doceat falſa eſſe quæ addita ſunt. Igitur hæc præſens præfatiuncula pollicetur, quatuor tantũ euangelia, quorũ ordo eſt iſte: Matthæus,Marcus, Lucas, Ioannes: codicũ Græcorũ emendata collatione: ſed & ueterum, nec quæ multum à lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent. Ita calamo temperauimus, ut his tantum quæ ſenſum uidebantur mutare, correctis: reliqua manere paterentur ut fuerant. Canones quoq; quos Euſebius Cæſarienſis epiſcõpus,Alexandrinum ſequutus Ammonium,in decem numeros ordinauit: ſicut in Græco habentur, expreſſimus.Quod ſi quis de curioſis uoluerit noſſe, quæ in euangelijs uel eadem,uel uicina, uel ſola ſint, eorum diſtinctione cognoſcet. Magnus ſiquidem hic in noſtris codicibus error inoleuit,dum quod in eadem re alius euangeliſta plus dixit:in alio quia minus putauerint, addiderunt: Vel dum eundem ſenſum alius aliter expreſſit, ille qui unum è quatuor primum legerat, ad eius exemplum cæteros quoq; exiſtimauerit emendandos. Vnde accidit ut apud nos mixta ſint omnia: & in Marco plura Lucæ atq; Matthæi, rurſus in Matthæo plura Ioannis & Marci, & in cæteris reliquorum quæ alijs propria ſunt, inueniantur. Cum itaq; canones legeris, qui ſubiecti ſunt, confuſionis errore ſublato,& ſimilia omnium ſcies, & ſingulis ſua quæq; reſtitues. In canone primo concordant quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, In ſecundo tres, Matthæus, Marcus, Lucas.In tertio tres,Matthæus,Lucas,Ioannes.In quarto tres, Matthæus, Marcus,Ioannes. In quinto duo, Matthæus, Lucas. In ſexto duo, Matthæus, Marcus. In ſeptimo duo, Matthæus, Ioannes.In octauo duo,Lucas,Marcus.In nono duo, Lucas, Ioannes. In decimo propria quiq; quæ non habentur in alijs ædiderunt.Singulis uero euangelijs ab uno incipiens uſq; ad finem librorum, diſpar numerus accreſcit. Hic nigro colore præſcriptus, ſub ſe habet alium ex minio diſcolorem numerum, qui ad decem uſq; procedens, indicat, prior numerus in quo ſit canone requirendus. Cum ergo aperto codice (uerbi gratia) illud ſiue illud capitulum ſcire uolueris cuius canonis ſit: ſtatim ex ſubiecto numero doceberis: & recurrens ad principia, in quibus canonum eſt diſtincta congeries:eodemq; ſtatim canone ex titulo frontis inuento, illum quem quærebas numerum, eiuſdem euangeliſtæ, qui & ipſe ex inſcriptione ſignatur, inuenies: atq; è uicino cæterorum tramitibus inſpectis, quos numeros è regione habeant, annotabis: cum ſcieris,recurres ad uoluminа ſingulorum: & ſine mora repertis numeris, quos ante ſignaueras, reperies & loca in quibus uel eadem uel uicina dixerunt. Sciendum tamen, ne quis ignarum ex ſimilitudine numerorum error inuoluat, quod ſicubi in ſubnotatione canonum diſtinctorum in canone quolibet tres euangeliſtæ bis, ter uel quater, aut etiam amplius eundem numerum per ordinem habuerint annotatum, & quartus econtrario, diſcrepantes, quod id tres illi in eo loco ſemel dixerint, quartus toties in corpore uoluminis ſui ponat, quoties diuerſi numeri in eius canone poſiti ſtant contra prædictorum numerorum continuatas ſimilitudines. Item ſi in uno quolibet eorum aut etiam duobus,idem in canone numerus bis,ter, & quater,aut eo amplius reperiatur in ordine collocatus, & diſpares inueniantur in cæteris: dubium non erit, quin id quod illius illorũm ue canonis numerus bis terq; repetitum ab his in uolumine ſemel dictum eſſe oſtendit: alter alteriue eorum toties uno atq; eodem ſenſu loquantur, quoties prætulerint in numerorũ annotatione diſtantiam. Et hoc in omnium nouem canonum collatione ſeruabitur. Cæterum in decimo (quoniam propria ſingulorum tantummodo continentur) non poteſt contra id comparatio eſſe quod ſolum eſt. Opto ut in Chriſto ualeas, & memineris mei papa beatiſſime.

FINIS

A PRAECEDENTIS PRAEFATIONIS SCHOLIA

1 Senis mutare linguam.) Cum ad omnia magis docilis est pueritia quàm senectus, tum facillime lin guam ea ætas arripit, quod seni difficillimum est. Vnde prouerbium: Senex psittacus negligit ferulam.

Et à saliua quam semel imbibit.) Saliuam appellat gustum & animi iudicium: metaphora sumpta à nutricibus, quæ præmansum cibum pueris in os inserunt, cui assueti, recusant ab alio præmansum.

2 Nec omnino gustus est, nisi lingua contingat palatũ interueniente saliua. Quod Græcum esse.) Mirum, de epistola ad Hebræos nullam fieri mentionem. Cæterum hæc præfatio declarat, Hieronymum euangelia, quæ apud Latinos diuersissimis ac deprauatissimis exemplaribus habebantur, ad Græcorum uoluminum eorumq; ueterum fidem emendasse. Qui labor si extaret incorruptus, fortasse nõ perinde fuisset opus nostra collatione. Et tamen opus erat aduersus librariorum deprauationes. Illud annotandum, quod Damasum summum sacerdotem uocat, non summum pontificem: quasi præferat eum cæteris presbyteris, non cæteris episcopis. Verũ ea res nihil haberet magnæ laudis: sed Hieronymus hic blanditur Damaso. Vnde probabilius est, quod sacerdotem appellarit episcopũ, quasi dicat primæ dignitatis episcopum. Siquidem iam tum illo seculo non mediocris erat Romani pontificis autoritas.

Censura præfationis in Marcum.

Marcus euangelista.) Stilus arguit hanc præfationem non esse Hieronymi, licet eruditam esse fatear, sed è Græco translatam apparet. Et consentaneum est, Hieronymum unica præfatione fuisse contentum in quatuor Euangelia.

Censura præfationis in Lucam.

Lucas Syrus. De hac nemo dubitabit, quin è Græco sermone translata sit, qui uel illa legerit planè Græca, etiã cum sint Latina: Cui ideo post baptismũ filij dei, à perfectione generationis in Christo completæ, repetendæ à principio natiuitatis humanæ potestas permissa est: ut requirentibus demonstraret in quo apprehendens erat, per Nathan filiũ Dauid, introitu recurrẽtis in deũ generationis admisso indisparabilis dei &c. Quæso te lector, quis Græcus potuit dicere magis Græce, q̃m hic dixit Latinus.

Censura præfationis in Ioannem,

Hic est Ioãnes.) Nec hãc opinor esse Hieronymi. Argumẽta cætera, quoniã nihil habẽt quod scholijs sit explicandũ: deinde incertũ cuius sint, omisimus. Adiecimus his uelut auctariũ, annotatiunculas aliquot in reliquas diui Hieronymi præfatiões. Id quicq; d est, quoniã lucro accedit, boni cõsules lector.

B In præfatione secundi libri in Osee.

Amasinios ac Rabirios.) Legendũ arbitror, Asinios ac Rabirios: Nam Asinius Pollio fuit infensus ingenio Ciceronis. Subest autem tacita allusio, ad asinum & rabiem maledicentiæ: sentit enim de Ruffino & illius fautoribus. Hydramq; & scorpium.) Allusit ad fabulam Herculis, qui eodem tempore depugnauit aduersus hydram Lerneam, & cancrum qui hydræ uenerat auxilio. Alterum refert ad Ruffinum, alterum ad Palladium illius adiutorem. Aduras cauterio.) Allusit ad illud, quod Hercules igni Græco exusserit hydram, & scorpij soleis obteruntur. Nam cancer ille pedem Herculis momorderat, quem obtriuit excitus dolore. Virens sylua.) Respexit ad Homericam collationem, qua genus hominum foliis arborum comparat, quod alijs defluentibus alia succedunt.

In præfatione Iohel.

Spiritalẽ nobis ψαλτὴν.) Id est, suffragatorem. Cæterũ quid hoc ad uenena scorpij? Nos in uetusto quodã exẽplari, quod præbuerat bibliotheca monasterij sancti Blasij, scriptũ reperimus Græcis ac Latinis literis Psyllea. Cõstat aũt Psyllos fuisse Libyæ populos: quibus hoc natura datũ est, ut nõ solũ ipsi non lædãtur à serpentibus, uerũ etiam ab alijs qui morsi fuerint, uenenũ exugant. Vnde ψυλλέα uocat Pammachium, quod ψυλλύει, id est, Psyllũ quendã agat, succurrens aduersus obtrectatorum uenena.

In præfatione tertij libri commentariorum in Amos.

φιλοπονωτάτοις.) Id est, maxime industrijs & laborioſis, quod miro studio feruerent cognitionis diuinæ. προσφώνησα.) Id est, promisi siue dedicaui. Vtitur hoc uerbo M. Tullius aliquoties in Epist.

In præfatione in Micheam.

ῥοπάλῳ cõtũdere.) ῥόπαλος Græce claua, atq; id fuit Herculis gestamẽ, q̃ uicit hydrã multorũ capitũ.

Ex præfatione decimi libri in Esaiam.

In suo pure moriturum.) Plericq; codices habebant, in suo puluere. At ex fide uetustissimorum codicum restituimus pure, hoc est ueneno. Sic Horatius: Rupili pus atq; uenenum.

Ex præfatione duodecimi.

Milesias fabellas.) Milesias uocat molles ac lasciuas, id quod explicauit copiosissime politissimus ille Politianus in suis Miscell. & nos nõnihil attigimus in prouerbio: Domi nõ hic Milesia. Grunnij Corocottæ.) Ridiculũ fuit argumentũ de testamẽto porci, quod hodieq; extat. Quale est & Plutarchi de Gryllo. Luscius Lauinius.) Hic fuit obtrectator Terentij, sub cuius nomine notat Ruffinum.

Ex præfatione libri tertij in Hieremiam.

Per Alpinũ canem.) Allusit ad Cerberũ, quẽ Hercules extraxit ab inferis: ex cuius spuma cautibus

excepta natũ eſt aconitũ. Vnde & Alpinũ uocat,quod illic ſint maximi ac ferociſſimi. Scotticæ gen
tis.) Quæ humanis ueſcebaꝰ carnibus. Sentit aũt de Palladio, quẽ Ruffinus ſubornarat in Hieronymum. Percutiẽdus eſt clauo.) Lege claua,ut accipias de claua Herculis,qui ſolus domuit Cerberum.

Ex præfatione primi commentarij in Ezechielem.

Scorpiuſq; inter Enceladum & Porphyrium.) Velut ænigmate notauit Ruffinum, & huius adiutores. Enceladus & Porphyrius gigantes erant, aggreſſi Iouem deturbare cœlo: hi fulmine deiecti ſub Aetna monte Siciliæ, quæ à figura trium promontorium Trinacria dicta eſt, premuntur. Porrò ſcorpius clam molitur perniciem. Et haud ſcio, an tecte alluſerit ad Porphyrium philoſophum, quem in Sicilia uixiſſe, & aduerſus Chriſtianos ſcripſiſſe legimus.

Ex præfatione Danielis.

Quoſdã μεμψιμοίρους.) Id eſt, querulos, & quibus nunq; fit ſatis: uerbũ eſt frequẽs apud Lucianum.

HIERONYMO DAMASVS ROMANVS EPISCOPVS

DOrmientem te longo iam tempore, legentem potius quàm ſcribentem, quæſtiunculis ad te miſſis excitare diſpoſui: non quo & legere non debeas, hoc enim ueluti quotidiano cibo alitur & pingueſcit oratio: ſed quo lectionis ſit fructus iſte ſi ſcribas. Itaq; quoniam & heri tabellario ad me remiſſo, nullas iam te epiſtolas habere dixiſti: exceptis his, quas aliquando in eremo dictaueras, quasq; tota auiditate legi atq; deſcripſi: & ultro pollicitus es te furtiuis noctium operis aliqua ſi uellem poſſe dictare, libenter accipio ab offerente quod rogare uolueram, etiam ſi negaſſes. Neq; uero ullam puto digniorem diſputationis noſtræ confabulationem fore, quàm ſi de ſcripturis ſermocinemur inter nos: id eſt, ut ego interrogem, tu reſpõdeas. Qua uita nihil puto in hac luce iucundius, quo animæ pabulo omnia mella ſuperantur. Quàm dulcia (inquit propheta) gutturi meo eloquia tua ſuper mel ori meo. Nam cum idcirco (ut ait præcipuus orator) homines à beſtijs differamus, quod loqui poſſumus: qua laude dignus eſt, qui in ea re cæteros ſuperat, in qua homines beſtias antecellunt? Accingere igitur & mihi quæ ſubiecta ſunt ediſſere, ſeruans utrobiq; moderamen, ut nec propoſita ſolutionem deſiderent, nec epiſtola breuitatem. D
Fateor quippe tibi, eos quos mihi iam pridem Lactantij dederas libros, ideo non libenter lego: quia & plurimæ epiſtolæ in eis uſq; ad mille ſpacia uerſuum tenduntur, & raro de noſtro dogmate diſputant: quo fit, ut & legenti faſtidium generet longitudo: & ſi qua breuia ſunt, ſcholaſticis magis ſint apta, quàm nobis, de metris & regionum ſitu & philoſophis diſputantibus. Quid ſibi uult quod in Geneſi ſcriptũ eſt: Omnis qui occiderit Cain, ſeptem ũindictas exoluet. Si omnia deus fecit bona ualde, quare Noe de mundis & immundis animalibus præcepit, cum immundum nihil bonum eſſe poſſit? Et in nouo teſtamento poſt uiſionem quæ Petro fuerat oſtenſa dicenti: Abſit domine à me, quoniam cõmune & immundum nunquam introiuit in os meum: uox de cœlo reſpondit: Quod deus mundauit, tu ne commune dixeris. Cur deus loquitur ad Abraham, quod quarta progenie filij Iſrael eſſent de Aegypto reuerſuri, & poſtea Moyſes ſcribit: Quinta autem progenie filij Iſrael exierunt de terra Aegypti: quod utiq; niſi exponatur, uidetur eſſe contrariũ. Cur Abraham fidei ſuæ ſignum in circunciſione ſuſcepit? Cur Iſaac uir iuſtus, & deo charus, non illi cui uoluit, ſed cui noluit deceptus errore benedixit?

SEQVENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

Αὐτοσχεδίασι ibi confeſtim.) αὐτοσχεδιάζω, id eſt, ruditer, ex tempore, & impræmeditate rem tracto. Vnde αὐτοσχεδίασι aduerbium tumultuanter, & ruditer. Propter hoc uerbum non intellectum, in pleriſq; codicibus aliquot uerba fuerãt omiſſa, quę ex peruetuſtis exemplaribus reſtituimus. 1
In quarto Pauli ad Romanos homo.) Sic habent exemplaria pleraq; : uerum pro homo reponenda ſunt duo uerba: ad Romanos ἐξηγήσεων τόμῳ, id eſt, enarrationum tomo, ſiue ſectione. Nam quædam opuſcula ſua uocauit τόμους, quædam ὁμιλίας. 2
Antelatis itaq; problematibus.) Id eſt, propoſitis in fronte quæſtionibus. Id enim ſignificat problema. πρόβλημα à προβάλλω propono. 3

Ex prima quæſtione.

Cataclyſmum.) Id eſt, inundationem, ſiue diluuium, κατακλυσμόν.

Ex ſecunda quæſtione.

Ita tranſtulit.) καὶ φοσπλισάμενοι ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ ἰσραὴλ ἐκ γῆς αἰγύπτου.

Hieronymus

POſtq̃ epiſtolam tuæ ſanctitatis accepi,confeſtim accito notario, ut exciperet im/peraui,quo ad officium prę̃parato,quod eram uoce prompturus,ante mihi cogi/tatione pingebam.Interim tamen & ego linguã,& ille articulũ mouebamus, cum ſubito Hebræus interuenit,deferens non pauca uolumina,quæ de ſynagoga quaſi lecturus acceperat.Et ilico:habes,inquit,quod poſtulaueras: mecq̃ dubium & quid facerem neſcien/tem,ita feſtinus exterruit,ut omnibus prætermiſſis ad ſcribendum tranſuolarem: quod qui/dem uſq̃ ad præſens facio.Verũ quia heri diacono ad me miſſo,ut tu putas epiſtolã, ut ego ſentio,cõmentarium te expectare dixiſti,breuem reſponſionẽ ad ea deſiderans,quæ ſingula magnorum uoluminũ prolixitate indigent, αὐτοσχεδίασὶ & ibi confeſtim diſcuſſi,duabus tantũ quæſtiunculis prætermiſſis:nõ quo non potuerim & ad illas aliquid reſpondere, ſed quod ab eloquentiſſimis uiris,Tertulliano noſtro ſcilicet & Nouatiano,Latino ſermone ſint ę̃ditę̃:& ſi noua uoluerimus afferre,ſit latius diſputandũ. Certe expecto quid placeat:utrum ne epiſtolari breuitate ſententias tibi uelis digeri,an ſingulorũ libros confici.Nam Origenes in quarto Pauli ad Romanos ἡγησίστωρ τόμῳ de circunciſione magnifice diſputauit: & de mundis atq̃ immũdis animalibus in Leuitico plura diſſeruit:ut ſi ipſe inuenire nihil poſſem, de eius tamen fontibus mutuarer:& ut uerius loquar, Didymi de ſpiritu ſancto librũ in ma/nibus habeo,quem tranſlatum tibi cupio dedicare:ne me exiſtimes tantummodo dormita/re,qui lectionem ſine ſtilo ſomnum putas.Antelatis itaq̃ problematibus, quæ epiſtolæ tuæ ſubieceras,quid mihi uideretur annexui,ueniam poſtulans, & feſtinationis pariter & mora/rum. Feſtinationis, quia ad unam lucubratiunculam dictare uoluerim multorum opus die/rum. Tarditatis,quia alio opere detentus,non ſtatim ad interrogata reſcripſi.

Prima quæſtio.

QVid ſibi uult quod in Geneſi ſcriptum eſt: Omnis qui occiderit Cain, ſeptem uindictas exoluet.Antequam de quæſtione aliquid dicamus, rectum uidetur, ut æditiones interpretum ſingulorũ cum ipſo Hebraico cõferentes ſermone, di/geramus,quo facilius ſcripturę̃ ſenſus poſſit intelligi וַיֹּאמֶר לוֹ יְיָ לָכֵן כָּל הוֹרֵג קַיִן שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם Vaiomer lo adonai lachen col horeg Cain ſibathaim iucam. Aquila. Et dixit ei dominus: Propterea omnis qui occiderit Cain, ſeptempliciter ulciſcetur. Symma/chus:Et dixit ei dominus:Non ſic, ſed omnis qui occiderit Cain, hebdomada ſiue ſeptimus uindicabitur.Septuaginta & Theodotion:Et dixit ei dominus: Non ſic, ſed omnis qui occi/derit Cain,ſeptem uindictas exoluet. Poſtquam Cain occiderat fratrem,interrogatus à do/mino:Vbi eſt Abel frater tuus?contumelioſe reſpondit: Neſcio: nunquid cuſtos fratris mei ſum?Quamobrem maledictione damnatus,ut gemens & tremens uiueret ſuper terram:no/luit ueniam deprecari, ſed peccatis peccata cõgeminans, tantum putauit nephas cui à domi/no non poſſet ignoſci.Deniq̃ reſpondit domino:Maior eſt cauſa mea,quàm ut dimittar: id eſt, plus peccaui, quàm ut merear abſolui.Ecce eĳcis me hodie à facie terræ,& à facie tua ab/ſcondar, & ero gemens & tremens ſuper terram:& erit omnis qui inuenerit me, occidet me. Eĳcior,inquit,à conſpectu tuo,& conſcientia ſceleris tremebundus,lucem ipſam ferre non ſu/ſtinens,abſcondar ut latitem:eritq̃ omnis qui inuenerit me,occidet me: dum ex tremore cor poris & furiatę̃ mentis agitatu,eum eſſe intelligit,qui mereatur interfici. Verum deus nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradens pœnæ, qua ſeipſe damnarat, ait: Non ſic,id eſt,non ut exiſtimas morieris,& mortem pro remedio accipies:uerum uiues uſq̃ ad ſe/ptimam generationem, & conſcientiæ tuæ igne torqueberis: ita ut quicunq̃ te occiderit, ſe/cundum duplicem intelligentiam,aut in ſeptima generatione,aut ſeptimo te liberet cruciatu. Non quod ipſe qui occiderit Cain,ſeptem ultionibus ſubĳciendus ſit:ſed quod ſeptem uin/dictas, quæ in Cain tanto tempore cucurrerunt, ſoluat interfector, occidens eum qui uitæ fuerat derelictus ad pœnam. Vt autem quod dicimus manifeſtius fiat, quotidianæ conſue/tudinis ponamus exemplum. Loquitur inter uerbera ſeruus ad dominum: quia incendi

domum

domum tuam,& uniuerſam ſubſtantiam tuam diſſipaui, interfice me. Dominusq; reſpon-
det: Non ut uis,morieris, & finies morte ſupplicia: uerum longo tempore cuſtodieris ad ui-
tam:& tam infeliciter in hac luce uerſaberis,ut quicunq; te occiderit,beneficium præſtet occi-
ſo:dum te de tam multis liberet cruciatibus: & ſecundū Septuaginta quidem æditionem hic
ſenſus nobis uidetur.De eo aūt quod Aquila poſuit,ſeptempliciter:& Symmachus,hebdo-
mada ſiue ſeptimus ulciſcetur:maiorū noſtrorū iſta ſententia eſt, quod putent in ſeptima ge
neratione à Lamech interfectū Cain.Adā quippe genuit Cain. Cain genuit Enoch. Enoch
genuit Irad.Irad genuit Mahiuael.Mahiuael genuit Mathuſalem, Mathuſalem genuit La-
mech,qui ſeptimus ab Adam,non ſponte(ut in quodā Hebræo uolumine ſcribitur) interfe-
cit Cain:ut ipſe poſtea cōfitetur,quia uirū occidi in uulnere meo, & iuuenem in liuore meo:
quoniā ſepties uindicabitur de Cain:de Lamech aūt ſeptuagies ſepties.Hoc quidē de Cain,
quod in ſeptima generatione à Lamech interfectus ſit, & iuxta aliam æditionē pœnam ſui
ſceleris dederit:quod tot generationibus gemens & tremens uiueret ſuper terrā. Nihil obſcu
ri arbitror remanſiſſe. Nunc illud quod non interrogaueras,dum aliud agimus,irrepit,quæ
ſint ſeptuagintaſeptem uindictæ, quæ in Lamech exoluendæ ſunt. Aiūt ab Adam uſq; ad
Chriſtum generationes ſeptuagintaſeptem.Lege Lucam Euangeliſtam,& inuenies ita eſſe,
ut dicimus.Sicut ergo ſeptima generatione Cain peccatum eſt diſſolutum,non enim uindi-
cabit deus bis in idipſum: & qui ſemel recepit mala in uita ſua, non eoſdē cruciatus patietur
in morte,quos eſt paſſus in uita:ita & Lamech peccatum,id eſt,totius mundi atq; ſanguinis
qui effuſus eſt, Chriſti ſoluetur aduentu: qui tulit mundi peccata, qui lauit amictum ſuum
in ſanguine uuæ, & torcular calcauit ſolus: qui de Edom ad cœlum rubicundus aſcendens,
clamantibus angelis miraculū præbuit: Eleuate portas principes ueſtras, & introibit rex glo
riæ.&c. Referebat mihi quidam Hebræus in apocryphorum libris ſeptuagintaſeptem ani-
mas ex Lamech progenie reperiri,quæ diluuio deletæ ſint:& in hoc numero de Lamech fa-
ctam eſſe uindictam,quod genus ipſius uſq; ad cataclyſmum perſeuerauerit.Alij de ſeptem D
uindictis Cain uaria ſuſpicantur. Primum eius aſſerunt fuiſſe peccatū, quod nō recte diuiſe-
rit.Secundū, quod inuiderit fratri ſuo.Tertium, quod doloſe egerit, dicens: Tranſeamus in
campum.Quartum,quod interfecerit. Quintum,quod procaciter negauerit,dicens:Neſcio,
nunquid cuſtos fratris mei ſum?Sextū,quod ſeipſum damnauerit,dicens:Maior culpa mea
eſt, quàm ut dimittar. Septimū,quia nec damnatus egerit pœnitentiā ſecundum Niniuitas,
& Ezechiam regem Iuda:qui imminentem mortē lachrymis diſtulerunt, ut qui damnati fue
rant, non perirent,ſed agentes pœnitentiam, impetrarent miſericordiam dei. Nam tradunt
illum à clementiſſimo deo,ideo uſq; ad ſeptē generationes fuiſſe dilatū, ut ſaltem malis ipſis
& longæuitate mœroris compulſus, pœnitentiam ageret, ut mereretur abſolui. Nonnulli
ſeptenariū numerum plenum & perfectum interpretantur,de multis ſcripturarum locis teſti
monia contrahentes: & hunc eſſe ſenſum, quem ſupra perſtrinximus: quod qui interfecerit
Cain,ab ingenti eum afflictione, & omnia ſupplicia tranſeunte liberarit pœna. Sunt autem
qui & de Euangelio interrogationem Petri replicent:Domine,quoties peccabit in me frater
meus,& dimittam ei?uſq; ſepties?Dicit ei Ieſus:Non dico tibi ſepties,ſed uſq; ſeptuagies ſe-
pties.Et putant mortē atq; peccatū in ſeptima progenie ſabbatizaſſe,quando Enoch raptus
eſt, & non inueniebatur,quia tranſtulit illum deus.De ſeptuaginta autē & ſeptem,illam ex-
poſitionem ſequuntur:in aduentu Chriſti, mortis atq; peccati aculeum eſſe confractum.Po
nam & aliam opinionem, ne quid uidear prætergreſſus. Quidam ſeptimū annum remiſſio-
nis & quinquageſimum iubilęi,& quadringenteſimū nonageſimum,quod uolūt intelligi ſe-
ptuagies ſepties, multis modis interpretantur: aſſerentes ob hanc cauſam quinquageſimi &
quingenteſimi numeri ſacrati, in Euangelio poſitum debitorem, & quinquageſimum pſal-
mum pœnitentiæ, qui ſeptem conficitur ſeptimanis, & in principio ogdoadis erumpit. Ve-
rum ne longius ſermo procedat, hucuſque ſuper hoc loquutum eſſe ſufficiat: quia & ex his
quæ reſperſimus, ingentem tibi diſputationis ſyluam poteris ipſe conficere: ſciens Ori-

genem

A genem, duodecimũ & tertiumdecimũ in Geneſim librum de hac tantũ quæſtione dictaſſe.

Secunda quæſtio.

QVr deus loquitur ad Abraham,quod quarta progenie, filij Iſrael eſſent de Ægypto reuerſuri, & poſtea Moyſes ſcribit: Quinta autem progenie aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti. Quod utiq; niſi exponatur, uidetur eſſe contrarium. Hoc uero problema cum legiſſem, cœpi mecũ tacitus æſtuare, & eueſtigio Geneſim Exodumq; percurrens,reperi loca,in quibus ſcripta ſunt quæ uidentur facere quæſtionem. Ac primum exiſtimabam ſpiritalibus ſpiritalia cõparãs,indiſſolubilia eſſe,ſicut & multa ſunt alia. Nam & Mathuſalem quatuordecim annos poſt diluuiũ uixiſſe ſcribitur, nec tamen ingreſſus eſt arcam cum Noe.Et cum ipſe deus loquutus ſit ad Abrahã: Sciendo ſcies, quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua, & in ſeruitutem redigent eos & affligent, & humiliabunt eos annis quadringentis: poſtea Moyſes ſcribit in Exodo: Et factũ eſt poſt quadringentos & triginta annos, exiuit omnis populus domini de terra Aegypti. Agar quoq; Iſmaelem, quaſi lactantem & tenerum portat in humeris,cum decem & octo fermè & amplius reperiatur annorum: & ridiculum ſit tam grandem iuuenem matris ſediſſe ceruicibus. Roboam uero filius Salomonis quadrageſimoprimo ætatis ſuæ anno regni ſumpſit exordiũ, & regnauit in Hieruſalem annis ſedecim: cum utique pater eius duodecimo anno regnare incipiens, annis quadraginta regnauerit, & undecimo anno filium generare nõ quiuerit. Dum hæc & multa iſtiuſmodi mecum ſollicitus uoluerem,aperuit mihi oſtium,qui habet clauem Dauid, & introduxit me in cubiculũ ſuum,poſuitq; me in foramine petræ: ut poſt ſpiritum ſæuientem,poſt terræmotum,poſt incendium ignorantiæ quo urebar,uox ad me auræ lenioris accederet, diceremq; : Inueni quem quæſiuit anima mea:tenebo eum, & non dimittam. Etenim cum uideatur ſcriptura inter ſe eſſe cõtraria,utrunq; uerum eſt,cum diuerſum ſit.Egreſſi ſunt quarta generatione filij Iſrael de terra Aegypti. Replica genealogiã Leui. Leui genuit
B Caath.Caath genuit Amram.Amram genuit Aaron.Aaron genuit Eleazar. Eleazar genuit Finees. Caath cum patre ſuo Leui ingreſſus eſt Ægyptũ. Rurſum Eleazar cum patre Aaron egreſſus eſt de Aegypto. A Caath uſq; ad Eleazar cõputantur generationes quatuor: licet quidam uelint ab Amram uſq; ad Finees,ut nos in Eleazar fecimus, peruenire. Si uero uolueris diſparem numerum oſtendere, quomodo ſecundum Exodum quinta generatione egreſſi ſunt filij Iſrael de terra Aegypti,tribus tibi Iudæ ordo numeretur. Iudas genuit Phares.Phares Eſrom. Eſrom genuit Aram. Aram genuit Aminadab. Aminadab genuit Naaſon. Naaſon genuit Salmon. Phares cum patre ſuo Iuda ingreſſus eſt Aegyptum. Naaſon princeps tribus Iuda in deſerto deſcribit: cuius filius Salmon terrã repromiſſionis intrauit. Computa à Phares uſq; ad Naaſon,& inuenies generationes quinq;:tametſi nonnulli(ut in in tribu Leui oſtendimus)in Eſrom initium faciant,& ad Salmon uſq; perueniant.Puto problema diſſolutum:quod ſi diſplicet, ad compendium ueniam, & dicam in Hebræo non eſſe diuerſum. Aquila namq; qui non cõtentioſius,ut quidam putant, ſed ſtudioſius uerbum in-
C terpretatur ad uerbũ, in eo loco ubi Septuaginta poſuerunt: Quinta autem generatione aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti, ita tranſtulit: τῇ ἑνοπλισάμενοι ἀνέβησαν οἱ υἱοὶ ἰσραὴλ ἀπὸ τῆς γῆς αἰγύπτου, id eſt, & armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Aegypti. Licet pro eo quod nos armati diximus, ſecundum Græci ſermonis ambiguitatem inſtructi, ſiue muniti propter ſupellectilem qua Aegyptios ſpoliauerant,poſſit intelligi.Exiſtimanti curioſitatem eſſe finitã, maior quærendi ardor exoritur:& ad ſimilitudinem Hieremiæ diſſoluor undiq; & ferre non poſſum:quare Septuaginta,quinta generatione,& Aquila tranſtulerit armatos. Volumen Hebræum replico, quod Paulus φαιλόνιον iuxta quoſdam uocat,& ipſos characteres ſollicitius attendens, ſcriptum reperio. וַחֲמֻשִׁים עָלוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם Vahamuſim Alu bene Iſrael Meerez Miztaim. In reliqua parte interpretationes non diſcordant:omnis pugna de uerbo eſt חֲמֻשִׁים hamuſim,quod his literis ſcribitur ח heth, מ mem, ש ſin, י Iod, ם mem: utrum nam quinque, an munitos ſonet. Et quidem quinque hoc

ſermone

sermone dici, negare non possumus: uerum quinq; plurali numero, non quinta, ut illi interpretati sunt, singulari: sed nec generatio inuenitur adiuncta, quæ lingua Hebræa דור dor dicitur: ut si esset quinta generatione, sermone legeretur illorum דור חֲמִישִׁי dor hamisi. Nunc autem hamusim, id est, quinq;, imò quinta, tantum scriptum est, ut sit quasi sensus: Quinta autem ascenderunt filij Israel de terra Ægypti: quod quia minus uidebatur intelligi, adiuncta generatio est. Aquilam uero ut in cęteris, & in hoc maxime loco proprie transtulisse, omnis Iudæa conclamat: & synagogarum consonant uniuersa subsellia, quod uidelicet idem sermo, & eisdem literis scriptus, diuersas apud eos & uoces & intelligentias habeat. Ex quibus exempli causa unum ponimus, ut quod dicimus perspicuum fiat: pastores & amatores eisdem literis scribũtur ר res, ע ain, י iod, ם mem: sed pastores roim רֹעִים: amatores legũtur רֵעִים reim. Vnde euenit, ut ubi Hierusalem in prophetis, cum amatoribus suis fornicationis scelere arguitur, ibi in nostris codicibus, pro amatoribus, pastorum nomen sit immutatum. Scio hæc molesta esse lectori, sed de Hebraicis libris disputantem, non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliano, eloquentiæ ducendus est riuulus: nec aures Quintiliani flosculis & scholari declamatione mulcendæ. Pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio, necessaria est: quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ uerborum compositione frondescat. Sint alij diserti, laudentur, ut uolunt: & inflatis buccis, spumantia uerba trutinent: mihi sufficit sic loqui, ut intelligar, ut de scripturis loquens & disputans, scripturarum imiter simplicitatem.

Tertia quæstio.

QVr Isaac uir iustus & deo charus, non illi cui uoluit, sed cui noluit, deceptus errore benedixit? Differo paulisper typum, & ea quæ à maioribus nostris super hoc loco sunt interpretata prætereo: non quod opinioni eorum non acquiescam, sed quod tu hoc tantum quæras, quare uir iustus aliquid ignorauerit, & contra suam fecerit uoluntatem. Ad quod districta responsio est: nullum hominem, excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuisse scientiam & certissimã ueritatem. Deniq; Paulus ex parte cognoscit, & ex parte prophetat: & nunc per speculum uidet in ænigmate, & secundum quod oportet orare, nescire nos dicit: Quia cum uenerit quod perfectum est: tunc quod ex parte est destruetur. Samuel propheta connumeratus Moysi in sacerdotio dei: ad ungendum regem missus, cum maximum filiorum Iesse uidisset Heliab, ait: Ecce coram domino Christus eius. Et dixit dominus ad Samuel: noli respicere faciem eius neq; staturam illius, quoniam reprobaui eum, quia non quomodo uidet deus, uidet homo. Homo enim uidet in facie, deus autem inspicit cor: & per singulos filios septem ignorans, usq; ad Dauid nescisse describitur. Helisæus quoq; qui duplici gloriatus est spiritu, cuius ossa uitam exanimato cadaueri reddiderunt: cum Sunamitis ad eum uenisset in montem, & ad pedes eius flebiliter corruisset, Giezi prohibente ne faceret, ait: Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & dominus abscondit à me, & non nunciauit mihi. Plura sunt quàm ut exemplis debeamus docere, sanctos uiros & deo charos, ea tantummodo scisse quæ eis à domino reuelata sunt: ignorasse uero, quæ eis reuelata non fuerint: & ad singulas uisiones Zachariã, atq; Danielem interrogare angelum, & suppliciter deprecari, ut exponat sibi quæ sint illa quæ uiderant. Vnde non mirum est, & Isaac in suam maxime utilitatem nescisse quid faceret: cum magis eo tempore erraret quo filium sanguinariæ deditũ uoluptati, & eum qui postea fratrem si posset occideret, prætermisso illo qui innocenter habitaret domi, uellet efferre, & suã magis uoluntatem facere quàm dei. Ego puto diuinæ dispensationis fuisse, ut oculis cæcaretur: & cum ipse diceret: Vox quidem, uox Iacob est, manus autem manus Esau: tamen nõ intelligeret minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris, præreptor astiterat. Quoniam autem polliciti sumus, & de eo in figura quid significaret adiungere, Hippolyti martyris uerba ponamus, à quo & Victorinus noster non plurimum discrepat: non quod omnia plenius executus sit, sed quod possit occasionem præbere lectori ad intelligentiam latiorem. Isaac

portat

A portat imaginem dei patris.Rebecca ſpiritus ſancti. Eſau populi prioris & diaboli. Iacob eccleſiæ ſiue Chriſti. Senuiſſe Iſaac, conſummationem orbis oſtendit: oculis caligaſſe, fidem periſſe de mundo,& religionis lumen ante eum neglectũ eſſe ſignificat. Quod filius maior uocatur,acceptio eſt legis Iudæorum.Quod eſcas eius atq; capturam diligit pater: homines ſunt ab errore ſaluati, quos per doctrinam iuſtus quiſq; uenatur. Sermo dei, benedictionis eſt repromiſſio,& ſpes regni futuri,in quo cum Chriſto ſancti ſunt regnaturi,& uerum ſabbatum celebraturi.Rebecca plena ſpiritu ſancto,ſciẽs quod audiſſet antequam pareret,quia maior ſeruiet minori, magis autem forma ſpiritus ſancti, quæ futura nouerat in Chriſto,in Iacob ante meditatur:loquitur ad filium minorem:Vade ad gregem,& accipe mihi inde duos hædos: præfigurans carneum ſaluatoris aduentum, in quo eos uel maxime liberaret,qui peccatis tenebantur obnoxij: ſiquidem in omnibus ſcripturis, hædi pro peccatoribus accipiuntur.Quod autem duos iubetur afferre, duorum populorum ſignificatur aſſumptio:quod teneros & bonos,dociles & innocentis animæ ſignificat. Stola uel ueſtimentum Eſau, fides Hebræorum & ſcripturæ ſunt, quibus gentilium indutus eſt populus. Pelles quæ eius brachijs circundatæ ſunt,peccata utriuſq; ſunt plebis, quæ Chriſtus in extenſione manuum cruci ſecum pariter affixit. Quod Iſaac quærit ab Iacob,cur tam cito uenerit, admirabatur celerem credentium fidem.Quod cibi delectabiles offeruntur,hoſtia placens deo,ſalus eſt peccatorum.Poſt eſum ſequitur benedictio,& eius odore perfruitur: uirtutem reſurrectionis & regni,aperta uoce pronuncians:quod etiam adorent eum fratres ſui, & ſeruiant ei credentes ex Iſrael. Quia igitur iniquitas eſt inimica iuſticiæ, Eſau in diſcordiam concitatur, & necem fraudulenter excogitat,dicens in corde ſuo: Appropinquent dies paſſionis patris mei,ut interficiam Iacob fratrem meum. Diabolus fratricidas Iudæos in Cain ante præmeditans, in Eſau manifeſtiſſime confitetur:tempus quoq; interfectionis oſtendens.Appropinquent,in
B quit,dies paſſionis patris, ut interficiam Iacob fratrem meum. Quapropter Rebecca,id eſt, patientia:nunciauit uiro fratris inſidias,qui uocato Iacob, præcepit ei, ut in Meſopotamiam pergeret:& inde acciperet uxorem de genere Laban Syri fratris matris ſuæ.Quomodo itaque fratris dolos fugiens,Meſopotamiam tendit Iacob:ita & Chriſtus Iudæorum incredulitate compulſus, proficiſcitur in Galilæam, inde ſibi ex gentibus ſponſam ſumpturus eccleſiam.Hæc ſupradictus uir. Nos autem dicimus non uenisſe dominum, niſi ad oues perditas domus Iſrael, nec uoluiſſe accipere panem filiorum & dare canibus, & benedictionem primam Iudæorum populo detuliſſe: quibus ſunt credita eloquia dei & repromiſſio & legislatio & confectio teſtamenti. Verum quia illi credere noluerunt, ad Iacob minorem populum benedictionem eſſe translatam. Neq; tamen maiorem filium penitus fuiſſe deſpectũ: quia cum ſubintrauerit plenitudo gentium,tunc omnis Iſrael ſaluus fiet.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Hiſtoriam quæ eſt Geneſis cap.xvi.de Melchiſedec rege Salem,qui decimas acceperit ab Abrahã, exponit iuxta ſenſum Pauli,reiecta interpretatione cuiuſdam & infantis & indocti, qui Melchiſedec non hominem,ſed aut angelum,aut ſpiritum ſanctum eſſe uoluerit.

SEQVENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 VOlumen ἀνώνυμον καὶ ἀδέσποτον.) Id eſt ſine nomine,& ſine domino.Sic enim uocãt Græci librum, qui nullius autoris titulum præferat. Et philencemoni.) Ex notulis ac ueſtigijs quorundam exemplariorum ſuſpicor legendum eſſe, φιλεγκαίμονι,à καίομαι incendo
2 ut accipiamus eum librum hoc agere,ut incendium concitaret. Ad Hebræos.) Alibi dicit epiſtolam ad Hebræos,ſimpliciter à Latinis non fuiſſe receptam: hic quoniam utitur illius teſtimonio,addit à nonnullis. Melchiſedec.) Id eſt,rex iuſtus.Siquidem Hebræis מֶלֶךְ regem ſonat, צֶדֶק iuſtum,& שָׁלֵם pacem ſonat. Quanquam hic Hieronymus magis aliorum recenſet opinionem,cum mox doceat,Salem non eſſe eandem cum Hieroſolymis. Sine patre, ſine matre.) Sic eſt in epiſtola ad Hebræos capite quinto ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ. Ἀγενεαλόγητος.) Id eſt,cuius genealogia referri non
3 poſſit,aut certe non ſit reddita. Multus ſermo eſt & interpretabilis.) δυσερμήνευτος, id eſt difficilis ad interpretandum. fortaſſis interpres uerterat ininterpretabilis, ut clarius explicuimus in Annotatio

nibus Nouo teſtamento additis. Certe diuus Hieronymus palam teſtatur perperam à nobis legi inter c
pretabilis: cum paulopoſt ſubijcit, ſi uas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat, ineffabile
confitetur: quod ille uertit ininterpretabilis, hic exponit ineffabilis. In breui tabella.) Alluſit ad Geo 4
graphos, qui ſpatioſiſſimas mundi regiones in anguſto depingunt. Ita Propertius: Cogor & in tabu
la pictos ediſcere mundos. Quod interpretatur in Latinum hoc modo.) Hæc neſcio quis alius ad
didit. Siue quod habeatur ambiguum) Id accidit hinc, quod Hebræa uox ſit indeclinabilis: nec addi 5
derunt articulum Septuaginta. Qua de re nõn ihil attigimus & in Annotationibus noſtris in Nouum
teſtamentum. Siue ut Septuaginta tranſtulerũt campo.) Nam illi uertunt, κοιλάδα, ac mox πεδίον
primum uallem, deinde campum appellantes. Imperitia confidentiam.) Sententia eſt Thucydidis
ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει.

HIERONYMVS EVAGRIO.

MIſiſti uolumen ἀνώνυμον καὶ ἀδέσποτον, & neſcio utrum tu de titulo nomẽ ſub
traxeris, an ille qui ſcripſit, ut periculum fugeret diſputandi, autorẽ noluerit con
fiteri: quod cum legiſſem, intellexi famoſiſſimam quæſtionem ſuper pontifice
Melchiſedec illuc plurimis argumẽtis eſſe perductã: ut docere conatus ſit, eum
qui benedixerit tanto patriarchæ, diuinioris naturæ fuiſſe, nec de hominibus æſtimandum.
Et ad extremum auſus eſt dicere, ſpiritum ſanctum occurriſſe Abrahæ, & ipſum eſſe qui ſub
hominis figura uiſus ſit. Quomodo autem ſpiritus ſanctus, panem uinumq; protulerit, &
decimas prædæ quas Abraham uictis quatuor regibus reportaret, acceperit, omnino tange
re noluit: petisq; ut quid mihi, uel de ſcriptore, uel de quæſtione uideatur, reſpondeã. Fateor
uolui diſſimulare ſententiam, nec me periculoſo & φιλεγκλήμονι miſcere tractatui, in quo
quodcunq; dixiſſem, reprehenſores habiturus forẽ. Sed rurſum cum epiſtolã legerem & in
ueniſſem in extrema pagella, miris me obteſtationibus adiuratum, ne ſpernerem precatorẽ,
reuolui ueterum libros: ut uiderem quid ſinguli dicerent, & tibi quaſi de multorũ conſilio re
ſponderem: ſtatimq; in fronte Geneſeos in prima Homiliarum Origenis reperi ſcriptũ de
Melchiſedec: in qua multiplici ſermone diſputans, illuc deuolutus eſt, ut eum angelũ diceret. D
Iiſdemq; penè argumentis quibus ſcriptor tuus de ſpiritu ſancto, ille de ſupernis uirtutibus
eſt locutus. Tranſiui ad Didymum ſectatorem eius, & uidi hominẽ pedibus in magiſtri iſſe
ſententiã. Verti me ad Hippolytum, Hirenæum, Euſebium Cæſariẽſem, & Emiſenũ, Apol
linarium quoq; noſtrum, & Euſtathium, qui primus Antiochenæ eccleſiæ epiſcopus, cõtra
Arium clariſſima tuba bellicum cecinit: & deprehendi horum omnium opiniones, diuerſis
argumentationibus ac diuerticulis ad unum compitum peruenisſe, ut dicerent Melchiſedec
hominem fuiſſe Chananæum, regẽ urbis Hieroſolymæ, quæ primum Salẽ, poſtea Iebus,
ad extremum Hieruſalem appellata ſit: nec mirum eſſe ſi ſacerdos dei altiſſimi deſcribatur
abſq; circunciſione & legalibus cerimonijs & genere Aaron: cum Abel quoque & Enoch &
Noe placuerint deo, & uictimas obtulerint: & in Iob uolumine legimus, quod ipſe & obla
tor munerum fuerit, & ſacerdos, & quotidie pro filijs ſuis, hoſtias immolarit: & aiunt ipſum
quoq; Iob, non fuiſſe de genere Leui: ſed de ſtirpe Eſau, licet aliud Hebræi au tument. Quo
modo autem Noe inebriatus in domo ſua, & nudatus atq; deriſus à mediano filio, typum
ſaluatoris præbuit, & Chan populi Iudæorum: Samſon quoq; amator meretricis & paupe
ris Dalilæ, multo plures hoſtium mortuus quàm uiuus occidit: ut Chriſti exprimeret paſſio
nem, omnesq; penè ſancti & patriarchæ & prophetæ, in aliqua re figuram expreſſerunt ſal
uatoris: Sic & Melchiſedec, eo quod Chananæus fuerit, & nõ de genere Iudæorũ, in typum
præceſſiſſe ſacerdotis filij dei, de quo dicitur in cẽteſimonono pſalmo: Tu es ſacerdos in eter
num, ſecundum ordinem Melchiſedec. Ordinem autem eius multis modis interpretantur,
quod ſolus & rex fuerit & ſacerdos, & ante circunciſionem functus ſacerdotio: ut non gentes
ex Iudæis, ſed Iudæi à gentibus, ſacerdotiũ acceperint: neq; unctus oleo ſacerdotali, ut Moy
ſi præcepta conſtituunt: ſed oleo exultationis, & fidei puritate: neq; carnis & ſanguinis uicti
mas immolauerit, & brutorum ſanguinẽ, eorum animaliũ exta, id eſt, quicquid ſuper eſcam
eſt, ſuſceperit: ſed pane & uino ſimplici puroq; ſacrificio Chriſti dedicauerit ſacramentum: &

multa

A multa alia quæ epiſtolæ breuitas non recipit. Præterea plenius eſſe tractatum in epiſtola ad
2 Hebræos quam omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum, quod iſte Melchiſedec, id eſt, rex iuſtus, rex fuerit Salem, id eſt, rex pacis, ſine patre ſine matre: & quomodo hoc intelligendũ ſit, uno ſtatim uerbo explicarit ἀγωνιαλόγητος, nõ quod abſq; patre & matre fuerit, cum Chriſtus quoq; ſecundum utranq; naturam & patrem habuerit & matrem, ſed quod ſubito introducatur in Geneſi occurriſſe Abraham à cæde hoſtium reuertenti: & nec ante, nec poſtea eius nomen feratur aſſcriptum. Affirmat autem Apoſtolus, quod Aaron ſacerdotium, id eſt, populi Iudæorum, & principiũ habuerit & finem. Melchiſedec autem, id eſt Chriſti & eccleſiæ, & in præteritum & in futurũ æternum ſit, nullumq; habuerit authorem: & quod tranſlato ſacerdotio, legis quoque mutatio fiat: ut nequaquam de Agar ancilla & monte Sina, ſed de Sara libera, & arce Sion egrediatur uerbum domini, & lex dei de Hieru
3 ſalem: & difficultatem rei proœmio exaggerat, dicens: Super quo multus nobis ſermo eſt, & ininterpretabilis: non quia Apoſtolus non potuerit id interpretari, ſed quia illius temporis non fuerit. Hebræis enim, id eſt Iudæis perſuadebat, non iam fidelibus, quibus paſſim proderet ſacramentum. Veruntamen ſi uas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat ineffabile confitetur: quanto magis nos uermiculi & culices, ſolam debemus ſcientiam inſcitiæ confiteri, & ampliſſimam domum, paruo quaſi foramine oſtendere: ut dicamus duo ſacerdotia inter ſe ab Apoſtolo comparata, prioris populi & poſterioris. Et hoc agit tota diſputatione, ut ante Leui & Aaron, ſacerdos fuerit Melchiſedek ex gentibus: cuius tantum prædicat meritum, ut futuros ſacerdotibus Iudæorum, in lumbis benedixerit Abraham: totumq; quod ſequit in laude Melchiſedek, ad Chriſti typũ referri, cuius profectus eccleſiæ ſacramenta ſunt. Hæc legi in Græcorum uoluminibus, & quaſi latiſſimos terrarum ſitus, in
4 breui tabella uolui demonſtrare, non extendens ſpatia ſenſuum atq; tractatuum, ſed quiB buſdam punctis atq; compendijs infinita ſignificans: ut in parua epiſtola, multorum ſimul diſceres uoluntates. Verum quia amantem interrogas, & uniuerſa quæ didici, fidis auribus inſtillanda ſunt: ponam & Hebræorum opinionem: & ne quid deſit curioſitati, ipſa Hebraica uerba ſubnectam וּמַלְכִּי־צֶדֶק מֶלֶךְ שָׁלֵם הוֹצִיא לֶחֶם וְיַיִן וְהוּא כֹהֵן לְאֵל עֶלְיוֹן׃ וַיְבָרְכֵהוּ וַיֹּאמַר בָּרוּךְ אַבְרָם לְאֵל עֶלְיוֹן קוֹנֵה שָׁמַיִם וָאָרֶץ׃ וּבָרוּךְ אֵל עֶלְיוֹן אֲשֶׁר מִגֵּן צָרֶיךָ בְיָדֶךָ וַיִּתֶּן לוֹ מַעֲשֵׂר מִכֹּל׃ Vmalchizedec melech Salem hozi lehem uaiain uehu chohen leel elion uaiebarchehu uaiomar baruch Abram leel elion koneſamaim uaarez: ubaruch el elion eſcher migẽ zaiecho beiadecho uaiṫten lo maeſer michol. Et Melchiſedec rex Salẽ, ptulit panem & uinũ: erat aũt ſacerdos dei excelſi: benedixitq; illi, & ait: Benedictus Abram deo excelſo, creauit cœlum & terram: & benedictus deus altiſſimus, qui tradidit inimicos tuos in manu tua, & dedit ei decimas ex omnibus. Traduntq; hunc eſſe Sem primũ filium Noe, & eo tempore quo ortus eſt Abraham, habuiſſe ætatis annos trecentoſnonaginta: qui ita ſupputantur. Sem poſt diluuium anno ſecundo, cum centum eſſet annorum genuit Arphaxad: poſt cuius ortum, uixit annos quingentos, hoc eſt ſimul ſexcentos. Arphaxad annos natus triginta & quinq;, genuit Salem, qui & ipſe tricenarius procreauit Heber, quem triginta quatuor annorum legimus genuiſſe Phaleg. Rurſum Phaleg expletis annis triginta genuit Rehu: qui & ipſe poſt trigeſimum & ſecundum natiuitatis ſuæ annum, ædidit Serug: de quo cum ad triginta peruenisſet annos, ortus eſt Nachor: qui uigintinouem annorum genuit Thare: quem legimus quod ſeptuagenarius genuerit Abraham & Nachor & Aram. Supputa per ſingulas ætates annorum numerum, & inuenies ab ortu Sem uſq; ad generationem Abraham, trecentos nonaginta annos. Mortuus eſt autem Abraham centeſimo ſeptuageſimo quinto ætatis ſuæ anno. Qua ratione deducta, inuenitur Sem abnepoti ſuo decimi gradus Abraham ſuperuixiſſe annis quadraginta. Simulq; & hoc tradunt, quod uſq; ad ſacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex ſtirpe Noe, cuius ſeries & ordo deſcribitur, fuerint ſacerdotes & deo uictimas immolarint: & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau fratri ſuo uendiderit Iacob. Nec eſſe mirum, ſi Melchiſedec uictori Abraham obuiã proceſſerit, & in refectionem tam

ipſius,quàm pugnatorum eius,panes uinumq; protulerit,& benedixerit ei, cũ abnepoti ſuo c
hoc iure debuerit,& decimas prædę atq; uictoriæ acceperit ab eo: ſiue quod habeatur am- 5
biguum, ipſe dederit ei ſubſtantiæ ſuæ decimas, & auitam largitatem oſtenderit in nepo-
tem. Vtrũq; enim intelligi poteſt,& iuxta Hebraicũ, & iuxta Septuaginta interpretes,quod
& ipſe acceperit decimas ſpoliorum, & Abrahæ dedit decimas ſubſtantiæ ſuæ: quanquam
Apoſtolus in epiſtola ſua ad Hebræos apertiſſime definiat, non Abraham ſuſcepiſſe à
Melchiſedec decimas diuitiarum eius,ſed de ſpolijs hoſtium,partem accepiſſe pontificem.

Salem autem non ut Ioſephus & noſtri omnes arbitrantur eſſe Hieruſalem, nomen ex
Græco Hebraicoq; compoſitum: quod abſurdum eſſe, peregrinæ linguæ mixtura demon-
ſtrat: ſed oppidum iuxta Scythopolim, quod uſq; hodie appellatur Salem, & oſtenditur
ibi palatium Melchiſedec, ex magnitudine ruinarum, ueteris operis oſtendens magnifcen-
tiam: de quo in poſteriore quoq; parte Geneſeos ſcriptum eſt. Venit Iacob in Socoth,id eſt
in tabernacula,& fecit ſibi ibi domos atq; tentoria,& tranſiuit in Salem ciuitatem regionis Si
chem, quæ eſt in terra Chanaan. Conſiderandum quoq; eſt, quod Abrahæ à cæde hoſti-
um reuertenti, quos perſequutus eſt uſq; Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de uia
Hieruſalem,ſed de oppido Metropoleos Sichem,in itinere fuerit:de quo in euangelio quo-
que legimus.Erat autem Ioannes baptizans in Ennon,iuxta Salim, quia aquæ erant multæ
ibi. Nec refert, utrum Salem an Salim nominetur, cum uocalibus in medio literis per raro
utantur Hebræi,& pro uoluntate lectorum,atq; uarietate regionum, eadem uerba diuerſis
ſonis atq; accentibus proferantur.Hæc ab eruditiſſimis gentis illius didicimus:qui intantum
non recipiunt ſpiritum ſanctum, uel angelum fuiſſe Melchiſedec: ut etiam certiſſimum ho-
minis nomen aſſcribant. Et reuera ſtultum eſt id quod in typo dicitur: eo quod Chriſti ſa-
cerdotium finem non habeat: & ipſe rex & ſacerdos nobis utrũq; donauerit,ut ſimus genus
regale & ſacerdotale:& quaſi angularis lapis parietem utrunq; cõiunxerit, & de duobus gre D
gibus bonus paſtor unum effecerit gregem: ſic quoſdam referre ad ἀναγωγὴν ut hiſtoriæ
auferant ueritatem,& dicant non fuiſſe regem,ſed in imagine hominis angelum demonſtra
tum,cum intantum nitantur Hebræi Melchiſedec regem Salem filium Noe Sem oſtende-
re,ut ante hoc ſcriptũ ſic referant.Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum ei:haud
dubium,quin Abraham poſtq; reuerſus eſt à cęde Chodor Laomor, & regum qui cum eo
erant in ualle Saue: hæc eſt uallis regis,de qua ſtatim ſequitur:Et Melchiſedec rex Salẽ pro-
tulit panem & uinum, & reliqua. Si ergo hæc ciuitas regis eſt, & uallis regis,ſiue ut Septua-
ginta tranſtulerunt campus:quem hodie Aulonem Palæſtini uocant:manifeſtum eſt homi
nem fuiſſe qui in terrena & ualle & urbe regnauerit.Habes quæ audierim,& quę legerim de
Melchiſedec. Meum fuit citare teſtes: tuum ſit de fide teſtium iudicare. Quod ſi omnes re-
puleris, tuum certe ſpiritualem illum interpretem non recipies: qui imperitus ſermone & ſci-
entia, tanto ſupercilio & autoritate Melchiſedec ſpiritum ſanctum pronunciauit,ut illud ue-
riſſimum comprobarit, quod apud Græcos canitur:imperitia confidentiam, eruditio timo-
rem creat. Ego poſt longam ægrotationem, uix in quadrageſimæ diebus hæc fabricare po-
tui:cum alteri me operi præpararem,paucos dies qui ſupererant in Mathæi expoſitione cõ-
ſumpſi:tantaq; auiditate ſtudia omiſſa repetiui,ut quod exercitationi linguæ profuit, nocue
rit corporis ualetudini.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Quod Fabiolæ uiuenti promiſerat Hieronymus,id illius memorię reddit,iam enim uita deceſſerat,
ut in ſuperioribus ipſe teſtatur. Quæ leguntur in libris Exodi,& Numerorum,de egreſſu Hebræorum
ex Aegypto,deq; manſionibus diuturni itineris,iuxta tropologiam exponit,quibus gradibus Chriſti
anus,relictis uitijs,duce Chriſto,perueniat ad perfectam pietatem.

Hieronymus

A HIERONYMVS FABIOLAE.

1 IN ſeptuageſimoſeptimo pſalmo, quem iuxta euangeliſtam Matthæum ex perſona domini dictum credimus, decem plagarum in Aegypto, & egreſſionis Iſrael in ſolitudinem, narratur hiſtoria. Cumq; nulli dubium ſit, facta eſſe quæ ſcripta ſunt, quaſi aliud litera ſonet, aliud clauſum ſpiritus teneat: aperiam inquit, in parabola os meum, loquar propoſitiones ab initio. Quanta audiuimus & uidimus ea, & patres noſtri narrauerunt nobis. Vnde & Apoſtolus ijſdem uerbis, quia & eodem ſpiritu: Hæc autem, ait, omnia in figura cõtingebant illis: ſcripta ſunt autem ad cõmonitionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt: Et, nolo uos ignorare fratres, quoniam patres noſtri, omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube & in mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt: Bibebant autem de ſpirituali cõſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus. Si ergo pars hiſtoriæ itineris ex Aegypto ſpiritualiter accipitur, & cætera quæ ab Apoſtolo pro anguſtia temporis prætermiſſa ſunt, eiuſdem eſſe intelligentiæ conuincentur. Nam idem propheta, qui in alio loco dixerat: Habitaui cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea: abſentiam terræ ſanctæ non ſuſtinens, lachrymabiliter ingemiſcit, & dicit: Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: donec trãſeam in locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum dei: in uoce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis. Et in alio pſalmo: Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Paulus quoq; Lex ſpiritualis eſt. Et ipſe dominus: Si crederetis Moſi, & mihi crederetis, de me enim ille ſcripſit. Et euangelium ſecundũ Lucam: Tunc incipiens à Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in cũctis ſcripturis, quæ de ipſo dicta erãt. Igitur Iudæi paruuli, & qui ſolidum cibum glutire nequeunt, ſed adhuc lacte nutriuntur infantiæ: legant Pharaonem carB neum & mare rubrum, per quod ad Indiam nauigatur, & manna coriandro ſimile: & omnia
2 quæ ſcripta ſunt, audiãt corporaliter: lepram domorum, & lepram pellis, & ſtaminis, taurum homicidam, & iumentum adulterij reum, & Hebræi propter uxorem ac liberos ſeruire cupientis, aurem ſubula perforatam. Nos autem derelinquentes Capharnaum, agrũ quondam pulcherrimum, & cum Ieſu egredientes in deſertum paſcamur panibus eius: ſi inſipientes ſumus & iumentorum ſimiles, hordeaceis: ſin rationale animal, triticeis, & ex grano frumenti commolitis: quod in terram cadens multos fructus mortuum attulit. Nouem plagis percuſſa eſt Aegyptus, fractus Pharao, ut dimitteret populum dei. Ad extremum primogenita
3 perdidit, ut primogenita Iſraelis domino ſacrarentur. Qui prius tenere cupiebant, inſtanter expellunt. Exterminator tranſit, & terram Geſſen paſtoralem & pluuijs irrigatam, nõ audet attingere: erant enim poſtes eorum agni cruore ſignati, & opere loquebantur: Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui domine. Vnde & appellatur ipſa ſolennitas phaſe, quam nos tranſitum appellare poſſumus, eo quod de peioribus, ad meliora pergentes: tenebroſam Aegyptum relinquimus. Sed iam tempus eſt, ut promiſſa complentes, manſionum Iſrael ordinem proſequamur. Scriptum eſt in ultima parte uoluminis Numerorum, quod apud Hebræos appellatur uaiedabber וַיְדַבֵּר Hæc ſunt caſtra filiorum Iſrael, qui egreſſi ſunt de terra Aegypti per turmas ſuas in manu Moyſi & Aaron, quas Græci ἀπαφσεις uocãt, nos propter linguæ proprietatem ſignificantius manſiones, ſiue quia de exercitu dicitur, caſtra tranſtulimus. Fit autem catalogus manſionum à prima uſq; ad ultimam: & numerantur ſimul quadraginta duæ, de quibus Matthæus loquitur: Ab Abraham uſq; ad Dauid generationes quatuordecim, & à Dauid uſq; ad tranſmigrationem Babylonis quatuordecim generationes: & à trãſmigratione Babylonis uſq; ad Chriſtum generationes quatuordecim, id eſt, ſimul generationes quadraginta duæ. Per has currit uerus Hebræus: qui de terra tranſire feſtinat ad cœlum: & Aegypto ſeculi derelicta, terram repromiſſionis ingreditur. Nec mirum, ſi in illo numeri ſacramento perueniamus ad regna cælorum: ſub quo dominus atq; ſaluator à primo patriarcha peruenit ad uirginem, quaſi ad Iordanem: quæ pleno gurgite fluẽs,

ſpiritus ſancti gratijs redũdabat. Quod autem in manu Moyſi & Aaron egreſſus ſcribitur: c intellige legem & ſacerdotium,opera & cultum dei: quorum alterũ altero indiget. Nihil em̃ prodeſt exercere uirtutes,niſi noueris creatorẽ: nec dei ueneratio proficit ad ſalutẽ, niſi præcepta conditoris impleueris.His duabus manibus,quaſi duobus Seraphim in confeſſionem ſanctæ trinitatis erumpimus,dicentes:Sanctus,ſanctus,ſanctus dominus deus ſabaoth.

Prima manſio.

MOuerunt itaq; caſtra de rameſes רַעַמְסֵס menſe primo, quindecima die menſis primi,altera die poſt paſcha egreſſi ſunt filij Iſrael in manu excelſa in cõſpectu omnium Aegyptiorũ: & Aegyptij ſepeliebãt quos percuſſerat dominus ex eis,omne primogenitum in terra Aegypti:& in dijs eorum fecit dominus iudicia.Rameſes à quibuſdam interpretatur commotio turbulenta,aut amaritudo, commotioq; tineæ:nos autẽ uerius exiſtimamus exprimi,tonitruum gaudij. Ad hanc urbẽ quæ in extremis Aegypti finibus erat:populus congregatus eſt,qui in deſertum exire cupiebat:eo quod tumultum ſeculi derelinquẽs,moueba tur à uitijs priſtinis,& ab exedente ſe prius tinea peccatorum,ut omnem amaritudinem uertens in dulcedinem,dei uocem in Sina monte deſuper tonantis audiret. Quod autem uerba diuina & eloquia ſcripturarum,in iſtius ſeculi & mundi rota,tonitruus appellentur, pſalmiſta declarat,dicens: Vox tonitrui tui in rota. Et dei patris uocem in baptiſmo ſaluatoris audientes,tonitruum putauerunt.Cumq; commoti fuerimus ad euangelicam tubam,& excita ti tonitrui gaudio,eximus in menſe primo,quando hyems præterit & abit ſibi,quando ueris exordium eſt, quando terra parturit, quando cuncta renouantur: & eximus quintadecima die mẽſis primi,in craſtinũ paſchæ,pleno menſis lumine, poſt eſum agni immaculati:& calciatos pedes habẽtes de apoſtolo:& accinctos pudicitia lumbos,& baculos in manibus præ paratos. Quàmuis enim in Aegypto decimaquarta die mẽſis paſcha faciẽtes, comederimus agnum: tamẽ tunc nobis lux plena cõpletur, quãdo in manu excelſa Ramaſem dimittimus: D
quæ excelſa dicit,uel quod Aegyptũ percuſſerit,uel quod protexerit Iſrael uidẽtibus Aegyptijs,qui admirãtur nos exire de ſeculo,& torquentur inuidia:& poſtea nos tenere cupiẽtes, in perſecutionibus ſuffocantur: quando & Aegyptij ſepeliunt primogenitos ſuos, & patres mortui terrenis operibus,opprimũt mortuos filios. Mihi uidetur Aegyptiorũ primogenita dogmata eſſe philoſophorum,quibus deceptos homines atq; irretitos tenebant. Quæ cum Iſrael uiuus effugerit, circundantur mortuis ſuis,ne exeuntium imitentur exemplum. Porrò quod ſequitur:in dijs eorum fecit iudicia,ſiue ut Septuaginta tranſtulerũt,ultiones: illud Hebræi autumant,quod nocte qua egreſſus eſt populus,omnia in Aegypto templa deſtructa ſint,ſiue motu terræ,ſiue ictu fulminum.Spiritualiter aũt diſcimus,quod egredientibus nobis de Aegypto, errorum idola corruant, & omnis peruerſarũ doctrinarũ cultura quatiatur.

Secunda manſio.

ET proficiſcentes filij Iſrael de Rameſe,caſtrametati ſunt in סֻכּוֹת ſocoth.Secunda manſio.In hac coquunt panes azymos,& primũ tendũt tabernacula:unde & ex re locus nomen accepit. Socoth quippe interpretatur in lingua noſtra tabernacula ſiue tentoria. Et ob hoc ſeptimo menſe,quintadecima die menſis ſolennitas tabernaculorũ eſt.Cum ergo exieri mus ex Aegypto,primum tabernacula figimus:ſcientes nobis ad ulteriora pergendũ. Tunc non comedimus de fermẽto Aegypti maliciæ & nequitiæ: ſed ueſcimur azymis ſynceritatis & ueritatis:domini præceptum opere conſummantes: Cauete à fermento phariſæorum. In hac nobis præcipitur manſione, ut ſemper egreſſionis ex Aegypto memores ſimus: ut celebremus tranſitum,id eſt,phaſe domini,ut primogenita noſtri uteri,cunctarumq; uirtutum, pro primogenitis Aegypti quæ percuſſa ſunt domino conſecremus.

Tertia manſio.

ET profecti de Socoth, caſtrametati ſunt in אֵתָם Etham, quæ eſt in extremo ſolitudinis. Tertia manſio offertur poſt tabernacula, in qua primum uidetur dominus nocte in columna ignis, & per diem in columna nubis: ut præcedat populum, & dux itineris fiat.

Etham

A Etham nobis ſonat fortitudo atque perfectio, de qua & Dauid canit: Tu dirupiſti flumina Etham, id eſt, fortes. Grandis eſt fortitudo, Aegyptum dimittere, & in extrema ſolitudine commorari. Ex quo intelligimus locum Socoth adhuc iuxta Aegypti fuiſſe regiones. In eo enim quod dicitur, quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis, oſtenditur inter confinia eſſe eremi & Aegypti. Præparemus nobis fortitudinem, aſſumamus perfectum robur: ut inter errorum tenebras & confuſionem noctis, ſcientiæ Chriſti lumen appareat. Dies quoque noſter nubem, & nox ignem habeat protegentem: ut his ducibus ad ſanctam terram, peruenire ualeamus.

Quarta manſio.

PRofecti de Etham, reuerſi ſunt ad פִּי הַחִירוֹת Phi hahiroth, quod eſt contra Beel ſephon, & caſtrametati ſunt è regione Magdal. Quarta manſio eſt phi hahiroth, quæ interpretatur os nobilium, ſcribiturq; per literam ח heth. Quidam male, hiroth uillas putant,
4 errorq; manifeſtus, quod pro ſupradicto elemento, ע ain literam legant. Beel ſephon in linguam noſtram uertitur dominus Aquilonis, aut aſcenſus ſpeculæ, aut habens arcana. Porrò Magdal, magnitudo, uel turris. Aſſumpta igitur fortitudine nobilitamur in domino, & Beel ſephon idoli arcana contemnimus, illiusq; magnificẽtiam & turritam ſuperbiam declinamus. Non enim eſt ab auſtro unde dominus uenit, & à meridie in qua ſponſus recumbit in floribus, ſed poſſeſſor Aquilonis uenti frigidiſſimi, ex quo exardeſcũt mala ſuper terram: qui cum ſit frigidiſſimus, nomine dexter uocatur, falſum ſibi aſſumens uocabulum uirtutis ac dextræ, cum totus ſit in ſiniſtra.

Quinta manſio.

ET profecti de Phi hahiroth, tranſierunt per medium mare in deſerto: & ambulauerunt uiam trium dierum in ſolitudine Etham, caſtrametati ſunt in מָרָה Marah. Quinta man
B ſio eſt in Marah, quæ interpretatur amaritudo. Non poterant ad rubri maris gurgites peruenire: & Pharaonem cum ſuo exercitu uidere pereuntem: niſi poſtq; habuerunt in ore nobilitates, id eſt, in domini cõfeſſione uirtutes, quando crediderunt deo & Moyſi famulo eius: & audierunt ab eo: Dominus pugnabit pro uobis, & uos tacebitis: & victores, Maria præcinente, in tympanis & choris reſonare cœperunt carmina triumphantium. Cantemus domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare. Poſt prædicationem euangelij, poſt tabernacula tranſmigrantium, poſt aſſumptam fortitudinem, poſt confeſſionis nobilitatem: Aegyptij & Pharao, rurſus occurrunt. Vnde diſcimus cauendas ſemper inſidias, & inuocandam miſericordiam dei: ut inſequentẽ Pharaonem poſſimus effugere, & nobis in ſpirituali baptiſmo ſuffocetur. Egreſſis de mari rubro, occurrit eremus Sur, quæ & ſolitudo Etham dicitur, in qua tribus diebus ingredientes non habuerunt aquam: & peruenerũt ad Marah, quæ ex amaritudine nomen accepit. Habebat fons aquam, & dulcedinem nõ habebat. Murmurat populus uidens aquas, & potare non ſuſtinens. Marah intellige aquas occidẽtis literæ: quibus ſi immittatur confeſſio crucis, & paſſionis dominicæ ſacramẽta iungantur: omne quod impotabile & triſte uidebatur ac rigidum, uertitur in dulcedinem. Vnde & ſcriptum eſt: Conſtituit deus populo legẽ & iudicia, & tẽtauit eum. Vbi ẽm magnitudo gratiæ, ibi magnitudo diſcriminis. Nec terrearis, ſi poſt uictoriam uenias ad amaritudinẽ: quia uerum paſcha facientes, azyma cum amaritudinibus comedunt, & tentatio probationẽ, pro-
5 batio ſpem, ſpes parit ſalutem. Apud medicos quoq; quædam antidotus noxios humores temperans, ex amaritudine nuncupatur, quæ dulcis oſtenditur reſtituens ſanitatẽ: ſicut ecõtrario uoluptas atq; luxuria amaritudine terminantur, dicẽte ſcriptura: Quæ ad tempus pinguefacit fauces tuas, nouiſſime uero amarius felle inuenies.

Sexta manſio.

ET profecti de Marah, uenerunt in אֵילִם elim, ubi erant duodecim fontes aquarum: & ſeptuaginta palmæ, ibiq; caſtrametati ſunt. Sexta manſio in arietes forteſq; uertitur. Quàm pulcher ordo uirtutum. Poſt uictoriã tentatio, poſt tentationẽ refectio. De amaritu-

dine uenimus ad arietes & robuſtos principes gregis, quos apud Ezechielē dominus iudica turum eſſe ſe dicit:quod alij eorum conculcauerint aquas & compreſſerint oues:alij lenes & placabiles fuerint.De his & uiceſimus octauus pſalmus loquit̄: Afferte domino filij dei, afferte domino filios arietum. Sextæ manſionis tenemus hoſpitium . Nunquam prius occurrerunt fontes puriſſimi,niſi ubi magiſtrorum doctrina prorupit.Nec dubium quin de duodecim apoſtolis ſermo ſit : de quorum fontibus deriuatæ aquæ , totius mundi ſiccitatem rigant. Iuxta has aquas ſeptuaginta creuerunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores,Luca euangeliſta teſtante,duodecim fuiſſe apoſtolos,& ſeptuaginta diſcipulos minoris gradus:quos & binos ante ſe dominus præmittebat.De quibus & Paulus refert,quod apparuerit dominus primum undecim,deinde apoſtolis omnibus:alios uolens intelligi primos,& alios ſecundos Chriſti diſcipulos.Bibamus de huiuſmodi fontibus,& dulces fructus uictoriæ deuorantes,ad manſiones reliquas præparemur. c

Septima manſio.

PRofectiq; de Elim, caſtrametati ſunt ad mare rubrum, quod Hebraice dicitur, יַם סוּף iam ſuph . Septima manſio . Et quæritur , quomodo poſt tranſitionem maris rubri & fontis marah,& Elim, rurſum ad mare rubrum uenerint, niſi forte in itinere pergentibus, ſinus quidam maris occurrerit,iuxta quem caſtrametati ſint. Aliud eſt enim tranſire mare: aliud in proximo figere tabernacula . Ex quibus monemur , etiam poſt euangelicam doctrinam & cibos dulciſſimos triumphorum,apparere nobis interdum mare: & præterita diſcrimina poni ante oculos. Quanquam multæ differentiæ ſit tranſire mare, & mare procul aſpicere. Verbum iam ſuph apud Hebræos ex mari & rubro compoſitū eſt.Suph autem & rubrum & ſcyrpus uocatur . Vnde poſſumus ſuſpicari , quod uenerint ad paludem quandam & lacum , qui & carecto & iuncis plenus fuerit . Quod autem omnes congregationes aquarum ſcriptura ſancta , mare uocet: nulla dubitatio eſt . Hæc manſio in Exodo non habetur: ſed ſcriptum eſt pro ea,quod de mari rubro uenerint ad deſertum Sin, quæ eſt inter Elim & Sinai,quintadecima die menſis ſecundi egreſſionis eorum ex Aegypto, id eſt, triceſimaprima poſtquam egreſſi ſunt de Rameſes. 6 D

Octaua manſio.

ET profecti de mari rubro, caſtrametati ſunt in ſolitudine סִין Sin. Octaua manſio,licet iuxta ordinem Exodi ſeptima ſit. Sed ſciendum , quod omnis uſq; ad montem Sinai eremus Sin uocetur,& ex tota prouincia, etiam locus nomen unius manſionis acceperit: ſicut Moab tam urbis quàm prouinciæ nomen eſt . In hac ſolitudine quinque manſiones ſunt: iam ſuph, de qua ſupra diximus, & eremus Sin, & Daphca, & Alus, & Raphidim,de quibus loquemur in conſequentibus. Sin, autem interpretatur rubus , uel odium , quorum utrunque facit ad myſticos intellectus , quod poſtquam uenerimus ad eum locum, de quo ſit nobis dominus locuturus, grande odium mereamur inimici. Tunc uidebimus ardere rubum,& non comburi: inflammari eccleſiam perſecutionibus , & eam loquente in illa domino,non perire.Et nota,quod in octaua manſione,in qua torcularia noſtra ſunt,unde & octauus pſalmus hoc titulo prænotatur,deſertum capimus rubi: quia plures filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet uirum.

Nona manſio.

ET profecti de deſerto Sin,caſtrametati ſunt in דָּפְקָה Daphca.Nona manſio. Hoc nomen apud Hebræos κρῦμα, id eſt pulſatio dicitur:iuxta quod & dominus,ait: Pulſate & aperietur uobis.In libro autem Hebraicorum nominum,adhæſionē retentionemq; tranſtulimus,quod lectorem turbare non debet.Nec putet nos diſſonantia ſcribere.Ibi enim iuxta hoc quod uulgò habetur ædidimus,ſi medium uerbum ſcribatur per ב beth literam:hic autem in Hebraico uolumine ſcriptum reperi per פ phe , quod elementum magis pulſationem quàm glutinum ſonat:ſenſusq; eſt manifeſtus,poſt reſponſa domini, poſt octauū numerum reſurrectionis,Chriſti incipimus ſacramenta pulſare.Prudētem ſtudioſumq; lectorem

A rem rogatum uelim,ut sciat me uertere nomina iuxta Hebraicam ueritatē. Alioquin in Græcis & Latinis codicibus præter pauca, omnia corrupta reperimus: & miror quosdā eruditos & ecclesiasticos uiros ea uoluisse transferre quæ in Hebraico non habentur:& de male interpretatis,fictas explanationes quærere,ut in præsenti pro Daphca legant Raphca, literā ponentes pro litera,eo quod ר res & ד daleth paruo apice distinguantur,& interpretantur curationem:atq; exinde tropologiam similem prosequuntur.

Decima mansio.

PRofecti de Daphca, castrametati sunt in אלוש Alus. Decima mansio in Exodo non habetur, creditúrq; in Sin eremo contineri, eodem narrante libro. Profecta est omnis multitudo filiorum Israel de eremo Sin per mansiones suas iuxta os domini,& uenerunt Raphidim.Ex quo perspicuum est plures mansiones,eiusdem regionis uocabulo demonstrari. Interpretatúrq; Alus fermentum: quod tollens mulier,miscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum.In hac solitudine murmurat populus propter famem, & conuersus respicit procul in nube gloriam dei,accipitq; uespere coturnicem:& mane alterius diei manna. Et nota in mansione decima fermentum poni, & post esum carnium manna tribui: implericq; scripturam:Panem angelorum manducauit homo.

Vndecima mansio.

PRofecti de Alus, castrametati sunt in רפידים Raphidim: & non erat ibi aqua populo. Vndecima mansio est,quam uiolenter interpretatam in libro Hebraicorum nominum reperi,uidit os sufficiens eis, aut certe uisio oris fortium: meliusq; transfertur, dissolutio fortium,uel sanitas fortium:siue iuxta proprietatem linguæ Syræ,remissio manuum.Hæc & in Exodo legitur post profectionem de eremo Sin. Queritur in ea populus ob ardorem sitis: fons de petra Horeb erumpit & profluit:& quia tentauerunt deum,locus Raphidim, tentationis quoq;,id est מַסָּה masa sortitus est nomen.Moyses ascendit in montem:Iesus contra
B Amalec militat:ad crucis signū,superat inimicus:remissis orantis manibus,hostis uictor insequitur. Sedet Moyses super lapidē dictū à Zacharia,qui septem habebat oculos: & in Samuelis uolumine appellatur aben haaser,id est,lapis adiutorij: & utranq; manum eius, Aaron & Hur,id est,montanus luciduscq; sustentat. Deuicto aduersario superuenit Iethro, adducit Zephoram & utrunq; filium,dat consilium Septuaginta seniorū:& in typum ecclesiæ de gentibus congregatæ,legis immunitio euangelio suggerente completur.Pulchre aūt dissolutio ac sanitas fortium Raphidim dicitur,uel propter dissipatū Amalec, uel propter sanatum Israel. Sin autem remissionem manuū iuxta Syros Raphidim sonat, dicemus propter offensam populi,quia contra dominū murmuraret,istud loco nomen impositum. Hæc tangimus potius quàm exponimus, breuiter indicasse contenti, quod post fermentum Alus & massam ecclesiæ,soleant multiplicia dæmonum aduersum nos tentamenta consurgere.

Duodecima mansio.

ET profecti de Raphidim,castra posuerunt in solitudine סיני Sinai.Duodecima māsio est.Statim tibi ueniat in mentē apostolorum numerus. Vna de pluribus,sed maior omnibus,non separatur in ordine, sed præcellit in merito. Ad hunc locum quadragesimoseptimo die perueniūt, scriptura dicente: Mense tertio egressionis filiorum Israel de Aegypto,in die hac transierunt in solitudine Sinai, profectiq; de Raphidim uenerūt in desertum Sinai: & castrametati sunt in eremo,seditq; ibi Israel è regione montis, & Moyses ascendit ad deum,uocauitq; eū dominus de mōte dicens: & reliqua. Et rursum,uade,inquit, ad populū,& sanctifica eos hodie & cras:& lauent uestimēta sua,sintq; parati in diem tertium: quia tertia die descēdet dominus uidente uniuerso populo super montem Sinai. Quod & factum est. Laueruntq; uestimenta sua,& ab uxorū coitu separatis,die tertio descendit dominus in mōtem:quo fumante,& fulgore,tonitruo,caligine,uoce,tuba,mortaliū corda terrentibus, Moyses loquebatur,& dominus respōdebat ei.Supputemus numerū,& inueniemus quinquagesimo die egressionis Israel ex Aegypto in uertice mōtis Sinai legē datā. Vnde & pētecostes

celebra

celebratur solẽnitas,& postea euãgelij sacramentũ in spiritus sancti defensione cõpletur:ut si c
cut priori populo quinquagesimo die, uero iubileo & uero anno remissionis, & ueris quin/
quaginta & quingẽtis denarijs, qui debitoribus dimittũtur, lex data est:in apostolos quoq;
& qui cũ eis erant,in centesimo uicesimo Mosaicæ ætatis numero cõstitutis,descenderit spiri
tus sanctus,& diuisis linguis credentium,totus euãgelica prædicatione mundus expletus sit.
Longum est si replicare uelim,quid in lege præceptũ est:quomodo fabricatũ tabernaculum
quæ uarietas hostiarũ,quæ uasorum diuersitas,quæ indumenta pontificis,quæ sacerdotum
& leuitarũ cerimoniæ: quid egerint: quomodo populus numeratus sit. Hoc tantum dicam:
quod media pars Exodi,& totus Leuiticus liber, & Numerorũ præcepta nõ modica, & per
singulas populi tribus distributio, & oblatio principũ in hac mansione descripti sint:multo/
rumq; uoluminum disputatio,huic loco sufficere uix possit.Interpretatur autem Sinai rubi,
non unus ut supra in solitudine Sin,sed plures:ut ibi principium sit,hic perfectio: ibi solitari
us numerus,hic multiplex.Aliud est enim unam,aliud omnes gratias possidere.

Decimatertia mansio.

ET profecti de solitudine Sinai,castrametati sunt in sepulchris cõcupiscẽtiæ.Decimater/
tia mansio, cuius nomẽ cum interpretatione æditũ apud Hebræos appellatur קִבְרוֹת
הַתַּאֲוָה cibaroth ataaue.Est aũt sensus ille de euangelio,quod Iesus baptizatus statim à spi/
ritu ductus est in desertum, & tentatus à diabolo. Itaq; & Israel post familiarem cum domi/
no sermonem, postquam iuxta mõtem Sinai commoratus est anno uno & diebus quatuor
mira dispositione castrorum egressus est in solitudinem Pharan: quæ interpretatur onager
aut feritas: ibiq; succumbit malæ bestiæ, fastidiens cœlestem panem, & Aegyptiorum car/
nes desiderans:quando multos subitum uorauit incendium,& intercedente Moyse humum
uorax flamma consumpsit.Tunc accipiũt coturnices,& usq; ad nauseam ac uomitum deuo/
rant.Eliguntur Septuaginta presbyteri: uadunt ad ostium tabernaculi, duo remanent,Hel/
dad & Medad,non imperij negligentes,sed humilitate submissi,dum se honore arbitrantur D
indignos. Vnde & absentes prophetant: saturatoq; populo dum adhuc escæ essent in ore
eorum, ira dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel præpediuit: ne
ad malum uelociter currerent:unde & appellatus est locus,sepulchra concupiscentiæ:siue ut
in Septuaginta legimus,memoria desiderij. Ex quibus omnibus nos omnes docemur, qui
sapientiam dimisimus secularem,& Aegyptias ollas contempsimus, nõ debere murmurare
contra cœlestem scripturarum panem,nec hic uirulẽtias Aegyptiorum,quæ sunt poetarum 7
carmina,sed simplicẽ mannæ cibum quærere:alioquin si rursus eas uoluerimus appetere uo/
rabimus usq; ad nauseam: & statim domini igne torquebimur, desideriumq; nostrum uer/
tetur in tumulos,ut simus sepulchra dealbata,quæ foris apparent hominibus speciosa,intus
autem plena sunt ossibus mortuorum,& omni spurcitia.

Decimaquarta mansio.

ET profecti de sepulchris cõcupiscentiæ,castrametati sunt in Hazeroth חֲצֵרוֹת Decima
quarta mansio est in solitudine Pharan, quæ in atria uertitur. In hac Aron & Maria,
propter Aethiopissam cõtra Moysen murmurant:& in typũ zeli, aduersus ecclesiã de genti
bus cõgregatam,populus Iudæorum lepræ sorde perfunditur:nec redit ad tabernaculum &
pristinam recipit sanitatem,donec statutũ plenitudinis gentiũ tempus impleatur.Et hic pru/
dens lector attende,quod post cõsummatam in duodecimo numero uirtutem,quia superbi
uit Israel,& in sepulchris cõcupiscentiæ carnes Aegyptias desiderauit:rursum iacit aliud fun/ 8
damentum,& atria,id est,uestibulum uirtutum ingreditur: ostendẽs nobis, & eos qui stant
posse cadere,& qui ceciderunt posse resurgere. Positus est enim Iesus in ruinã & resurrectio/
nem multorum,& ipse loquitur per prophetam:Num qui cadit non resurget?

Decimaquinta mansio.

ET profecti de Hazeroth,castrametati sunt in Rithma רִתְמָה pro quo supra in hoc eo
dem libro legimus: Postquam profectus est populus de Hazeroth, castrametati sunt
in soli/

A in ſolitudine Pharan. Hæc eſt autem decimaquinta manſio. Et notandū quod reliquæ man
ſiones decem & octo, quarū nunc breuiter catalogus deſcribitur, à Rithma uſq; ad Eſionga-
ber, id eſt, uſq; ad triceſimamſecundam manſionem, ſub Pharan ſolitudinis nomine conti-
neantur: in quibus uniuerſa quæ ſcripta ſunt, diuerſis temporibus geſta ſentimus: quæ quia
non ſunt per manſiones ſingulas diſtributa, à nobis quoq; in commune dicentur, ut poſtea
ueniamus ad reliqua. Rithma transfertur ſonitus aut iuniperus, quanquā pleriq; ἄρκευθον
apud Græcos aliud genus arboris ſignificare contendant. Iuniperum autem & primus gra-
duum pſalmus, iuxta ueritatem Hebraicam ſonat, ubi ſcriptum eſt: Quid detur tibi, aut quid
apponatur tibi ad linguam doloſam? Et propheta reſpondet: Sagittæ potentis acutæ, cum
9 carbonibus iuniperorum: pro quo apud nos legitur deſolatorijs. Ferunt autem lignum hoc
ignem multo tempore conſeruare, ita ut ſi prunæ ex eius cinere fuerint opertæ, uſq; ad an-
num perueniant. Ex quo diſcimus poſt ſepulchra concupiſcentiæ, & ueſtibula tranſire nos
ad lignum, quod multo tempore calorem tenet, ut ſimus feruentes ſpiritu, & claro ſonitu at-
que exaltata uoce euangelium domini prædicemus. Ab hac itaq; manſione uſq; ad triceſi-
mamſecundam iſtiuſmodi continentur hiſtoriæ. Duodecim exploratores mittuntur ad ter-
ram ſanctam: botrus refertur in ligno, & Chriſti breuiter paſſio demonſtratur. Murmurat
populus Iudæorum, gigantum impetum reformidans. Pugnat contra Amalec & Chananæ
um nolēte deo, & uictus intelligit quæ debebat in terra ſancta exercere ſacrificia. Dathan &
Abiron & filij Core conſurgunt contra Moyſen & Aaron, & terræ uoragine glutiuntur. In-
ter mortuos & uiuentes pontifex medius turibulo armatus ingreditur, & currens ira dei, ſa-
cerdotis uoce prohibetur. Virga Aaron & florem profert & folia: & in æternā memoriam,
uirens ſiccitas conſecratur. Necdum templum & ædituī, necdum ſacerdotes & leuitæ obtule
re ſacrificia, & partes eorum myſticus ſermo deſcribit. Vitula ruffa in holocauſto concrema
tur, & cinis eius, piacularis aſperſio eſt. Quorum omnium figuræ proprios libros flagitant,
B & melius reor tacere quàm pauca dicere.

Decimaſexta manſio.

ET profecti de Rithma caſtrametati ſunt in רִמּוֹן פָּרֶץ Remon phares. Decimaſexta
10 manſio eſt, quæ interpretatur Græco ſermone ῥοιᾶς ἀποκοπή, Latine mali puni-
ci diuiſio, quod alij malum granatum uocant. Cuius arboris fructus in ſcriptura dupliciter
accipitur: aut in eccleſiæ gremio, quæ omnem turbam credentium ſuo cortice tegit: aut in
uarietate & conſonantia uirtutum, iuxta illud quod ſcriptum eſt: Multitudinis autem cre-
dentium cor erat unum, & anima una: ſicq; diuiſi ſunt ſinguli gradus, ut omnes eadem com-
page teneantur.

Decimaſeptima manſio.

ET profecti de Remmon phares, caſtrametati ſunt in Libna לִבְנָה Decimaſeptima
manſio eſt, quam in lateres poſſumus uertere: licet quidam lebbona transferentes, ma-
le candorem interpretati ſint. Legimus Aegyptios lateres in Exodo, quos populus faciēs in
gemuit. Legimus in Malachia lateres pro quibus Idumæa deſtructis, politos lapides repo-
nere nititur. Et laterē in Ezechiel: in quo obſeſſæ Hieruſalem pictura deſcribitur. Ex quibus
diſcimus in itinere iſtius uitæ, & de alio in aliud tranſitu, nunc nos creſcere, nunc decreſcere,
& poſt ordinem eccleſiaſticum ſæpe ad laterum opera tranſmigrare.

Decimaoctaua manſio.

ET profecti de Libna, caſtrametati ſunt in Reſſa רִסָּה Decimaoctaua manſio in frenos
uertitur. Si enim poſt profectum, rurſum ad luti opera deſcendimus, infrenādi ſumus:
& curſus uagi atq; præcipites, ſcripturarum retinaculis dirigendi. Hoc uerbū, quantum me-
moria ſuggerit, nuſquam alibi in ſcripturis ſanctis apud Hebræos inueniſſe me noui, abſq;
11 libro apocrypho, qui à Græcis μικρογιγώσεως appellatur: ibi in ædificatione turris, pro ſtadio
ponitur, in quo exercentur pugiles & athletæ, & curſorum uelocitas comprobatur. Dicit &
pſalmiſta: In freno & chamo maxillas eorū conſtringe, qui non approximant ad te. Et Apo
ſtolus

ſtolus:Neſcitis quod qui in ſtadio currunt:omnes quidem currunt:ſed unus accipit palmã? c
Sic currite,ut comprehendatis.

Decimanona manſio.

ET profecti de Reſſa,caſtrametati ſunt in Caaltha קְהֵלָתָה Decimanona manſio inter/
pretatur eccleſia. Vagi currentium greſſus,frenis ad eccleſiam retrahũtur: & fores quas
ante reliquerant,rurſum intrare feſtinant.

Vigeſima manſio.

ET profecti de Caaltha, caſtrametati ſunt in monte Sapher. שָׁפֶר Vigeſima manſio
interpretat pulchritudo,& in monte decoris eſt cõſtituta, de qua & quartidecimi pſal/
mi principium ſonat:Domine quis habitabit in tabernaculo tuo:aut quis requieſcet in mon
te ſancto tuo. Vide quid proſint frena. A uitijs nos retrahunt,introducunt ad uirtutum cho
ros,& in Chriſto monte pulcherrimo habitare faciunt. Iſte iuxta Danielem,lapis exciſus de
monte ſine manibus,creuit in montem magnum,& impleuit omnem terram. Iſte iuxta Eze
chielem uulnerauit principem Tyri. Ad iſtum in Eſaia & Michea populi confluũt, dicentes:
Venite aſcendamus in montem domini, & ad domum dei Iacob: & docebit nos uias ſuas:
& ambulabimus in ſemitis eius.

Viceſimaprima manſio.

PRofecti de monte Sapher, caſtrametati ſunt in Harada חֲרָדָה Viceſimaprima man/
ſio uertitur in miraculum. Quàm pulcher ordo profectuum, quàm egregia textura cre/
dentium. Poſt opus lateris infrenamur,poſt frenos in eccleſiam introducimur,poſt habitati
onem eccleſiæ,ad Chriſtum montem aſcendimus,in quo poſiti ſtupemus atq; miramur: ut
noſter in laudibus eius ſermo ſuperetur:inuenientes in eo,quæ nec oculus uidit,nec auris au/
diuit,nec in cor hominis aſcenderunt.

Viceſima ſecunda manſio. D

ET profecti de Harada,caſtrametati ſunt in Maceloth מַקְהֵלוֹת Viceſimaſecunda mã/
ſio in cœtus uertitur. In hac enim conſiſtit multitudo credẽtium:Eccleſia, primitiuorum
uirtutum omnium conſonantia. Tunc uere poſſumus dicere:Ecce quàm bonum & quàm io
cundum,habitare fratres in unum. Et dominus habitare facit unius moris in domo.

Viceſimatertia manſio.

ET profecti de Maceloth, caſtrametati ſunt in Thaath תָּחַת Viceſimatertia manſio
poteſt & ſubter intelligi, ſed melius pauorem interpretabimur. Veniſti ad eccleſiam,
aſcendiſti ad montem pulcherrimum, ſtupore & miraculo Chriſti magnitudinem confite/
ris:uides ibi multos uirtutis tuæ ſocios: noli altum ſapere, ſed time. Dominus enim ſuper/
bis reſiſtit, humilibus dat gratiam. Et qui ſe exaltat, uideat ne cadat. Potentes potenter tor/
menta patientur. Timor uirtutũ cuſtos eſt: ſecuritas ad lapſum facilis. Vnde & in quodam
pſalmo,poſtquàm propheta dixerat:Dominus regit me & nihil mihi deerit,in loco paſcuæ
ibi me collocauit:iungit timorem, qui cuſtos eſt beatitudinis, & infert: Virga tua & baculus
tuus, ipſa me conſolata ſunt. Et eſt ſenſus, dum tormenta formido, ſeruaui gratiam quam
acceperam.

Viceſimaquarta manſio.

PRofecti de Thaath,caſtrametati ſunt in Thare, תָּרַח Viceſimaquarta manſio, quam
nonnulli uertunt in maliciã uel paſturam, nec errarent ſi per ע ain literam ſcriberetur:
nunc uero cũ aſpiratio duplex in extrema ſit ſyllaba,erroris cauſa manifeſta eſt. Hoc eodem
uocabulo & ijſdem literis ſcriptum inuenio patrem Abrahã, qui in ſupradicto apocrypho
geneſeos uolumine,abactis coruis qui hominum frumenta uaſtabant, abactoris uel depul/
ſoris ſortitus eſt nomẽ. Itaq; & nos imitemur Thare:& uolucres cœli quæ iuxta uiam ſatum
triticum deuorare feſtinant, ſolliciti prohibeamus. Nam & Abraham patriarches in typo 12
Iſraelis & hoſtium, diuiſa membra ſacrificij à uolucribus non ſinit deuorari: & contempto/
rem oculum effodiunt corui de conuallibus,uerusq; Moyſes ducit Aethiopiſſam, & Elias à
coruis

A coruis pascitur. Si habueris pauorem, sollicitus eris: si sollicitus fueris, leo in caulas ouiũ tuarum introire non poterit: quod uel ad præpositos ecclesiarũ, uel ad custodiam refer animæ tuæ, ad quam diabolus per diuersa uitiorum foramina ingredi nititur.

Vicesimaquinta mansio.

ET profecti de Thare, castrametati sunt in Methca מִתְקָה Vicesimaquinta mansio uertitur in dulcedinem. Ascendisti in excelsum, admiratus es uirtutum choros, timuisti ruinam, abegisti insidiatores: dulcis te protinus fructus laboris insequitur: & in morẽ literarum, radicum amaritudinem, pomorum suauitas compensabit, & dices: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Sponsumq; tibi audies concinentem: Mel distillant labia tua, soror mea sponsa. Quid enim suauius disciplina? Quid eruditione melius? Quid dulcius domino? Gustate & uidete quoniam suauis est dominus. Vnde & Samson qui abegerat à fructibus suis aues: & uulpes quæ exterminant uineas colligauerat, leonemq; interfecerat rugientem, fauum inuenit in ore mortui.

Vicesimasexta mansio.

PRofecti de Methca, castrametati sunt in Asmona חַשְׁמֹנָה Vicesimasexta mansio in lingua nostra festinationem sonat: iuxta illud quod in psalmo scribitur: Venient legati ex Aegypto. Pro legatis in Hebræo, festinantes legimus: ut postquam dulces fructus laboris messuerimus, non simus quiete contenti ocio: sed & rursum ad ulteriora properantes, obliuiscamur præteritorum & in futura nos extendamus.

Vicesimaseptima mansio.

ET profecti de Asmona, castrametati sunt in Moseroth מוֹסֵרוֹת Vicesimaseptima mansio uincula siue disciplinas sonat, ut festino gradu pergamus ad magistros & eorum teramus limina, & præcepta uirtutum ac mysteria scripturarum, uincula putemus æterna: iuxta illud quod in Esaia dicitur: Et Sabaim uiri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: post te
B ambulabunt uincti manicis. Et Paulus uinctus Iesu Christi. Duplicia sunt in scripturis uincula, quæ quamdiu rupit Samson, uicit inimicos. Et de meretrice legimus, uinculũ in manibus eius. Et ex persona domini dicentis: Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Et alibi: Laqueus cõtritus est, & nos liberati sumus. Christi autem uincula uoluntaria sunt, & uertuntur in amplexus. Quicunque his fuerit colligatus, dicet: Sinistra eius sub capite meo, & dextra eius complectetur me.

Vicesimaoctaua mansio.

ET profecti de Moseroth, castrametati sunt in Bene iaacan בְּנֵי יַעֲקָן Vicesimaoctaua mansio transfertur in filios necessitatis seu stridoris. Si ab uno incipias numero, & paulatim addens ad septimum usq; peruenias: uicesimusoctauus efficitur numerus. Qui sint isti filij necessitatis, psalmus ipse nos doceat: Afferte domino filij dei, afferte domino filios arietum. Quæ est tanta necessitas, quæ nolentibus imponatur? Cum diuinis scripturis fueris eruditus, & leges earum ac testimonia uincula scieris ueritatis, contendens cum aduersarijs ligabis eos, & uinctos duces in captiuitatem, & de hostibus quondam atq; captiuis liberos dei facies: ut repente dicas cum Sion: Ego sterilis & non pariens transmigrata & captiua: & istos quis enutriuit? Ego destituta & sola, & isti ubi erant? Miraris Esaiam, eiusdem psalmi sacramenta cognosce: Vox domini in uirtute, uox domini in magnificentia, uox domini confringentis cedros: ut postquam aduersarios fregerit, & concusserit desertos prius gentium populos, præparentur cerui in montibus: & sit dilectus sicut filius unicornium, in temploq; eius omnes dicent, gloriam. Porrò quod uertimus filios stridoris, ad illum sensum refer, quod timore supplicij & eius loci ubi est fletus & stridor dentium, deserens diaboli uincula Christo domino credentium turba colla submittat.

Vicesimanona mansio.

ET profecti de Bene iaacan, castrametati sunt in montem Gadgad גַּדְגָּד Vicesimanona mansio interpretatur nuncius siue expeditio, & accinctio: uel certe (quod nos uerius

arbitramur) κατακοπὴ: id est concisio. Haud aliter possumus magistri discipulorum atq; c
credentium eos facere filios necessitatis,nisi præceptores eorum interfecerimus. Crudeles si/ 13
mus in occisione eorum, non parcat manus nostra armum aut extremũ auriculæ de ore leo/
nis extrahere.Maledictus qui facit opus domini negligenter,& qui prohibet gladium suum
à sanguine. Vnde & Dauid: In matutino, inquit, interficiebam omnes peccatores terræ. De
nuncio autem & accinctione hæc breuiter possumus dicere: quod filijs necessitatis grandes
ad uirtutem stimulos suggeramus,cum eis nunciauerimus præmia futurorum, & accinctos
inire bella docuerimus. Horũ trium quicquid magister fecerit, in monte consistit.

Tricesima mansio.

ET profecti de monte Gadgad, castrametati sunt in Iotbatha יָטְבָתָה Tricesima man/
sio bonitas interpretatur, ut cum peruenerimus ad perfectum uirum, in sacerdotalem
gradum,& in ætatem plenitudinis Christi:in qua & Ezechiel erat iuxta fluuiũ Cobar,possi/
mus cum Dauid in tricesimo psalmo canere: In te domine speraui, non confundar in æter/
num. Pastor enim bonus ponit animam suam pro ouibus suis.

Tricesimaprima mansio.

ET profecti de Iotbatha, castrametati sunt in Ebrona עַבְרֹנָה Tricesimaprima mansio 14
interpretatur διάβασις, id est transitus siue transitio. Ad hanc uenit uerus Hebræus,
id est περάτης, siue transitor, qui dicere potest: Transiens uidebo uisionem hanc magnam:
de qua & psalmista canit: Et non dixerunt qui præteribant, benedictio domini super uos.
Præterit enim figura huius mundi,& propterea sancti cupiunt ad meliora transire: nec præ/
senti statu contenti,ingemiscunt quotidie:Hæc recordatus sum,& effudi in me animam me/
am:quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis,usq; ad domum dei. Multum est,si
de omnibus scripturis super uerbo transitionis uelim exempla congerere.

Tricesimasecunda mansio.

ET profecti de Ebrona, castrametati sunt in Asion gaber עֶצְיוֹן גֶּבֶר Tricesimasecunda D
mansio transfertur in ligna uiri,siue dolationis hominis,quod significantius Græce di/
citur ξυλακισμοφόρῳ, scribiturq; per ע ain literam,non(ut Græci & Latini errant)per א gi/
mel. Vnde in solitudine multitudo lignorum, nisi quod seduli & diligentis magistri disciplí/
na monstratur, cædentis ligna informia: & dolantis facientisq; uasa diuersa: quæ in domo
magna necessaria sunt? Possunt lignationes uiri,saltuum & omnium arborum genera,ac per
hoc credentiũ multitudinem figurare: dicente Dauid: Inuenimus eam in campis syluæ.Huc
usq; solitudo Pharan decem & octo continet mansiones,quæ descriptæ in catalogo,in supe
riori itinere non ponuntur.

Tricesimatertia mansio.

ET profecti de Asion gaber,castrametati sunt in deserto Zin צִן Hæc est Cades. Quæ
ritur cur octaua mansio nunc tricesimatertia esse dicatur. Sed sciendũ quod prior per ס
samech literam scribitur,interpretaturq; rubus siue odium:hæc autem per צ sade,& uertitur
in mandatum. Illudq; quod iungitur Cades:non (ut plerique existimant) sancta dicitur: sed
mutata siue translata legimus in Genesi iuxta Hebraicam ueritatem: ubi Iudas meretricem
putans Thamar, dona transmisit: & sequester munerum interrogat: ubi est cadesa, hoc est,
scortum,cuius habitus à cęteris fœminis immutatus est.In multis quoq; locis hoc idem repe
rimus.Sin autem sancta interpretatur, κατ' ἀντίφρασιν est intelligendum: quomodo par/ 15
cæ dicuntur ab eo quod minime parcant: & bellum quod nequaquam bellum sit: & lucus
quod minime luceat. In hac mansione moritur Maria & sepelitur: & propter aquas contra/
dictionis Moyses & Aaron offendunt dominũ:& prohibentur transire Iordanem, missisq;
nunciis ad Edom transitus petitur,nec impetratur.Quis timeret post tantos profectus mur/
mur populi, & offensam magistrorum, & uiæ transitus denegatos? Videtur mihi in Maria,
Prophetia mortua:in Moyse & Aaron, legi &,sacerdotio Iudæorum finis impositus: quod
nec ipsi ad terram repromissionis transcendere ualeant, nec credentem populũ de solitudine

huius

A huius mundi educere.Et nota quod post mortem prophetiæ,& aquas contradictionis,Idumæam carneam atq; terrenã transire non possint: cum multis precibus & conatu uiam non impetrent,sed egrediatur Edom aduersus eos cum populo multo,& in manu forti.Interpretatio quoq; nominis,morti & offensæ & negato transitui cõuenit. Vbi enim mandatum, ibi & peccatum:ubi peccatum ibi offensa:ubi offensa, ibi mors. Hæc est mansio de qua Psalmista canit:Commouebit dominus desertum Cades.

Tricesimaquarta mansio.

ET profecti de Cades,castrametati sunt in monte Or הָהָר in extremo terræ Edom. Ascenditq; Aaron sacerdos in montem Or iuxta præceptum domini, & mortuus est ibi anno quadragesimo egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, mense quinto, prima die mensis.Eratq; Aaron centum uigintitrium annorum quando mortuus est in monte Or. Et audiuit Chananæus rex Arad qui habitabat ad austrum in terra Chanaan, quod uenissent filij Israel. Tricesimaquarta mansio est, quam plericq; interpretantur lumen: nec errarent si per א aleph literam scriberetur.Alij pellem,& ipsi uerũ dicerent,si esset ע ain positum.Nonnulli foramen, quod posset accipi: si ה heth haberet elementum. Cum autem legatur per ה he:magis mons intelligitur, & legi potest: Ascendit Aaron sacerdos in montis montem, id est in uerticem eius.Ex quo animaduertimus non in monte simpliciter, sed in monte montis pontificem mortuum: ut dignus locus meritis illius monstraretur. Moritur autem eo anno, quo nouus populus repromissionis terrã intraturus erat,in extremis finibus terræ Idumæorum.Et quanquam in monte sacerdotium Eleazaro filio dereliquerit, lexq; eos qui eam impleuerint perducat ad summum:tamen ipsa sublimitas non est trans fluenta Iordanis, sed in extremis terrenorum operum finibus:& plangit eum populus triginta diebus. Aaron plangitur,Iesus non plangitur.In lege descensus ad inferos, in euangelio ad paradisum transmigratio.Audiuit quoq; Chananæus quod uenisset Israel,& in loco exploratorum(ubi quon-
B dam offendisse populum nouerant) ineunt prælium:& captiuum ducunt Israel. Rursumq; in eodem loco pugnatur:ex uoto uictor uincitur,uicti superãt, appellaturq; nomen loci horma,id est anathema.Eadem dicere mihi non est pigrum,legentibus necessarium:quod semper humanus status in huius seculi uia fluctuet:& alius in ualle, alius in campis, alius moriatur in monte,nec in monte simpliciter,sed in montis monte,id est in excelso uertice. Cumq; nos dei auxilio destitutos hostis inuaserit duxeritq; captiuos, non desperemus salutem,sed iterum armemur ad prælium. Potest fieri ut uincamus, ubi uicti fuimus: & eodem loco triumphemus,ubi fuimus ante captiui.

Tricesimaquinta mansio & tricesimasexta.

ET profecti de monte Or,castrametati sunt in Selmona צַלְמֹנָה Profectiq; de Selmona,uenerunt in Phunon פּוּנֹן Hæ duæ mansiones, tricesimaquinta & tricesimasexta in ordine historiæ non inueniuntur, sed scriptum est pro eis: Egressi sunt de monte Or, per uiam maris rubri,& circumierunt terram Edom. Ex quo ostenditur in finibus atq; circumitu terræ Edom eas positas.Nec secundum morem legitur:Et profecti de monte Or, castrametati sunt in Selmona siue in Phunon, sed post ambitum terræ Idumæorum uenit ad extremum,& ait: Profecti filij Israel, castrametati sunt in Oboth.Nec dixit, profecti sunt de illo & illo loco,quia duas mansiones silentio prætermiserat: quas cum in supputatione tacuerit, reddit in summa.Prima mansio Selmona interpretatur imaguncula. Secunda Phunon,diminutiue os,ab ore non ab osse intellige. In his Aaron mortuo,murmurant contra deum & Moysen,manna fastidiunt,à serpentibus uulnerantur:& in typum saluatoris,qui uerum antiquumq; serpentẽ in patibulo crucis triumphauit,diaboli uenena superantur. Vnde & imaguncula,ueræ expressæq; imaginis filij dei.Passionem eius intuens,conseruatur:& quod corde creditur,ore pronunciat,legens illud Apostoli:Corde creditur ad iusticiam,ore autem con-
16 fessio fit ad salutẽ.Simulq; nota quod utraq; mansio ὑπαντησιακῶς appellatur:quia ex parte uidemus,& ex parte prophetamus:& nunc per speculum uidemus in ænigmate.

Tricesimaseptima mansio.

PRofecti de Phunon,castrametati sunt in Oboth אובות Tricesimaseptima mansio uertitur in magos siue pythones: uel (secundum uerba Helui) lagenas grandes, quæ cum musto plenę fuerint,absq; spiramine ilico dirumpuntur.Pugnauerunt magi contra Moysen & Aaron:& à muliere quę erat in Endor,& habebat iuxta Septuaginta interpretes spiritum pythonem,iuxta Hebræos magum,regi Israelis illuditur.Multæ sunt præstigiæ, & innumerabiles laquei, quibus animæ capiuntur humanæ: sed nos dicamus, in domino confidentes: Laqueus contritus est,& nos liberati sumus:Et,Si ambulauero in medio umbrę mortis,non timebo mala,quoniam tu mecum es: Cadent à latere nostro mille, & decem milia à dextris nostris:non timebimus ab incursu & dæmonio meridiano: sed obturauimus aures nostras, ne audiamus uoces incantantium, & Sirenarum carmina negligamus. Post imaginem dei, quæ in cordis ratione monstratur,& confessionem fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes,& artes maleficæ ad bella nos prouocãt. Sed nos qui habemus preciosissimum thesaurum in uasis fictilibus quæ frangi possunt, ita ut quædam uix testa remanserint, in qua hauriri possit aquæ pusillum,omni custodia circundemus cor nostrum.

Tricesimaoctaua mansio.

ET profecti de Oboth,castrametati sunt in Ie abarim עיי הָעֲבָרִים in finibus Moab.Tricesimaoctaua mansio aceruos lapidum transeuntiũ sonat.Sunt sancti lapides, qui uoluuntur super terram, leues,politi & rotunditate sua rotarũ cursibus similes.Sunt & alij quos propheta iubet tolli de uia,ne ambulantium in eos offendant pedes.Qui sunt isti ambulantes? Vtiq; uiatores & prætereuntes, qui per istud seculum ad alias mansiones transire festinant. Quod aũt dicitur in finibus Moab,& supra scriptũ est,in solitudine quę respicit Moab cõtra solis ortum:ostendit iuxta literam,quod hucusq; in finibus terræ Idumæorũ fuerint:& nunc ueniant ad terminos Moab,de alia prouincia ad aliam transeuntes. Non enim semper uni uirtuti danda est opera,sed sicut scriptũ est:Ibunt de uirtute in uirtutem, de alia transeun D dum est ad aliam:quia hærent sibi & inter se ita nexæ sunt,ut qui una caruerit, omnibus careat.Et tamen transire de alia ad aliam,eorum est proprie, qui solis iusticiæ ortum considerãt.

Tricesimanona mansio.

ET profecti de Ieabarim,siue(ut in secundo loco apud Hebræos habes) ĩm עִיִּים castrametati sunt in Dibon gad דִיבֹן גָּד Tricesimanona mansio interpretatur, fortiter intellecta tentatio.Pro hac in ordine historiæ aliter scriptũ reperi. Postq; enim castrametati sunt in Ieabarim in finibus Moab contra ortum solis, legitur: Inde profecti sunt, & diuerterunt ad torrentem Zared.Et de hoc loco proficiscentes, castrametati sunt trans Arnon, quæ est in solitudine finium Amorræi,eo quod Arnon in terminis sit Moabitarũ & Amorræorum: & post hæc uenerũt ad puteum ubi cecinit Israel carmen hoc: Ascende putee quem foderũt principes,& aperuerunt duces populorum in datore legum,& in baculo eius: & de solitudine in Matthana, & de Matthana ad torrentem dei:& de torrentibus dei ad excelsa,& de excelsis ad uallem,quæ est in regione Moab in uertice Phasga,qui prospicit cõtra desertũ.Hæc loca in finibus Amorræorũ quidam interpretantes, putãt non mansiones esse sed transitus, nec præiudicare debere catalogo mansionum extraordinariam expositionem. Alij autem spiritualibus spiritualia comparantes,nolunt regiones significari,sed per locorũ nomina uirtutum profectus esse, quod post magos & congregationem lapidum frequenter ueniamus ad torrentẽ Zared,quod interpretatur aliena descensio:& in descensione positi, transeamus ad Arnon,quod maledictionem sonat,quæ est posita in finibus Amorræorũ,qui uel amari hostes sunt,uel multa loquuntur inflati. Sin autem transierimus terminos Moab, qui de incestu generatus est,& recessit à uero patre:statim nobis occurrit puteus, quem nemo de plebe fodit,nullus ignobilis,sed principes & duces,qui iura dant populis: & canentes carmen in aqua putei,& in dei muneribus gratulantes,prophetant quò transituri sint: ad quæ peruenturi loca,quod scilicet de deserto ueniant in Matthana,quod interpretatur donũ,& de Matthana

A thana ad Nahaliel,quod dicitur ad torrentes dei,& de Nahaliel ad Bamoth,quæ interpretatur excelsa siue aduenies mors,quando conformes efficimur mortis Christi:& de Bamoth occurrit nobis uallis humilitatis,quæ tamen posita est in uertice montis Phasga:qui interpretatur dolatus,quod nihil habeat informe & rude,sed artificis sit politus manu: qui mons respiciat solitudinem quæ Hebraice dicitur Iesimon יְשִׁימֹן Quando enim fuerimus in uirtutum culmine constituti,tunc totius mundi ruinas, & omnium peccatorũ respicimus uastitatem.Penè obliti sumus,currente oratione,dictare:quare Dibon gad interpretetur fortiter intellecta tentatio.Post Dibon gad geritur bellum contra Seon regem Amorræorum, & Og regem Basan:& discimus quod cum uenerimus ad summũ,& de fonte principũ regumq; biberimus,ascendentes ad montẽ Phasga,nõ debeamus eleuari in superbiã,si propositã nobis ecõtrario solitudinẽ nouerimus. Ante cõtritionẽ em̃ eleuat̃ cor uiri, & ante gloriã humiliat̃.

Quadragesima mansio.

ET profecti de Dibon gad, castrametati sunt in Almon diblathaiema עַלְמוֹן דִּבְלָתָיְמָה Quadragesima mansio uertitur in cõemptũ plagarũ siue opprobriorũ. Et per hanc discimus omnia dulcia & illecebras uoluptatũ in seculo cõtemnendas,nec inebriari nos debere uino in quo est luxuria.Mel non offertur in sacrificijs dei:& cera quæ dulcia cõtinet, non lucet in tabernaculo,sed oleum purissimũ,quod de oliuæ profertur amaritudine.Mel enim distillat à labijs mulieris meretricis:de quo puto iuxta mysticos intellectus gustasse Ionathan: & forte deprehensum,uix populi precibus liberatum.Quod autem opprobria contemnenda sint,& si falso obijciantur beatitudinem pariant,saluator plenissime docet.

Quadragesimaprima mansio.

PRofecti de Almon diblathaiema, castrametati sunt in montibus Abarim עֲבָרִים cõtra faciem Nabo.Quadragesimaprima mansio uertitur in montes transeuntium:& est con
B tra faciem montis Nabo,ubi moritur & sepelitur Moyses,terra repromissionis ante conspecta.Nabo interpretatur conclusio, in qua finitur lex, & non inuenitur eius memoria.Porrò gratia euangelij absq; ullo fine tenditur.In omnem terram exiuit sonus eius,& in fines orbis terræ uerba ipsius.Simulq; cõsidera quod habitatio transeuntiũ in mõtibus sita sit:& adhuc profectu indigeat.Post montes enim plurimos ad campestria Moab & Iordanis fluenta descendimus,qui interpretatur descensio.Nihil enim (ut crebro diximus) tam periculosum est quàm gloriæ cupiditas & iactantia,& animus conscientia uirtutum tumens.

Quadragesimasecunda mansio.

ET profecti de mõtibus Abarim,castrametati sunt in campestribus Moab מוֹאָב super Iordanem iuxta Hiericho,ibiq; fixerunt tentoria.Ab domo solitudinis usq; Abel sitim אָבֵל שִׁטִּים in planicie Moab.In quadragesimasecunda quæ & extrema mansio est: cursim quæ sint gesta,narremus.Residens in ea populus à diuino Balaam,quem mercede conduxerat Balach filius Sephor,dei iussione benedicitur:& maledictio mutatur in laudes: audit uocem domini ex prophano ore resonantem: Orietur stella ex Iacob, & consurget homo de Israel, & percutiet principes Moab, & uastabit cunctos filios Seth: & erit Edom hæreditas eius. Fornicatur cum filiabus Madian: & Phinees filius Eleazar, zelatus est zelum domini, Zambri & scortũ Madianitidem pugione transfigit: unde & accepit præmiũ in æternã memoriam,armum uictimæ.Numeratur rursum populus, numerantur & leuitæ, ut interfectis pessimis,nouus populus dei censeatur.Interpellant quinq; filiæ Salphaad: & ex iudicio domini,hæreditatem accipiunt:ut inter fratres suos, nec fœmineus à possessione dei sexus excludatur.Iesus Moysi in monte succedit,& discit à lege, quæ spiritualiter offerre debeat in ec
17 clesia.Primũ quid per singulos dies,deinde quid sabbato, quid in kalendis, quid in pascha, quid in pentecoste,quid in neomenia mensis septimi,quid in ieiunio eiusdem mensis die decimo,quid in Scenopegia,quando figuntur tabernacula,decimaquinta die supradicti mensis. Vxorum & filiarum uota absq; autoritate patrum & uirorum cassa memorãtur: Bellum contra Madianitas:& mors diuini Balaam,& prędæ diuisio, & oblatio ex ea in tabernaculo

dei. Primus Ruben & Gad,& dimidia tribus Manaſſe, ultra Iordanem in eremo poſſeſſio- C
nem accipiunt. Plurima enim habebant iumenta,& necdum ad id uenerant, ut poſſent habi-
tare cum templo. Docetur populus ut in terra ſancta idola deſtruat:& nullus de priori habi-
tatore ſeruetur. Deſcribitur olim cupita prouincia,duarum ſemis tribuum hæreditas ſepara-
tur. Numerantur tribuũ principes,qui terram ſanctam debeant introire. Quadragintaduas
urbes cum ſuburbanis ſuis uſq; ad mille paſſus per circuitum, leuitæ accipiunt:tot numero,
quot & iſtæ ſunt manſiones. Et adduntur fugitiuorũ ſex aliæ ciuitates, tres intra Iordanem,
& tres trans Iordanem,ut ſint ſimul quadragintaocto. Qui fugitiuorũ ſuſcipi,qui interfici de
beant, qui uſq; ad mortẽ pontificis maximi reſeruari. Succedit Deuteronomĳ ſecunda lex,
meditatoriũ euãgelĳ:ibiq; breuiter diſcimus quæ inter Pharam & Tophel & Laban & Ha-
zeroth,& loca aurea abiecto Iuda infeliciſſimo,undecim dierũ uia de Horeb,per uiam mon
tis Seir uſq; ad Cades barne Moyſes populo ſit locutus:& extremũ cantat canticum,in quo
apertiſſime ſynagoga proĳcitur,& eccleſia domino copulat. Impinguatus eſt & incraſſatus
ac dilatatus,& recalcitrauit dilectus,& oblitus eſt dei ſaluatoris ſui. Et iterũ: Generatio peſſi-
ma,filĳ inerudíti:ipſi ad æmulationem me prouocauerũt in eo qui non erat deus. Iritauerunt
me in ſculptilibus ſuis:& ego zelare hos faciam nationes, & cõtra gentem ſtultã iritabo eos.
Benedicũtur filĳ Iſrael. Et rurſus in Symeone Iudas miſerandus excluditur. Aſcendit Moy-
ſes ad montem Nabo,in uerticẽ Phaſga,qui eſt cõtra Hiericho: & oſtendit ei dominus om-
nem terrã Galaad uſq; ad Dan & Neptalim & Ephraim & Manaſſen,& uniuerſam terram
Iuda,uſq; ad mare magnũ contra auſtrum, & regionem campeſtrem Hierichontis,ciuitatis
palmarũ,uſq; Segor. Quis poteſt tanta noſſe myſteria? Quis in extremis legis & huius uitæ
finibus cõſtitutus intelligit ſemper ſibi eſſe pugnandũ: & tunc plenã uictoriam dari ſi fuerit
in campeſtribus,ſi in Abel aſitim אָבֵל הַשִּׁטִּים quod interpretatur luctus ſpinarũ, fleuerit D
antiqua peccata,& ſpinas quę ſuffocauerũt ſementem uerbi dei:& de quibus propheta dicit:
Verſatus ſum in miſeria,dum mihi cõfigitur ſpina:& tunc præparatus, deficiẽte manna, ſub
duce Ieſu Iordanem tranſeat:& circunciſus cultro euangelĳ,primũ comedat de cœleſti pane:
& occurrat ei princeps exercituũ dei,ut uerũ paſcha nequaq; in Ægypto,ſed in finibus terrę
ſanctæ comedat? O profundũ diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei,q; inſcrutabilia ſunt iudi-
cia eius & inueſtigabiles uiæ illius. Quis ſapiens & intelligit hæc? Intelligẽs,& cognoſcet ea?
Quia rectæ uiæ domini:& iuſti ambulabunt in eis. Præuaricatores autem corruent in illis.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

IN ſeptuageſimoſeptimo pſalmo.) Cuius initiũ eſt: Attendite populę meus. Ex hoc Mat- 1
thæus cap. xiĳ. citat uerſiculum: Aperiam in parabolis os meum,eructo abſcõdita à conſti-
tutione. Diuus Hieronymus admonet,in nõnullis exemplaribus ſcriptũ fuiſſe in Matthęo,
ut impleretur quod dictũ eſt per prophetam Eſaiam: germanã autem ac ueram ſcripturam
fuiſſe,per prophetam Aſaph. Deinde ſciolum aliquem,cui Aſaph non uideretur propheta, quod inter
uulgatos illos non eſſet, pro Aſaph ſubdidiſſe Eſaiam, ut magis notum. Rurſus alius quiſpiam offen-
ſus eo nomine,quod hæc uerba non reperiantur in Eſaia,ſuſtulit prophetæ nomen. Porrò titulus pſal-
mi ſeptuageſimiſeptimi eſt,intellectus Aſaph:ſimul & autorẽ indicans pſalmi,& quæ illic de Hebræis
egreſſis ab Aegypto memorantur, non iuxta ſenſum hiſtoricum tantum, ſed iuxta myſticum intelle-
ctum accipi debere. Quod autem Aſaph prophetam uocat,non eſt mirandum, cum in hymnis & can
ticis prophetæ uocentur omnes à quibus ea compoſita ſunt. Lepram domorum.) De his legimus 2
Leuitici capite decimotertio & capite decimoquarto. Taurum homicidam.) Exodi uiceſimopri-
mo,iubetur taurus qui cornu percuſſerit hominem & occiderit, lapidibus obrui. Quod diuus Hiero-
nymus irridet, ſi ad literam obſeruetur. At non pudet Chriſtianos eadem hodie facere, cum homines
pecunia corrupti ſinant impunitos. Et iumentum adulterĳ reum.) Propterea quod Leuitici capitu
lo uiceſimo, iubetur occidi, non ſolum is qui cum iumento coierit,uerumetiam ipſum iumentum tan-
quam adulterum. Aurem ſubula perforatam.) Id habetur Exodi capite uiceſimo. Capharnaum
agrum) Sic enim Capharnaum Hebræis ſonat,ager pulchritudinis,uel uilla conſolationis. Alluſit au-
tem ad hoc, quod poſt occiſum ab Herode Ioannem, Chriſtus relicta ciuitate ſua, in qua contemptui
habebatur,exĳt in deſertum, illuc ſecutam turbam quinque panibus ſatiauit, ut legimus Matthæi de-
cimoquarto. Terram Geſſen.) Nam Geſſen Hebræis ſonat terram complutam. Exterminatorem 3
uocat

A uocat angelum percutientem Aegyptios, ut habetur Exodi capitulo duodecimo. Græci apris.) Ex exemplaribus nihil possum conijcere, nisi quod ex Græcorum cõmentarijs deprehenditur, ἀπαύρσεις esse legendum, quas easdem illi σάθμους uocant, nos mansiones: quorum posterius dictum est, quod illic ab itinere subsistunt, prius à tollendis sarcinis. EX MANSIONE QVARTA Quod
4 pro supradicto elemento.) Scribendũ est enim per literam ה heth, non per ע ain. EX QVIN
5 TA. Quædã antidotus, proprie pharmacũ est, quod datur aduersus noxia, ueluti uenena. Extant cõplura remedia in literis medicorũ, quæ ab amaritudine nomen habent, ἱερὰ πικρὰ, id est sacra amara, & πικρὰ γαληνὸ, id est amara Galeni. Medicorũ uulgus, ex picra pigram facit. EX SEXTA.
6 De quibus Paulus refert.) Est in prima ad Corinthios epist. cap. xv. Quia uisus est Cephæ, & post hoc undecim. Deinde uisus est plusq; quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent usq; adhuc, quidã aũt dormierunt. Deinde uisus est Iacobo, deinde apostolis omnibus. Nouissime aũt omniũ
7 tanq; abortiuo, uisus est & mihi. EX DECIMATERTIA. Nec uirulentias.) Virus uocatur non solum quod uenenũ sit, sed etiam quod uehementem habeat nidorẽ. Olent aũt carnes coctæ, maxime si accedat conditura. Poetarum aũt carmina non simpliciter rem narrant, sed figuris & uerborum illecebris omnia condiunt: quibus non cõuenit usq; adeo delectari ut diuinas fastidiamus literas,
8 quod huiusmodi delicijs careant. EX DECIMAQVARTA. Rursum iacit aliud fundamentum.) Alluſit ad locũ qui est in epistola ad Hebræos cap. vi. Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis. EX DECIMAQVINTA. Cum carbonibus iunipero
9 rum.) Mirum est, diuum Hieronymum nullã huius rei facere mentionẽ in cõmentarijs huius psalmi, unde mihi uidentur hæc quę nos habemus, esse mutila, multis amputatis: id quod & in alijs multis deprehendimus locis, ut id tantũ scripserint, quod intelligerent, cæteris resectis, quod aliquid Græcorum aut Hebræorũ nominum haberent admixtum. ἄρκευθον Græci iuniperũ uocant, quanq; huius duo genera facit Dioscorides arboris. Baccas fert quæ maturitate nigrescant, ἀρκευθίδας uocãt, etiã si Dioscо
10 rides ipsam arborem ἀρκευθίδα uocat. MANSIO DECIMASEXTA. ῥοιᾶς κοπή.) Id est mali punici sectio. Nam ῥοιὰ Græcis malum punicũ est, & κόπτω seco. Inde κοπὴ sectio. Quanq; quidam codices habent ἀβοκοβε. Ex quo licet conijcere scriptum fuisse ἀποκοπὴ, id est abscissio siue rese-
11 ctio. MANSIO DECIMASEPTIMA. Legimus in Malachia.) Nempe capite primo. De lapide sculpto, legis apud Ezechielem capite quarto. MANSIO DECIMAOCTAVA.
Hoc uerbum.) Nempe ressa. μακρογρύπνος.) Id est, parua Genesis, ut sit dictio composita, quod
B est probabilius, siue μικρὰ γρύπνος, ut sint duæ dictiones. Nam & Abraham patriarches.) Hanc hi-
12 storiam legis Genesis cap. decimoquinto, de uacca trima, capra trima, & ariete trimo: & turture & columba in frusta dissectis, necnon de abactis auibus, ne cadauera attingerent usq; ad solis occasum.
Contemptorem oculum.) Alluſit ad id quod est Prouerbiorum capite tricesimo: Oculum qui subsannat patrem, & qui despicit partũ matris suæ, suffodiãt eum corui de torrentibus, & comedant eum filiæ aquilæ. Verusq; Moyses.) Moyses uerus Christus. Aethiopissa ecclesia. Moyses autem ille duxerat Zephorã filiam Iethro. Exodi cap. secundo. Quanq; hic locus mihi uidetur depraua tus. Sic enim habet in plerisq;: Verusq; Moyses & Elias ducit uxorẽ Aethiopissam, & à coruis pascitur. Legendum est aũt: Verusq; Moyses ducit uxorem æthiopissam, & Elias à coruis pascitur. Quod aũt meminit hoc loco Aethiopissæ, ad nigrorẽ respexit Aethiopũ, quem habent cum coruo cõmunem. De Elia, cui coruibis in die mane & uesperi panem & carnes adferebãt, habes tertio Regum libro cap. decimoseptimo.
13 VICESIMANONA MANSIO. κατακοπή.) Id est concisio a κατακόπτω, concido, cum res aut homo minutatim discerpitur ac uulneratur. TRICESIMAPRIMA. πάλυσις.) Id est transitus. Ita legendum arbitror à πάρα præter, & ἐλεύθω uenio: nisi quis malit πάρελασις. id est præterue
14 ctio, ab ἐλάω. Verus Hebræus.) Id est πάσχα. πάσχω transcendere siue trãsire, unde πάσχα transitor siue transmissor. Nam עברי Hebræus in ea lingua sonat transitorem siue transitorium. TRI
15 GESIMASECVNDA. Significantius Græce dicitur.) Ex uestigijs exemplariũ colligo scriptum fuisse, ξυλακισμοὶ ἀνδρὸς, id est lignationes uiri, nisi quis malit ξυλίσματα ἀνδρὸς. Nam ξυλίζομαι est ligna incido, uel ligna colligo. Quidam asscripserat hoc loco ξυλακισμοφόρος TRIGESIMATER
16 TIA. κατ' ἀντίφρασιν.) Id est per contrariam locutionem, cum diuersum significamus ei quod dicimus. TRIGESIMASEXTA. Vtraq; mãsio ὑποκοριστικῶς.) Id est diminutiue. Nam homuncio, lapillus & huiusmodi nomina uocãt ὑποκοριστικὰ, id est diminutiua, ab ὑποκορίζομαι diminuo,
17 uerbo ficto à κόρη puella, quod hæ soleant blandiẽtes uti diminutiuis. QVADRAGESIMASE-
CVNDA. Quid in neomenia mensis septimi.) νεομηνία Græce uocatur initium lunæ. Nam μήνη luna est, νέον nouum, siquidem Græci Kalendas non habent, sed nouilunijs metiũtur suos menses. Vnde prouerbiũ: Ad Græcas Kalendas. Scænophegiæ.) Scenopegiæ scribendũ absq; aspiratione. Nã σκλωὴ siue σκλωὸς tentoriũ est siue tabernaculũ, & πήγω siue πήγνυμι figo, siue pango. Vnde σκλωοπηγία festũ apud Hebræos à figendis tentorijs dictũ, quod ab illis agebatur in memoriam pristinæ uitæ quam in tabernaculis egerant. ANTIDOTVS Ne quem offendat quod Aegyptiorum primogenita interpretatur dogmata philosophorum, atq; eadem paulo post idola uocat, cum theolo-

gorum ſcholæ tantum honoris habeant Ariſtotelicis decretis, ut explodatur, qui huius opinionibus c
uelit refragari, pauculis locis exceptis. Illud durius, quod in decretis idem totam damnat phyſicam, in
qua uel maxime præcellit Ariſtoteles, ſcribens eos in obſcuritate mentis ingredi. Damnat dialecticen
illius argutias appellans imò phantaſmata, & umbras rerum euanidas, breuiq; perituras: atq; hæc ſcri-
pſit cum nondum eſſet tantus honos ethnicis philoſophis apud interpretes Chriſtianæ doctrinæ. Vbi
enim apud Origenem, aut Baſilium, aut Chryſoſtomum legimus, philoſophus phyſicorum tertio, &
philoſophus Meteorologicorum ſecundo, & philoſophus Ethicorum primo? At nunc quiduis potius
habetur quàm theologus, qui iſta non paſſim inculcet. Ad hæc nondum erat hæc dialectica ſophiſticis
ſomnijs ac ſpinis undiq; plena. Et tamen à theologiæ myſterijs ueluti prophanus arcetur, qui non in hu
iuſmodi tricis bonam uitæ partem contriuerit. Neq; dubito quin ſi diuus Hieronymus hanc uidiſſet
theologiam, Ariſtotelicis ſententijs ac legibus undiq; contaminatam, uel obrutam potius, tota libertate
in rem tam indignam detonuiſſet. Quanquam Hieronymus non ſimpliciter improbat horum cogni-
tionem, ſi modo ſit ea moderata, ſed eos damnat, qui plus ſatis tribuunt ethnicis diſciplinis, & illorum
decreta penè æquant Chriſti decretis: quum Chriſti philoſophia ὅλως ἀπ' ἄκρου à philoſophorum de-
cretis abſit, ut ſtultiſſimum ſit, ſi quid uiſum eſt Ariſtoteli, id ad Chriſti leges trahere uelle.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Fabiola nobiliſſima matrona, Bethlehem ſe contulerat, illic cum Paula & Euſtochio uictura, uerum
ingruentibus barbaris coacta eſt redire Romã. Itaq; quod præſenti pollicitus fuerat Hieronymus, nunc
cum fœnore reddit abſenti. Etenim cum illa tantum doceri poſtulaſſet, quid haberet myſterij ueſtitus
ſacerdotum ac leuitarum, tam diligenter à Moyſe deſcriptus, adiecit uelut auctarium, de ritu ceremo-
nijsq; ſacrorum, deq; uaſis templi. Inuitat autem illam uerecunde, ut quandoquidem pacata iam eſſet
Bethlehemitica regio, redeat ad priſtinum contubernium.

HIERON. AD FABIOLAM DE VESTITV SACERDOTVM

VSq; hodie in lectione ueteris teſtamenti ſuper faciem Moyſi uelamen poſitum
eſt. Loquitur glorificato uultu, & populus loquentis gloriam ferre non ſuſtinet.
Cum autem conuerſi fuerimus ad dominum, aufertur uelamen, occidens litera
moritur, uiuificãs ſpiritus ſuſcitatur. Dominus enim ſpiritus eſt, & lex ſpiritualis.
Vnde & Dauid orabat in pſalmo: Reuela oculos meos: & cõſiderabo mirabilia de lege tua.
Nunquid de bubus cura eſt deo? Vtiq; non. Multo magis de iecore bouis, arietis & hircorũ d
& armo dextro, pectuſculo & uentre quo ſtercora digeruntur: quorum duo in eſum accipiũt
ſacerdotes: tertium Phinees meretur in prẽmium. De uictimis ſalutaribus, adeps quo pectus
obuoluitur, & pinnula iecoris offerũtur ſuper altare: ipſum uero pectus & brachiũ dextrum
dãtur Aaron & filijs eius legitimũ ſempiternũ à filijs Iſrael. Senſus in corde eſt, habitaculum
cordis in pectore. Quæritur ubi ſit animæ principale. Plato, in cerebro, Chriſtus monſtrat in 2
corde: Beati mundo corde, quoniã ipſi deum uidebunt. Et, de corde procedunt cogitationes
malæ. Et, quid cogitatis nequã in cordibus ueſtris? Voluptas & concupiſcentia, iuxta eos qui
de phyſicis diſputãt, cõſiſtit in iecore. Huius pinnulã in diuerſa uolitantem, & per oculorum
feneſtras erumpentem foras, offerũt ſacerdotes deo: ut poſtq; opere dixerint deo, holocau-
ſtum tuum pingue fiat: & concupiſcentiã libidinis ſeminarium, igni ſpiritus concremauerint,
mereantur accipere prẽmium, pectus & brachium. In pectore mundas cogitationes, legis no
ticiam, dogmatum ueritatem. In brachio bona opera & pugnam contra diabolum & arma-
tam manũ, ut quod mente conceperint, exemplo probent. Ieſus enim cœpit facere & docere.
Ipſum quoq; pectuſculũ appellatur ἐπίθεμα, id eſt additamentũ ſiue prẽcipuũ & egregium: 3
תְּנוּפָה tenupha quippe hoc magis ſonat. Ex quo intelligimus iuxta illud Malachiæ: Labia
ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: præcipuam debere eſſe in ſa-
cerdotibus legis doctrinæq; noticiã: & additamento gratiæ ſpiritualis, talem uirum inſtitui,
qui poſſit contradicentibus reſiſtere: & nihil in ſe ſiniſtri habere operis, quod ducat ad tarta-
rum: ſed dextrum brachiũ & ſeparatum, ut opera ſacerdotis cõparatione uirtutum eius, à cun
ctis hominibus ſeparata ſint. Hæc de uictimis & his quæ offerũtur in altari, & ſacerdotibus
dantur à domino. Cæterum & alia tria exceptis primitijs hoſtiarum, & de priuato, & de ma
cello publico, ubi non religio ſed uictus neceſſitas eſt, ſacerdotibus membra tribuuntur, bra-
chium, maxilla, & uẽter. De brachio iam diximus. Maxilla eloquentẽ eruditumq; ſignificat,
ut quod pectore concipimus, ore promamus. Venter receptaculũ ciborum, in ſcorto Madia-

nitide

A nitide ſacerdotali pugione confoſſus,uniuerſos hominum labores,momentanea blandimenta gulæ,ſtercoris fine condemnat: & oſtendit mentibus conſecratis deo, totum quod curri/mus,quod ſatagimus,quod uoramus,in ſeceſſum proïci. Vnde Apoſtolus:Eſcæ,inquit,uentri,& uenter eſcis: deus autem & hunc & illas deſtruet.Et econtrario de luxurioſis: Quorum
4 deus uenter eſt, & gloria in confuſione eorum. Vituli puluerem quem adorauerat Iſrael, in contemptum ſuperſtitionis in potum accepit populus, ut diſcat cõtemnere quod in ſeceſſum proïci uideat.Præcipitur ſacerdotibus, ne miniſtraturi in templo, uinum & ſiceram bibant, ne ebrietate & crapula & curis huius uitæ prægrauentur corda eorum: nec partem habeant in terra,niſi ſolum deum: ut nulla debilitate ſegnes ſint,ne truncis auribus,læſo oculo, ſimis naribus,claudo pede,cutis colore mutato:quæ omnia referuntur ad animæ uitia. Voluntas enim in homine,non natura damnatur.Si quis è ſacerdotibus ſemine fluxerit, ad ſacerdotalem menſam prohibetur accedere:& econtrario uidua cuius cum Sara defecerunt muliebria, propter continentiã & caſtitatem recipitur in domũ patris,& de templi ærario alitur. Quod
5 ſi filios habuerit, redditur ſoboli ſuæ, ut iuxta Apoſtolum his miniſtretur, quæ uere uiduæ ſunt:& ut quæ de ſacerdotalibus ſuſtentatur cibis,nullius alterius amore teneatur. Vicinus & mercenarius excluduntur à conuiuio ſacerdotum,ſeruis ciborum reliquiæ conceduntur. Iam tunc reïciebantur Phygelus & Hermogenes, & recipiebatur Oneſimus. Primitiæ ciborum & omnium frugum atq; pomorum offeruntur antiſtiti: ut habens uictum atq; ueſtitum, abſq; ullo impedimento ſecurus & liber ſeruiat domino.Primogenita mundorũ animalium accipiunt ſacerdotes: immundorũ precia. Hominum quoq; primi partus redimuntur: quia cõditio una naſcendi eſt,precium æqualiter offertur, ſic moderatum & leue,ut nec diues intumeſcat,nec tenuis prægrauetur.Aeditui & ianitores accipiũt decimas:& rurſum decimas decimarũ offerunt ſacerdotibus: tanto illis minores,quanto ipſi maiores populo. Quadraginta octo ciuitates ad habitandum leuitis & ſacerdotibus ſeparantur: ſex urbes fugitiuorũ trans
B Iordanem & intra Iordanem eliguntur:& finis exilij,mors pontificis eſt. Vniuerſa quæ feſtinus ſermo perſtrinxit, & quorum pulſaui nec aperui ſacramenta, ad cunctos pertinent ſacerdotes.Pontifex autem quantis polleat priuilegijs,dicam breuiter. Caput,inquit, ſuum non
6 diſcooperiet.Habet cidarim, & nomen dei portat in fronte: diademate ornatus eſt regio, ad perfectam Chriſti uenit ætatem,ſemper eius gloria protegendus eſt: & ueſtimenta ſua non ſcindet,quia candida ſunt,quia impolluta, quia agnum ſequentia, & de attonſæ ouis confecta uelleribus.Thamar amiſſa pudicitia,ſcidit tunicã. Caiphas perdito ſacerdotio, rupit publice ueſtimenta.Super omnem animam,quæ mortua eſt non ingreditur. Vbicunq; peccatum eſt,& in peccato mors,illuc pontifex non accedit. Anima quæ peccauerit,ipſa morietur. Quamuis ille ſit diues,quamuis potens, & multitudinem offerat uictimarũ, ſi mortuus eſt, non tangitur à pontifice,non uidetur. Quod ſi reuiuiſcit,& ad uocem ſaluatoris egreditur de ſepulchro & faſcijs peccatorũ ſolutus incedit,intrabit ad eũ pontifex:& ibi faciet manſionem & cum reſurgente prandebit. Super patre ſuo & matre ſua non inquinabitur. Multa nos facere cogit affectus:& dum propinquitatem reſpicimus corporũ,& corporis & animę offendimus creatorem. Qui amat patrem aut matrem ſuper Chriſtum, non eſt eo dignus.Diſcipulus ad ſepulturam patris ire deſiderans, ſaluatoris prohibetur imperio. Quanti monachorum dum patris matriſq; miſerentur,ſuas animas perdiderunt? Super patre & matre pollui nobis non licet,quanto magis ſuper fratre,ſororibus,conſobrinis,familia,ſeruulis? Genus regale & ſacerdotale ſumus.Illum attendamus patrem,qui nunquam moritur,aut qui pro nobis moritur:& qui ideo uiuens mortuus eſt,ut nos mortuos uiuificaret.Si quid habemus de Aegypto quod princeps mundi ſuum poſſit agnoſcere, tenenti Aegyptiæ cum pallio relinquamus.Sindone opertus adoleſcens,uinctum dominũ ſequebatur: incurriſſet laqueos,niſi expeditus & nudus perſequentium declinaſſet impetum.Reddamus parentibus quæ parentum ſunt:ſi tamen uiuunt:ſi ſeruientes domino filios ſuos,præferri ſibi gloriãtur. Et de ſanctis non egredietur:& non polluet ſanctificationẽ dei ſui.Pro ocioſo quoq; uerbo rationem

redditurі

redditurí ſumus: & omne quod non ædificat audientes, in periculum uertitur loquentium. c
Ego ſi fecero,ſi dixero quippiam,quod reprehenſione dignũ eſt,de ſanctis egredior, & pol/
luo uocabulum Chriſti,in quo mihi blandior: quanto magis pontifex & epiſcopus, quem
oportet eſſe ſine crimine,tantarumq; uirtutum,ut ſemper moretur in ſanctis:& paratus ſit ui
ctimas offerre pro populo,ſequeſter dei & hominũ,& carnes agni ſacro ore conficiens:quia
ſanctum oleum dei ſui ſuper eum eſt.Non egredietur de ſancto,ne ueſtimentum quo indu/
tus eſt,polluat. Quotquot enim in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtũ induimus. Seruemus
tunicam quam accepimus,ſanctam cuſtodiamus in ſancto. Ille montanus habitator,qui de
Hieruſalem deſcendebat in Hiericho,non prius uulneratus eſt,q; nudatus. Infunditur ei o/
leum,medicamentũ lene,& miſericordia temperatum: & quia debuit negligentia ſentire cru/
ciatum, uini auſteritate mordetur, ut per oleum ad pœnitentiam prouocetur,per uinum ſen
tiat ſeueritatem iudicantis. Vxorem uirginem accipiet, uiduam autem eiectam & meretri
cem non accipiet,ſed uirginem de genere ſuo, & non contaminabit ſemen ſuum in populo.
Ego dominus qui ſanctifico eum. Scio põtificem,cui præcepta nunc dantur,à pleriſq; Chri/
ſtum intelligi: & id quod dictum eſt,ſuper patre & matre non inquinabitur,de uirginali Ma
riæ partu ediſſeri:multoq; facilior eſt ſuper domino interpretatio, qui audit in pſalmo: Tu
es ſacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedek. Et in Zacharia:Audi Ieſu ſacerdos
magne:& cui ſordida peccatorum noſtrorũ ueſtimenta tolluntur, ut recipiat gloriã quam ha
buit apud patrem priuſq; mundus eſſet. Sed ne quis me uim facere ſcripturæ putet, & ſic
amare Chriſtum,ut hiſtoriæ auferam ueritatem, interpretabor in membris, quod referatur
ad caput:intelligam de ſeruis,quod impleatur in domino. Quanq; gloria domini,gloria fa/ 7
mulorũ ſit.Et ubicunq; oportunitas loci tulerit,ſic de uero lumine diſputabo, ut deriuetur ad
eos,quibus Chriſtus donauit ut lumen ſint.Pontifex iſte quem Moſaicus ſermo deſcribit,ui
duam eiectam & meretricẽ non duxit uxorem. Vidua eſt,cuius maritus eſt mortuus.Eiecta
quæ à marito uiuente proĳcit.Meretrix,quæ multorũ libidini patet.Sed accipiet,inquit,uxo d
rem uirginẽ & de genere ſuo:non alienigenã,ne in mala terra,nobiliũ ſeminum frumenta de
generent:Non meretricẽ,quæ multis expoſita eſt amatoribus.Non eiectam,quæ etiã priori
cõiugio indigna fuit.Non uiduam,ne priſtinarũ meminerit uoluptatum: ſed illam animam,
quæ non habet maculam, neq; rugam, quæ cum Chriſto renata innouatur de die in diem,
de qua Apoſtolus loquitur:Deſpondi enim uos uni uiro,uirginem caſtã exhibere Chriſto.
Nolo diſcipulam coniugem pontificis quicquã habere de uetere homine. Si conſurreximus
cum Chriſto,ea quæ ſurſum ſunt ſapiamus,præteritorum obliti,futurorum auidi.Infelix Si/
mon,quia poſt baptiſmũ de antiquo matrimonio cogitabat,nec ad uirginalem uenerat puri
tatem,Petri cõſortio indignus fuit.Compuliſti me Fabiola literis tuis,ut de Aaron tibi ſacer/
dotio ſcriberem & ueſtimentis.Ego plus obtuli,ut de cibis & primitĳs ſacerdotum, & de ob/
ſeruatione pontificis præfatiunculam ſtruerem. Egreſſa de Sodomis, & ad montana feſti/
nans,non uis habitare in parua urbe Segor. Tranſcendens proſelytos,præteris Iſraelitas,di/
mittens leuiticũ gradũm,& præpete penna tranſuolans ſacerdotes,ad pontificem uenis.Sed
dum ueſtes eius & rationale pectoris diligenter inquiris, noſtra tibi diſplicuere conſortia. Et
tu quidem optato frueris ocio: & iuxta Babylonem Bethlehemitica forſitan rura ſuſpiras.
Nos in Ephrata,tandem pace reddita, uagientem de præſepi audimus infantẽ: & querimo/
nias eius ac uoculas,ad tuas aures cupimus peruenire. Legimus in Exodo,tabernaculnm,
menſam,candelabrum,altare,columnas,tentoria,coccum,byſſum, hyacinthum,purpuram,
ex auro,argento,ære uaſa diuerſa,tabernaculum diuiſum in tria, duodecim panes per ſingu/
las hebdomadas menſæ impoſitos, in candelabro ſeptem lucernas, altare hoſtĳs holocau/
ſtiſq; expoſitum,crateras,ſcyphos, thuribula, phialas, mortariola,paxillos,pelles rubras,pi
los caprarũ & ligna imputribilia. Tanta & talia offeruntur in tabernaculo dei: ut nullus de/
ſperet ſalutem.Alius aurũ ſenſuum, alius argentũ eloquĳ, alius uocem æris exhibeat.Totus
mundus in tabernaculi deſcribitur ſacramento. Primum & ſecundum ueſtibulum omnibus

patet

A patet. Aqua enim & terra,cunctis mortalibus data ſunt. In ſanctis uero ſanctorum, quaſi ad æthera & in cœlum,paucorũ introitus & uolatus eſt. Duodecim panes,duodecim menſium ſignificant circulum.Septem lucernæ, ſeptem errantia aſtra demonſtrant. Et ne longum faciam(neq; enim propoſitum mihi nunc eſt de tabernaculo ſcribere) ueniam ad ſacerdotalia ueſtimenta:& antequam myſticam ſcruter intelligentiã, more Iudaico quæ ſcripta ſunt ſimpliciter exponam:ut poſtquam ueſtitum uideris ſacerdotem,& oculis tuis omnis eius patue-
8 rit ornatus,tunc ſingulorum cauſas pariter exquiramus. Diſcamus primum communes ſacerdotum ueſtes atq; pontificum.Lineis fœminalibus, quæ uſq; ad genua & poplites ueniunt,uerenda cælantur:& ſuperior pars ſub umbilico uehementer aſtringitur:ut ſi quãdo expediti mactant uictimas,tauros & arietes, trahunt portantq; onera,& in officio miniſtrandi ſunt,etiam ſi lapſi fuerint,& fœmora reuelauerint,non pateat quod opertum eſt.Inde & gradus altaris prohibentur fieri:ne inferior populus aſcendentium uerenda cõſpiciat,uocaturq; lingua Hebræa hoc genus ueſtimenti מִכְנָסַי michenſe, Græce περισκελῆ, à noſtris fœminalia,uel bracæ uſq; ad genua pertingentes. Refert Ioſephus (nam ætate eius adhuc templum ſtabat:& necdum Veſpaſianus & Titus Hieroſolymam ſubuerterant, & erat ipſe de genere ſacerdotali: multoq; plus intelligitur quod oculis uidetur, quàm quod aure percipitur) hæc fœminalia de byſſo retorta ob fortitudinem ſolere contexi, & poſtquam inciſa fuerint, acu conſui.Non enim poſſe in tela huiuſcemodi fieri. Secunda ex lino tunica eſt ποδήρης, id eſt talaris,duplici ſindone,quam & ipſam Ioſephus byſſinam uocat,appellaturq; כְּתֹנֶת chetonet,id eſt χιτὼν, quod Hebræo ſermone in lineam uertitur.Hæc adhæret corpori,& tam arcta eſt & ſtrictis manicis,ut nulla omnino in ueſte ſit ruga,& uſq; ad crura deſcendat. Volo pro legentis facilitate abuti ſermone uulgato. Solent militantes habere lineas, quas camiſias uocant, ſic aptas membris & aſtrictas corporibus, ut expediti ſint uel ad curſum, uel ad prælia,dirigere iacula,tenere clypeum,enſem librare, & quocunq; neceſſitas traxerit.Ergo &
B ſacerdotes parati in miniſteriũ dei,utuntur hac tunica,ut habẽtes pulchritudinem ueſtimentorũ,nudorũ celeritate diſcurrant. Tertium genus eſt ueſtimenti, quod illi appellant אַבְנֵט abanet, nos cingulum,uel baltheũ, uel zonam poſſumus dicere, Babylonij nouo uocabulo חֵמְיָנִין hemeianin uocant.Diuerſa uocabula ponimus,ne quis erret in nomine. Hoc cingulum in ſimilitudinẽ pellis colubri qua exuit ſenectutẽ, ſic in rotundum textũ eſt ut marſupium longius putes. Textum eſt aũt ſubtegmine cocci,purpurę, hiacynthi,& ſtamine byſſino, ob decorem & fortitudinẽ: atq; ita polymita arte diſtinctum, ut diuerſos flores ac gemmas artificis manu non textas,ſed additas arbitreris. Lineam tunicam, de qua ſupra diximus,inter umbilicum & pectus hoc ſtringunt baltheo,qui quatuor digitorũ habens latitudinem,& ex una parte ad crura dependens,cum ad ſacrificia curſu & expeditione opus eſt, in læuũ humerum retorquetur. Quartum genus eſt ueſtimenti, rotundũ pileolum, quale pictum in Vlyſſe conſpicimus,quaſi ſphæra media ſit diuiſa,& pars una ponatur in capite: hoc Græci & noſtri πάφον, nõnulli galerum uocãt,Hebræi מִצְנֶפֶת miznepheth:nõ habet acumen in ſummo,nec totũ uſq; ad comã caput tegit:ſed tertiã partem à fronte inopertã relinquit: atq; ita in occipitio uitta conſtrictũ eſt,ut nõ facile labatur ex capite.Eſt aũt byſſinum,& ſic fabre opertũ linteolo,ut nulla acus ueſtigia extrinſecus appareãt. His quatuor ueſtimentis,id eſt fœminalibus,tunica linea,cingulo,quod purpura,cocco,byſſo,hyacinthoq; contexitur,& pileo,de quo nunc diximus,tã ſacerdotes cq; pontifices utuntur. Reliqua quatuor proprie pontificum ſunt,quorũ primũ eſt mail מְעִיל id eſt tunica talaris, tota hyacinthina, ex lateribus eiuſdẽ coloris aſſutas habens manicas,& in ſuperiori parte qua collo inducitur aperta, quod
9 uulgo capitiũ uocãt,oris firmiſſimis ex ſe textis,ne facile rumpãtur. In extrema parte, id eſt ad pedes,ſeptuaginta duo ſunt tintinnabula,& totidẽ mala punica,ĩſdẽ contexta coloribus, ut ſupra cingulũ.Inter duo tintinnabula unum malum eſt:inter duo mala unum tintinnabulum,ut alterutrum ſibi media ſint:cauſaq; redditur. Idcirco tintinnabula ueſti appoſita ſunt, ut cum ingreditur pontifex in ſancta ſanctorum, totus uocalis incedat, ſtatim moriturus ſi

hoc non

hoc non fecerit. Sextum eſt ueſtimentum quod Hebraica lingua dicitur ephod אפוד Se/ c
ptuaginta ἐπωμίδα, id eſt, ſuperhumerale appellant. Aquila ἐπίφαμμα, nos ephod ſuo
ponimus nomine. Et ubicunq; in Exodo, ſiue in Leuitico ſuperhumerale legit, ſciamus apud
Hebræos ephod appellari. Hoc autem eſſe pontificis ueſtimentum, & in quadam epiſtola
ſcripſiſſe me memini: & omnis ſcriptura teſtatur ſacrum quiddam eſſe, & ſolis conueniens
pontificibus. Nec ſtatim illud occurrat, quod Samuel qui leuita fuit, ſcribitur in regnorum
primo libro, habuiſſe ætatis adhuc paruulæ ephod bad. id eſt, ſuperhumerale lineum: cum
Dauid quoq; ante arcam domini idem portaſſe referatur. Aliud eſt enim ex quatuor ſupra/
dictis coloribus, id eſt, hyacintho, byſſo, cocco, purpura, & ex auro habere contextum: aliud
in ſimilitudinem ſacerdotum ſimplex & lineum. Auri laminæ, id eſt bracteæ, mira tenuitate
tenduntur, ex quibus ſecta fila torquentur, cum ſubtegmine trium colorum, hiacynthi, cocci,
purpuræ, & cum ſtamine byſſino: & efficitur palliolum miræ pulchritudinis, præſtringens
fulgore oculos in modum caracallarũ, ſed abſq; cucullis. Contra pectus nihil cõtextum eſt,
& locus futuro rationali derelictus. In utroq; humero habet ſingulos lapides clauſos & aſtri
ctos auro, qui Hebraice dicuntur ſoom שוהם ab Aquila & Symmacho & Theodotione
onychini: à Septuaginta ſmaragdi transferuntur: Ioſephus Sardonycas uocat, cum Hebræo
Aquilaq; conſentiens: ut uel colorem lapidum, uel patriam demonſtraret. Et in ſingulis lapi/ 10
dibus ſena patriarcharum nomina ſunt, quibus Iſraeliticus populus diuiditur. In dextro hu/
mero maiores filij Iacob, in læuo minores ſcripti ſunt: ut pontifex ingrediens ſancta ſancto/
rum, nomina populi pro quo rogaturus eſt dominum, portet in humeris. Septimum ueſti
mentum eſt menſura paruum, ſed cunctis ſupradictis ſacratius. Intende quæſo animum, ut
quæ dicuntur intelligas. Hebraice uocatur hoſen חשן Græce autem λόγιον, nos rationale
poſſumus appellare, ut ex ipſo ſtatim nomine ſcias myſticum eſſe quod dicitur. Pannus eſt
breuis ex auro & quatuor textus coloribus, hoc eſt ijſdem quibus & ſuperhumerale, habens
magnitudinem palmi per quadrum, & duplex, ne facile rumpatur. Intexti ſunt enim ei duo/ d
decim lapides miræ magnitudinis atq; precij per quatuor ordines: ita ut in ſingulis uerſiculis
terni lapides collocentur. In primo ordine ſardius, topazius, ſmaragdus ponit. Symmachus 11
diſſentit in ſmaragdo, ceraunium pro eo transferens. In ſecundo carbunculus, ſapphyrus, ia/
ſpis. In tertio lyncurius, achates, amethyſtus. In quarto chryſolitus, onychinus, berillus. Sa/ 12
tisq; miror cur hyacinthus precioſiſſimus lapis in horũ numero non ponatur: niſi forte ipſe
eſt alio nomine lyncurius. Scrutans eos qui de lapidum ſcripſere naturis atq; gemmarum,
Lyncurium inuenire non potui. In ſingulis lapidibus ſecundum ætates duodecim tribuum
ſculpta ſunt nomina. Hos lapides in diademate principis Tyri, & in Apocalypſi Ioannis le/
gimus, de quibus extruitur cœleſtis Hieruſalem: & ſub horum nominibus & ſpecie, uirtutum
uel ordo uel diuerſitas indicatur. Per quatuor rationalis angulos, quatuor anuli ſunt aurei,
habentes contra ſe in ſuperhumerali alios quatuor: ut cum appoſitum fuerit λόγιον in loco,
quem in ephod diximus derelictum, anulus ueniat contra anulum, & mutuo ſibi uittis copu
lentur hyacinthinis. Porrò ne magnitudo & pondus lapidum contexta ſtamina rumperet,
auro ligati ſunt atq; cõcluſi: nec ſuffecit hoc ad firmitatem, niſi & catenæ ex auro fierent, quæ
ob pulchritudinem fiſtulis aureis tegerentur: haberentq; & in rationali ſupra duos maiores
anulos, qui uncinis ſuperhumeralis aureis necterentur, & deorſum alios duos: nam poſt ter/
gum in ſuperhumerali contra pectus & ſtomachum, ex utroq; latere erant anuli aurei, qui ca
tenis cum rationalis inferioribus anulis iungebantur: atq; ita fiebat, ut aſtringeretur & ratio/
nale ſuperhumerali, & ſuperhumerale rationali, ut una textura contra uidentibus putaretur.
Octaua eſt lamina aurea, id eſt, ſis zaab צִיץ זָהָב in qua ſcriptum eſt nomen dei Hebraicis
quatuor literis י iod ה he ו uau ה he, quod apud illos ineffabile nuncupatur. Hæc ſuper
pileolum lineum & commune omnium ſacerdotum, in pontifice plus additur, ut in fronte
uitta hyacinthina cõſtringatur, totamq; pontificis pulchritudinem, dei uocabulum coronet
& protegat. Didicimus quæ uel communia cum ſacerdotibus, uel quæ ſpecialia pontificis

ueſtimenta

A- ueſtimenta ſint:& ſi tanta difficultas fuit in uaſis fictilibus,quanta maieſtas erit in theſauro, qui intrinſecus latet? Dicamus igitur prius quod ab Hebræis accepimus: & iuxta morem noſtrum,ſpiritualis poſtea intelligentiæ uela pandamus. Quatuor colores ad quatuor elemen-
13 ta referuntur,ex quibus uniuerſa ſubſiſtunt. Byſſus terræ deputatur, quia ex terra gignitur. Purpura mari, quia ex eius cochleolis tingitur. Hyacinthus aeri, propter coloris ſimilitudinem. Coccus igni & ætheri,qui Hebraice שני ſen appellatur:quod Aquila πάφανον, Symmachus πάφαινον interpretatus eſt. Pro cocco iuxta Latinum eloquium,apud Hebræos tolaath תולעת, id eſt,uermiculus ſcribitur: & iuſtum eſſe commemorant, ut pontifex creatoris non ſolum pro Iſrael,ſed & pro uniuerſo mundo roget:ſi quidem ex terra & aqua & aere & igne mundus iſte conſiſtit:& hæc elementa ſint omnium. Vnde primum ueſtimentum lineum,terram ſignificat:ſecundum hyacinthinum,aerem in colore demonſtrans: quia de terrenis paulatim ad excelſa ſuſtollimur: & ipſa ueſtis hyacinthina à capite uſq; ad talos ueniens,indicat aerem de cœlis uſque ad terram fuſum. Mala autem punica & tintinnabula in inferioribus poſita fulgura tonitruaq; demonſtrant: ſiue terram & aquam,& omnium elementorum inter ſe conſonantiam: & ſic ſibi uniuerſa perplexa, ut in ſingulis omnia reperiantur Quod autem ſupradicti colores auro intexti ſunt: id ſignificari uolunt, quod uitalis calor, & diuini ſenſus prouidentia, uniuerſa penetret. Superhumerale & duos lapides, uel ſmaragdinos,uel onychinos,qui deſuper ſunt,& utrumq; humerũ tegunt,duo hemiſphæria interpretantur:quorum aliud ſuper terram, aliud ſub terra ſit:ſiue ſolem & lunam, quæ deſuper rutilant. Zonam illam qua ſacerdotis pectus artatur,& linea tunica id eſt terra conſtringitur, in-
14 terpretantur oceanum. Rationale in medio poſitum,terram ediſſerunt:quæ inſtar puncti,licet omnia in ſe habeat, tamen à cunctis uallatur elementis. Duodecim lapides, uel zodiacũ interpretantur circulum,uel duodecim menſes:& in ſingulis uerſiculis,ſingula aſſignant tempora,& his ternos deputant menſes. Nec alicui gentilis uideatur expoſitio. Non enim ſi cœ-
8 leſtia & dei diſpoſitionem,idolorum nominibus infamarunt:idcirco dei eſt neganda prouidentia,quæ certa lege currit & fertur,& regit omnia. Nam & in Iob, Arcturum & Orionem & מזלות mazoloth,hoc eſt,zodiacum circulum & cætera aſtrorũ nomina legimus: nõ quod eadem apud Hebræos uocabula ſint,ſed quod nos non poſſumus quæ dicuntur,niſi conſuetis uocibus intelligere. Pulchre autem hocipſum quod in medio eſt,appellatur rationale. Ratione enim cuncta ſunt plena,& terrena hærent cœleſtibus, imò ratio terrenorum & temporum,caloris & frigoris,& duplex inter utraque temperies, de cœli curſu & ratione deſcendit. Vnde & rationale cũ ephod fortius ſtringitur. Porrò quod dicitur in ipſo rationali δήλωσις eſſe & ἀλήθεια,id eſt,manifeſtatio atque doctrina uel ueritas,hocipſum ſignificat,quod nunquam in dei ratione mendacium ſit: ſed & ipſa ueritas multis ſignis & argumentis monſtretur hominibus,& uſque ad mortales ueniat. Vnde factũ eſt, ut rationem ſolis & lunæ & anni & menſium & temporum & horarum,tempeſtatum quoq;, ſerenitatis atq; uentorum & rerum omnium noſceremus,accipiẽtes inſitam à deo ſapientiam, & ipſo habitatore atq; doctore, domicilij ſui nobis & fabricæ ſcientiam demonſtrante. Super omnia ciddaris & uitta hyacinthina cœlum monſtrat: & auri lamina quæ in fronte pontificis eſt, inſcriptumq; nomen dei,uniuerſa quæ ſubter ſunt,dei arbitrio gubernari. Idipſum ego puto ſub alijs nominibus & in Cherubim & quatuor animalibus figuratum, quæ ita ſibi permixta ſunt & hærent,ut in uno inueniantur & cætera:& quod inſtanter,& ante ſe uadant,& non reuertantur. Labuntur enim tempora,& præterita relinquentia,ad futura feſtinãt. Quod autem ſemper in motu ſunt,illud ſignificant quod & philoſophi ſuſpicantur, currere mundum ſuo ordine, & inceſſabiliter uelut rotã in ſuo axe torqueri:unde & rota in rota,id eſt,tempus in tẽpore:& annus in ſemetipſum reuoluitur:& ipſæ rotę eleuantur ad cœlum,& ſuper cryſtallũ thronus ex ſapphiro eſt, & ſuper thronum ſimilitudo ſedentis: cuius inferiora ignea ſunt, ſuperiora electrina:ut demonſtret quæ inferiora ſunt,igne & purgatione indigere:quæ ſurſum,in conditionis ſuæ puritate perſiſtere. Et quomodo hic in habitu ſacerdotis, auri lamina eſt deſu-

perita in Ezechiele electrum in pectore,& in uertice collocatur.Iustum ergo erat(sicut supra C
ex parte diximus)ut pontifex dei,creaturarum omnium typum portans in uestibus suis,indi
caret cuncta indigere misericordia dei:& cum sacrificaret ei, expiaretur uniuersalis conditio,
ut non pro liberis ac parentibus & propinquis,sed pro cuncta creatura,& uoce & habitu pre
caretur. Tetigimus expositionem Hebraicam, & infinitam sensuum syluam alteri tem/ 15
pori reseruãtes,quædam futuræ domus strauimus fundamenta. De fœminalibus lineis hoc
solent dicere, ratio seminũ & generationis ad carnem pertinens,terræ per ea deputatur. Vn/
de & ad Adam loquitur deus: Terra es, & in terram ibis. Causasq; huius rei,quomodo de
paruulo semine & fœdissimis initijs tanta uel hominum uel diuersarum rerum pulchritudo
nascatur,esse obuolutas,& humanis oculis nõ patere.Legimus in Leuitico,iuxta præceptum
dei,Moysen lauisse Aaron & filios eius:iam tunc purgationem mũdi & rerum omnium san/
ctitatem,baptismi sacramenta signabant.Non accipiunt uestes, nisi lotis prius sordibus: nec
ornantur ad sacra, nisi in Christo noui homines renascantur. Vinum enim nouum in nouis
utribus mittitur. Quod autem Moyses lauat,legis indicium est.Habent Moysen & prophe/
tas,ipsos audiant. Et ab Adam usq; ad Moysen omnes peccauerunt. Præceptis dei lauandi
sumus,& cum parati ad indumentum Christi, tunicas pelliceas deposuerimus, tunc indue/
murueste linea, nihil in se mortis habente, sed tota candida: ut de baptismo consurgentes,
cingamus lumbos in ueritate, & tota pristinorum peccatorum turpitudo cæletur. Vnde &
Dauid:Beati quorum remissæ sunt iniquitates,& quorum tecta sunt peccata. Post fœmina/
lia & lineam tunicam induimur hyacinthino uestimẽto,& incipimus de terrenis ad alta con/
scendere.Hęc ipsa hyacinthina tunica,à Septuaginta ὑποδύτης, id est,subucula nominatur:
& proprie pontificis est, significatq; rationem sublimium non patere omnibus, sed maiori/
bus atq; perfectis. Hanc habuerunt Moyses & Aaron & prophetæ, & omnes quibus dici/
tur:In montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Nec sufficit nobis priorum ab/
lutio peccatorum,baptismi gratia,doctrina secretior,nisi habuerimus & opera. Vnde iungi/ D
tur & ephod,id est,superhumerale,quod rationali copulatur:ut non sit laxum, neq; dissolu/
tum,sed hæreant sibi inuicem & auxilio sint.Ratio enim operibus,& opera ratione indigent:
ut quod mente percipimus,opere perpetremus. Duoq; lapides in superhumerali,uel Chri/
stum significant & ecclesiam, duodecim apostolorum qui ad prædicationem missi sunt no/
mina continentes: uel literam & spiritum, in quibus continentur legis uniuersa mysteria. In
dextra spiritus,in læua litera est.Per literas ad uerba descendimus,per uerba uenimus ad sen
sum. Quàm pulcher ordo,& ex ipso habitu sacramenta demonstrãs.In humeris opera sunt,
in pectore ratio. Vnde & pectusculum comedunt sacerdotes. Hoc autem rationale duplex
est,apertum & absconditum,simplex & mysticum, duodecim in se lapides habens, & qua/
tuor ordines:quos quatuor puto esse uirtutes,prudentiam, fortitudinem,iusticiam & tempe
rantiam,quæ sibi hærent inuicem, & dum mutuo miscentur, duodenarium efficiunt nume/
rum:uel quatuor animalia,quæ in Apocalypsi describuntur plena oculis, & domini luce ra/
diantia mundum illuminant.In uno quatuor,& in quatuor singula. Vnde & δήλωσις & ἀλή
θεια, id est, manifestatio uel doctrina & ueritas in pectore sacerdotis est. Cum enim indu/
tus quis fuerit ueste multiplici,consequens est, ueritatem quam corde retinet, sermone pro/
ferre:& ob id in rationali ueritas est,id est,scientia,ut nouerit quæ docenda sint: & manifesta
tio atq; doctrina,ut possit instruere alios,quod mente concepit. Vbi sunt qui innocentiam sa
cerdoti dicunt posse sufficere? Vetus lex nouæ congruit: idipsum Moyses quod Apostolus.
Ille sacerdotis scientiam ornat in uestibus:iste Timotheum & Titum instruit disciplinis.Sed
& ipse uestimentorum ordo præcipuus. Legamus Leuiticum. Non prius rationale & sic su/
perhumerale,sed ante superhumerale,& deinceps rationale. A mandatis tuis, inquit,intelle/
xi: prius faciamus, & sic doceamus: ne doctrinæ autoritas, cassis operibus destruatur. Hoc
est quod in propheta legimus: Seminate uobis in iusticia,& metite fructum uitæ:illuminate
uobis lumen scientiæ.Primum seminate in iusticia,& fructum uitæ æternæ metite:postea uo
bis scientiam

A bis ſcientiam uendicate. Nec ſtatim abſoluta perfectio eſt, ſi quis ſuperhumerale & ratio-
nale habeat: niſi hęc ipſa inter ſe forti cõpagine ſolidẽtur, & ſibĩ nuicem cõnexa ſint: ut & ope
ratio rationi, & ratio operibus hæreat: & his prędcedentibus, doctrina ſequat & ueritas. Qua-
tuor elementa, de quibus ſupra diximus, & duos lapides uel onychinos uel ſmaragdinos: &
gemmas duodecim, quæ ponuntur in rationali, ſi eſſet tempus ut diſcuterem, ſingulorum na
turas & cauſas tibi exponerem: & quid unuſquiſq; ualeat, & quomodo uirtutibus ſingulis
comparentur, plenius quæſita demonſtrarem. Sufficiat, quod & ſanctus papa Epiphanius
egregium ſuper hoc uolumen ædidit: quod ſi legere uolueris, pleniſſimã ſcientiam cõſeque-
16 ris. Ego iam menſuram epiſtolæ excedere me intelligo, & excipientis ceras uideo eſſe comple
tas. Vnde ad reliqua tranſeo, ut tandem finiatur oratio. Lamina aurea rutilat in fronte: nihil
enim nobis prodeſt omnium rerum eruditio, niſi dei ſcientia coronemur. Lineis induimur;
ornamur hyacinthinis, ſacrato baltheo cingimur, dantur nobis opera, rationale in pectore
ponitur: accipimus ueritatem, profert ſermo doctrinam: imperfecta ſunt uniuerſa, niſi tam
decoro currui dignus quæratur auriga, & ſuper creaturas creator inſiſtens, regat ipſe quę con
didit. Quod olim in lamina monſtrabatur, nunc in ſigno oſtenditur crucis. Auro legis, ſan-
guis euangelĩ preciosior eſt. Tunc ſignum iuxta Ezechielis uocem gementibus figebatur
in fronte: nunc portantes crucem dicimus, Signatũ eſt ſuper nos lumen uultus tui domine
Bis in Exodo legimus præcipiente domino, & Moyſe iuſſa faciente, octo ueſtium genera
pontificis. In Leuitico de ſeptem tantum ſcriptum eſt: & refertur quomodo Moyſes fratrem
ſuum Aaron illis induerit: de ſolis fœminalibus nihil dicitur: hac (ut arbitror) cauſa, quod
ad genitalia noſtra & uerenda lex non mittit manum, ſed ipſi ſecretiora noſtra & confuſio-
ne digna tegere & uelare debemus, & conſcientiam puritatis fœminum deo iudici reſerua-
re. De cæteris uirtutibus (uerbi gratia) ſapientia, fortitudine, iuſticia, temperantia, humilita-
te, manſuetudine, liberalitate, poſſunt & alĩ iudicare: pudicitiam ſolam nouit conſcientia, &
B humani oculi huius rei certi iudices eſſe non poſſunt: abſq; his qui paſſim in morem bruto-
rum animalium libidini expoſiti ſunt. Vnde & Apoſtolus: De uirginibus, inquit, præce-
ptum domini non habeo: quaſi Moyſes loquatur: fœminalibus ego non ueſtio, nec impo-
no alicui neceſſitatem: qui uult ſacerdos eſſe, ipſe ſe ueſtiat. O quantæ uirgines, & quanto-
rum ſperata pudicitia in die iudicĩ dehoneſtabitur: quantorum infamata pudicitia à deo iu-
dice coronabitur. Ipſi igitur aſſumamus fœminalia: ipſi noſtra uerenda operiamus: non
quæramus alienos oculos. Ita tegantur genitalia, ut nullorum oculis pateant: ne quando in-
17 tramus ſancta ſanctorum, ſi qua apparuerit turpitudo, morte moriamur. Iam ſermo fini-
tur, & ad ſuperiora retrahor. Tanta debet eſſe ſcientia & eruditio pontificis dei, ut & egreſ-
ſus eius & motus & uniuerſa uocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu re-
ſonet & ornatu: ut quicquid agit, quicquid loquitur, ſit doctrina populorum. Abſq; tintin-
nabulis enim & diuerſis coloribus & gemmis floribuſq; uirtutũ, nec ſancta ingredi poteſt,
nec nomen antiſtitis poſſidere. Hæc ad unam lucubratiunculam cum iam funis ſolueretur à
littore, & nautæ crebrius inclamarent, propero ſermone dictaui, quæ memoria tenere pote-
ram, & quæ diuturna in rationali pectoris mei lectione congeſſeram: ſatis intelligens magis
me loquendi impetu, quàm iudicio ſcribentis fluere, & more torrentis turbidum proferre ſer
monem. Fertur in indice Septimĩ Tertulliani liber de Aaron ueſtibus, qui interim uſque
ad hanc diem à me non eſt repertus. Si à uobis propter celebritatem urbis fuerit inuentus,
quæſo ne meam ſtillam illius flumini comparetis. Non enim magnorum uirorum ingeniis,
ſed meis ſum uiribus æſtimandus.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 MOyſi uelamen.) Verba Pauli ſunt ex ſecunda ad Corinthios epiſtola cap. iij. quibus ſigni-
ficat, Iudęos legem Moſaicam ad literam interpretari, cum in ea mors ſit, in ſpirituali ſenſu
uita. Multo magis de iecore.) Repetenda eſt negatio, non eſt, alioqui multo magis qua-
drabat, multo minus. Porro de legibus Iudaicarum uictimarum, legis in Leuitico. Quo
ſtercora digeruntur.) Nam quibuſdã duo uentres ſunt. Et digeruntur poſuit, non pro concoquuntur,

ſed pro diſſiciuntur. De uictimis ſalutaribus.) Nam erant uictimæ pro peccatis, erant & pacificæ. C
Adeps quo pectus.) Adeps pinguedo eſt concreta ex ſanguine concocto. Vnde qui ſanguine carent, carẽt & adipe. Ea ſi durior fuerit, & plusculũ habuerit terrenæ naturæ, ſebũ, ſeu ſeuũ uocatur. Et pinnula iecinoris.) Habet enim hoc extum prominentes ceu pinnulas, quas nõnulli fibras uocant. Sensus in corde.) Sensus hoc loco non significat eum ſenſum, cuiuſmodi eſt auditus aut uiſus, ſed ipſam mentem qua intelligimus, quam Græci uocant νῦν. Plato in cerebro.) Plato in Timæo, ſummam 2
animæ partem, quam rationalem uocat, in cerebro ueluti regem in arce collocat: undiq; ſenſibus ceu ſatellitibus ſtipatam, præcipue uiſu & auditu. Vim irascibilem ſtatuit in corde, uim concupiſcibilem in iecore, ueluti in infima corporis parte. Iecur enim infra ſtomachum eſt, & ſtomachus adhæret uẽtri. Cæterum animæ principale Hieronymus Græce dixit magis quàm Latine. Nam illi uocant τὸ ἡγεμονικόν, quod gubernet reliquas animi uires & coherceat. Vnde quod ratio eſt in homine, id princeps deberet eſſe in republica. Chriſtus in corde.) Fuit in hac ſententia Plinius, ita ſcribens de cordẽ: Prima domicilia intra ſe animæ & ſanguini præbet ſinuoſo ſpecu, & in magnis animalibus triplici, in nullo non gemino, ibi mens habitat. Voluptas & concupiſcentia.) Opinor legendum uoluntas, non uoluptas: ut intelligas eam uim, qua amamus atq; odimus, appetimus ac refugimus: eam in iecore conſtituunt, in quo ſanguinis eſt officina, & bilem habet annexã uelut igniculum. Indicant hoc & Poetæ: Neq; enim mihi cornea fibra eſt. Et: Siccum iecur ardeat ira. Addit autem iuxta eos, qui de phyſicis diſputant, propterea quod Chriſtus hæc quoq; poſuerit in corde. Huius pinnulã.) Voluntas hominis, quoniam uarias res appetit, ac ſæpe noxias, uolitare dicitur. Ac uoluntas tandem erumpẽs per oculos, uelut auis incluſa, tum euolat, cum ſeſe prodit. Nonnulli codices habent uolutante pro uolitante: nec mihi diſplicet ea lectio. Volutat enim animus, cum huc & huc uoluitur. Quod autem ait, hanc erumpere per oculos ueluti proſpectantem è feneſtra, huc reſpicit, quod Plinius quoq; prodidit, nuſquam animi manifeſtiora eſſe indicia, quàm in oculis, cunctis animantibus, præſertim homini. In his moderationis, clementiæ, miſericordiæ, odij, amoris, triſtitiæ, lætitiæq; ſignificatio. Profecto, inquit, in oculis animus inha- 3
bitat. Igni ſpiritus.) Nam rationem Paulus ſpiritum uocat, quanquam hic de diuino ſpiritu poteſt accipi. Appellatur ἐπίθεμα.) Epithema ſonat additamentum, ſiue appoſitionem, ab ἐπιθεῖναι. Verum è Græcis uoluminibus apparet legendum eſſe, pectuſculum ἀφαιρέματος, id eſt, additamenti. Sic enim illa referunt ex autoritate Septuaginta, τὸ γὰρ στηθύνιον τοῦ ἐπιθέματος, καὶ τὸν βραχίονα τοῦ ἀφαιρέματος. id eſt, pectuſculum enim additionis, & brachium ſeparationis. Græci interpretes idem putant eſſe ἐπίθεμα & ἀφαίρεμα, id eſt additamẽtum & ſeparationem, nempe fructum ſacrorum, qui ſepara- D
tus cedebat in commodum ſacerdotis. Siue præcipuum & egregium.) Quod magis exprimit Hebraica uox quàm Græca, תְּרוּמָה Et de priuato.) Hoc eſt non de ſacrificio. Fortaſſe legendum eſt ad hunc modum: Aere priuato, de macello publico tribuuntur. Sacerdotali pugione confoſſus.) Phinees Eleazari ſacerdotis filius, nepos Aaron, confodit ſimul & Hebræum & ſcortum Madianitidem, pugione per genitalia tranſacto, ſicuti legis Numerorum cap. xxv. Stercoris ſine.) Quod hæc omnia uertantur in ſtercus, hoc eſt in turpem & fœdam famam, ſiue quod ueluti ſtercora uelit contemni.

Quod ſatagimus.) Hoc refert ad eos, qui per mare, per terras, per ſaxa, per undas uolitant, ut ſibi diuitias parent. Quarum omniũ finis eſt ſtercus. Nam ſatagere eſt proprie cum difficultate ac moleſtia 4
quippiam agere. Vituli puluerem.) Ita legis Exodi cap. xxij. Arripiensq; uitulum quem fecerant, combuſſit & contriuit uſq; ad puluerẽ, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Iſrael. Debilitate ſegnes.) Quidam codices habebant inſignes, uerum magis placet ſegnes, in quo uerbo eſt allegoria literæ. Nam debiles appellantur, qui membro ſunt mutilo, aut manco. Læſo oculo.) Vtſt. a bi, aut lippi, aut luſcioſi. Ita Martialis: Lumine læſus. Cutis colore.) Quod accidit ictericis ac leproſis.

Referuntur ad animæ uitia.) Ne nũc quidem admittũtur ad ſacerdotium, qui inſigni corporis uitio laborant, niſi numerẽt epiſcopo. Et quod dolendum eſt, multo maior habetur horum ratio, quàm animi uitiorum. Bibones, ſcortatores, aleatores, & qui hæc uitia, uultu, cultu, inceſſu, totoq; habitu præ ſe ferunt, paſſim admittunt. Ob claudicatiunculam miſerandum magis, quàm malum reijciunt. Neq; damno, quod reijciunt. Neq; enim ſine cauſa inſtituit Anaſtaſius põtifex Romanus, huius nominis primus, ne claudi, cæci, mutili in clericorũ ordinem reciperentur. Videbat enim paſſim, ſi quos habebant liberos uitio corporis notabiles, hos Chriſto obtrudere: quos integros, eos cõſecrare mundo, & principum aulis. Proinde dignitati conſulens clericorum Anaſtaſius, conſtitutionem oppoſuit. Sed multo magis dehoneſtatur ordo clericorum uitæ turpitudine, quàm corporis uitio. Hic igitur erat præcipue uigilandũ epiſcopis. Deniq; ſi recipiendus eſt qui uitio corporis arcebatur, nõ is admittendus eſt quiſquis numerat exactam pecuniæ ſummam, quæ uitium illius non tollit, ſed auaritiam alit epiſcoporum, ſed qui uitium corporis egregijs animi uirtutibus penſarit. Quæ uere uiduæ ſunt.) Ita Paulus in prio- 5
re ad Timotheum epiſtola, uere uiduas intelligit, quæ per ætatem ſimul & animi propoſitũ caſtæ ſunt, & cenſu pauperes: & ut his alendis ſufficiat eccleſia, uult alias excludi, quę uel non egeant, uel indignæ ſint huiuſmodi ſubſidio. Oneſimus.) Hunc ſeruum Philemonis, Paulus ad Chriſtum conuerterat, Pauloq; ſeruierat in uinculis. Itaq; hunc ſummo ſtudio Philemoni cõmendat in epiſtola ad eum ſcripta,

alludens

A alludens ad illius nomen quod Græce significat utilis. Aeditui dicuntur.) Non ipsi sacerdotes, sed rerum sacrarum custodiæ præfecti, quos Græci uocant ἱεροφάντας, quod & ipsi uescantur sacris cibis.

Pulsaui, nec aperui.) Pulsaui, per metaphorā dixit leuiter attigi. Sacramenta dixit mysteria, & spi-
6 ritualē sensum, non quæ uulgus sacramenta uocat. Cidarim.) κιδαρεῖς, siue κιτταρεῖς Græce, regium pileum est. Diadema.) Et hoc Græcum est, διάδημα, id est, amiculum, quo caput regis obligatur, à
7 διαδέω, quod est obuincio. Vt deriuetur ad eos.) Indicat tropologiæ rationem. Coniugem pon tificis.) Pontificem hic intellige, ad quem mox dicit illā euolasse præteritis omnibus. Non uis habi-
8 tare in par.) Historia est Genesis cap. xix. Lot rogat ut sibi liceat fugere in uicinā ciuitatē Segor, quam paruam uocat: ut facilius impetret. Et tamen eandem non paruam, in qua seruandus esset. Sodomā Origenes interpretatur, spurcitiam libidinis. Segor, matrimoniū. At Fabiola ad Christū properabat, non cogitans de repetendo matrimonio. Ad tuas aures.) Tacite inuitat illam ad contuberniū Bethlehe-
8 miticum, discesserat enim illinc ob incursum Barbarorum, ut ante testatus est. Patuerit ornatus.) De ornatu sacerdotali, lege Exodi cap. xxviij. Græce.) περισκελὶς, id est, perisceli s. Nam hac uoce usus est & Horatius, à περὶ, quod est circa, & σκέλος crus, quod crurum partem tegat. Quidam habent περισκελῆ. ποδήρης.) Id est talaris, à ποῦς pes, quod porrigatur ad pedes. Quale pictū in Vlysse cō.) Vlyssem appellat Vlyssis statuam aut imaginem. Solet enim Vlysses pingi pileatus: quæ res primum orta est à pictore Nicomacho, quemadmodum refert Plinius libro xxxvij. his quidem uerbis. Hic primus Vlyssi addidit pileum. Quin & Soranus in uita Hippocratis, testatur à plerisq; & Hippocratem solere pingi pileatum, ad exemplum Vlyssis. Quidam codices habebant pro Vlyssē Culysse,
9 sed mendose. Oris firmissimis.) Oras fimbrias uocat. Mala punica.) Eadem sunt quæ uulgo granata uocantur. Septuaginta ἐπωμίδα.) Ab ὦμος humerus, & ἐπὶ super, componitur ἐπωμὶς, indumentum quo teguntur humeri. Ita restituimus ex Græcanicis cōmentarijs, in quibus & ἐπωμίδιον inuenimus in eodem sensu. Aquila ἔφιμμα, siue ἐπίφραμμα.) Varie locus hic habebatur deprauatus: uerum ex collatione Græcorū interpretū legendum est ἐπώνυμα, ab ἐπὶ super, & ὀνύομαι induor.

In modum caracallarum.) Caracalla genus est uestis barbaricæ, Vnde nomen Imperatori Caracallæ, ut in ipsius refertur uita. Vel colorem lap. u. p.) Nam onychini dicti à colore unguis, qui Græce dicitur onyx. Et smaragdus à lucido uirore dicitur, μαίρω Græce luceo, additur σ uelut in σμικρὸς, pro μικρὸς, futurum μαρῶ: inde deriuatiuum uerbum μαράσσω & σμαράσσω: hinc nomen uerbale σμάραγος, & additione δ σμάραγδος. Ita Græcum etymologicū in dictione σμαραγδ. Sardonyces autem
B à patria dictæ uidentur Hieronymo, à Sardinia, cum Plinius libro xxxiij. cap. vij. palàm autumet dictas, quasi Sarconychas. Nam σὰρξ caro, & ὄνυξ unguis, quod uelut unguem hominis carni impositū repræsentent. Patriam de patria.) Hæc uerba, de patria, nō uideo quid ad rem pertineant. Singulis uersiculis.) Versiculos seriem & ordinem uocat, quod uulgo deprauate uocant lineam seu regulam.
10 Sardius.) Hanc ipsam opinor, quam Plinius Sardam uocat, testaturq; Sardibus primū repertam: quamuis Theophrastus Sardij mentionē faciat. Apparet ex Plinio candidū esse. Topazius uiridis est, teste Plinio.) Quidam dictam putant à Topazio insula rubri maris, quæ quoniā est nebulosa, cum à nauigantibus sæpe quæsita esset, hinc nomen accepit. Nam τοπάζειν lingua Troglodytarū quærere
11 significat. Smaragdus.) Et hæc gemma uiret, etiamsi uaria sunt genera. Ceraunius.) A colore fulmineo nomē habet. Carbunculus.) Carbonis ardentis siue igniti specie est. Vnde & Græce ἄνθραξ, siue ἀνθράκιον, id est, carbo, siue carbunculus. Saphirus.) Cœli colorē habet: Græci σάπφειρον uocant. Iaspis.) Huius uarius est color, sed probatissima, cui purpureus est. Ligurius.) Haud dubium est, quin lyngurius sit legendū. Hieronymus ingenue fatetur, se gemmā hanc nō potuisse reperire apud autores, qui de his tradiderunt: nec mirum est, hominē tantum, tantulū suffugisse lapillum, cum alioties non uideamus & id in quod incurrimus. Quanq; meminit Lyngurij Theophrastus in libello περὶ τῶν λίθων, & hunc sequutus Plinius libro trigesimoseptimo, cap. iij. Hanc ferunt nasci ex urina lyncis, unde & nomen habet. λύγξ animal est, οὖρον urina. Ea protinus cōcrescit in gemmā. Sed inuidum animal protinus egestam urinā terra operit, ne possit ab homine inueniri, ad multa efficax medicamenta. Valere enim ad elidendos uesicæ calculos, & aduersus morbum regium, si gestetur, aut ex uino bibatur. Non est dissimilis electro, siue succino. Non enim solū attrahit festucas & lignum, uerum ferrum, si sit tenuius. Theophrastus huius rei citat autorem Diocles. At Plinius neutri credit hac quidē in re: & negat unquā hoc nomine gemmam uisam. Achates.) A flumine Siciliæ, iuxta quod primū repert
12 a est, nomen inuenit. Et huius quoq; uaria genera tradit Plinius. Amethystus,) Ab effectu nomen habet. Obsistit ebrietati si gestetur, ut autor est Plutarchus. μέθυσος ebrius, & α particula priuatiua. Quanquam non credit Plinius. Est colore candoris purpurei, pellucentis. Principis Tyri.) Apud Ezechielem cap. uicesimooctauo. Ob pulchritudinem fist.) Ego pro fistulis, fibulis legendum arbitror. Quatuor literis.) Vnde & tetragrāmaton uocatur apud Hebræos, pro quo scribitur aliquando adonai. Sunt autem eiusmodi literæ, ut cohærentes nihil sonent יהוה quod Græci ἄφρασον appel-
13 lant, id est, ineffabile. Byssus terræ dep.) Nam byssus lini candidissimi genus est. Purpura mari.) Nam purpura piscis est, è cuius succo tingitur purpureus color. Quem primus inuenit Hercules, canis

pilis eo tinctis,cũm purpuram deuoraſſet. Hyacinthus.) Eſt & flos huius nominis,& gemma ob eo C
loris ſimilitudinem:ceruleus enim eſt lapis ut flos. Coccus.) Vulgo granum uocatur, & eſt. Nam coccos Græce ſignificat granum,hoc addit ardorem colori. Diaphanon.) Διάφανον à διαφαίνω, pel/lucens,ſiue translucens. Symmachus διαβαινον, int. eſt.) Legendum arbitror διαβορον. Nam hu/ius lapilli meminit Theophraſtus.In quibuſdam codicibus non aſſcribitur. Vermiculus.) Hic co/lor eſt non animal. Vnde uermiculata, rubro tincta, qui color igni conuenit. Linea tænia.) Tænia 14
Græca uox eſt, ſignificat fimbriam ſeu uittam. Arcturum & Orionem.) Omnium aſtrorum uoca/bula penè à gentiũ fabulis habent nomina,ut Arcturus ab urſa trãslata in cœlum,Orion,Iupiter,Mars, &c. Superuacuum ſit hic originem fabularum repetere,Atq; his nominibus aliquando ſingulas ſigni/ficant ſtellas,aliquando complures iunctas. Δήλωσις.) A δηλόω, quod eſt declaro,ſiue manifeſto.

Αλήθεια ueritas.) ἀλήθειαν intelligit ueri cognitionẽ, δήλωσιν cõmunicationem & doctrinã. Sen 15
ſuum ſyluam.) Rudem materiam,ſyluam uocant,ac nondum expolitam. Nam ὕλη materia eſt,& ma terias Latini uocant arbores deſtinatas ædificijs,ſed nondum dolatas. A ſeptuaginta ὑπόπχ@.) Ita quidem habetur in quibuſdam codicibus. Forte legendum eſt ὑποχίτων, quod ſubter tunicam ſit. Id enim ſubucula dicitur,imò potius ὑπόδυτις, id quod propemodũ ex epiſtola ad Marcellam,cuius ini tium: Epiſtolare officium, colligitur.Item ex Græcorum cõmentarijs. Excipientis ceras.) Excipere 16
dicuntur notarij,qui olim in ceratis ſcribebant tabulis,ut liceret delere ſi quid perperam ſcripſiſſent.Di ctat autem is, qui ſcribenda pronunciat. Vnde colligimus, hunc librum ab Hieronymo non ſcriptum fuiſſe,ſed dictatum. Morte moriamur.) Hoc enim additur Exodi uiceſimooctauo præcepto fœmi- 17
nalium, ac tegendorum pudendorum, ne iniquitatis rei moriãtur. Vniuerſa uocalia ſint.) At nunc uulgus ſacerdotum ad cætera muti,nihil tinniunt, niſi de decimis accipiendis: & magna pars nihil ex iure põtificio didicit,niſi duplices deberi decimas,prædiales & pſonales. Tertulliani liber de Aaron.) Quin etiã extant ſuper hiſce rebus aliquot homiliæ Origenis,unde mutuatus eſt pleraq; Hieronymus.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Quæ de terra promiſſionis leguntur in ſacris literis, ea docet potiſſimum ad allegoriam pertinere. cum tota Iudæorũ regio perquam anguſta ſit ambitu,tum multa loca non ſint occupata Iudæis,quam/uis recenſeantur in promiſſione.

HIERONYMVS DARDANO

QVæris Dardane Chriſtianorum nobiliſſime,& nobilium Chriſtianiſſime,quæ D
ſit terra repromiſſionis,quam Iudęi redeuntes ex Aegypto poſſederunt,cum à maioribus eorum iam fuerit ante poſſeſſa:ac proinde non ſit promiſſa, ſed red/dita.His enim uerbis uteris in calce epiſtolæ tuæ.Quod interrogãs uideris illud ſentire,quod plurimis noſtrorum placet, aliam repromiſſionis terram eſſe quærendam, de qua & Dauid loquitur in pſalmo: Credo uidere bona domini in terra uiuentiũ.Et dominus in Euangelio:Beati mites,quoniam ipſi poſſidebunt terram. Vtiq; Dauid quando hæc can/tabat in ſpiritu, in terra repromiſſionis erat: & non ſolum in Iudææ finibus morabatur,ſed multarum in circuitu nationũ uictor extiterat,quę à torrente Aegypti,qui eſt Rhinocoruræ, uſq; ad Euphratem fluuiũ tendebãtur,dicens in alio loco: In Idumæã extendã calciamẽtum meũ: mihi alienigenæ ſeruient.Quomodo ergo ſe credebat accipere,quod iã uictoria poſſi/debat? Et ne forſitan legentibus Iudæis ambiguũ derelinquat,quæ ſit illa terra, quam uidere cupiebat,ipſo ſermone demonſtrat, dicens: Credo uidere bona domini in terra uiuentium. Ergo terra Iudææ,quæ illius ditionis erat,non eſt terra uiuentiũ,id eſt,Abraham,Iſaac,& Ia cob,de quibus dominus in reſurrectionis quæſtione dicit:Non eſt deus mortuorum,ſed ui/uentium:uerum terra & regio mortuorum,de quibus loquitur Ezechiel: Anima quæ pecca/uerit,ipſa morietur. Et: Non mortui laudabunt te domine,ſed nos qui uiuimus benedicimus domino,qui in reſurrectione occurſuri ſumus domino ſaluatori, dicẽte Apoſtolo:Hoc enim dico uobis in ſermone domini,quoniã nos qui uiuimus,qui relinquimur in aduentu domini, non prẽueniemus eos qui dormierũt:de quibus & Hieremias loquitur:Derelinquentes te ſu per terrã ſcribentur. Quodq; Dauid promittit: Credo uidere bona domini:ad ſpiritalẽ nos perſpicue trahit intelligentiã. Quæ enim bona rex alia requirebat,aut q̃ indigebat:qui tantæ potẽtiæ fuit,ut partis per illũ opibus,Solomon filius eius(q̃ nullus in orbe terrarũ ditior fuit) cõtentus eſſet? Sed in terra uiuentiũ bona illa quærebat,quæ nec oculus uidit, nec auris audi uit,nec in cor hominis aſcenderũt,quę præparauit dominus diligẽtibus ſe.Quod aũt in euan

gelio

A gelio dicitur:Beati mites,quoniã ipſi poſſidebunt terram:iuxta literam ſibi uidetur eſſe con-
trariũ.Non enim terrę poſſeſſio manſuetorũ eſt & mitium,qui ſæpe etiã à parentibus dereli-
cta perdunt propter manſuetudinem, ſed uirorum fortium & uiolentorũ, qui ſunt ad bella
promptiſſimi. Deniq; & in pſalmo quadrageſimoquarto, qui ſub nomine Salomonis ad
Chriſti eccleſiæq; eius ſacramentũ refertur,ſcribitur: Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuũ
potentiſſime.Specie tua & pulchritudine tua intende,proſperare & regna.Propter mãſuetu-
dinem & iuſticiã & ueritatẽ,& deducet te mirabiliter dextera tua. Hic eſt qui & in alio pſal-
mo loquebatur:Memento domine Dauid,& omnis manſuetudinis eius.Et iterũ:Aſſumens
manſuetos dominus.Et apertius in Euangelio:Diſcite à me,quia humilis ſum, & manſuetus
corde.In cuius typum & Moyſes omnium hominũ,qui erant ſuper terram, manſuetiſſimus
ſcribitur.Hæc eſt(ut diximus)terra uiuentium, in qua ſanctis uiris atq; manſuetis bona do-
mini præparantur: quam ante aduentũ in carne domini ſaluatoris, nec Abraham,nec Iſaac,
nec Iacob,nec prophetæ,& alij iuſti uiri cõſequi potuerunt. Deniq; & Abraham,licet diuer-
ſis locis,cum Lazaro uidetur apud inferos:& Iacob uir iuſtus dicit: Lugẽs & gemens deſcen-
dam ad infernum.Sanguis Chriſti clauis paradiſi eſt, dicentis ad latronem: Hodie mecum
eris in paradiſo.Iſta eſt(ut diximus)terra uiuentium,terra diuitiarum & bonorum dei,quam
primus Adam perdidit,& ſecundus Adam inuenit:imò ab illo perditam iſte reſtituit,dicen-
te Apoſtolo:Regnauit mors ab Adam uſq; ad Moyſen:ſub cuius perſona lex intelligitur,in
ſimilitudinem præuaricationis Adam,qui eſt forma futuri. Volumus ſcire manifeſtius quæ
ſit uera terra,legamus Malachiam:Beatos uos dicent omnes,dicit dominus, quoniam eritis
1 uos in terra uoluptuaria: quæ ſignificantius Græce appellatur τρυφη, quã uel ſancti deſide-
rant,uel quæ deo placeat.Eſaias quoq; in hæc uerba cõſentit, dicẽs: Et erit uir abſcondẽs ſer-
mones ſuos,& apparebit in terra Sion,ſicut fluuius glorioſus in terra ſitienti. Quæ eſt terra
Sion,in qua apparebit fluuius glorioſus? Illa uidelicet,de qua idem Dauid in alio pſalmo ca-
B nit: Glorioſa de te dicta ſunt ciuitas dei.Et iterum:Diligit dominus portas Sion ſuper omnia
tabernacula Iacob.Nunquid iſtas portas diligit deus quas uidemus in cineres & fauillas eſſe
conuerſas? Non dico prudentibus,ſed ne ſtultis quidem hoc perſuaderi poteſt.Ego arbitror
& illud,quod in ſexageſimoquarto pſalmo legimus: Viſitaſti terram,& inebriaſti eam,mul-
tiplicaſti locupletare eam.Fluuius dei repletus eſt aquis:paraſti cibum illorum, quoniam ſic
eſt præparatio eius:ſulcos eius inebria,multiplica genimina illius: in ſtillicidijs eius lætabitur
germinans:huic ſenſui conuenire. Illa enim terra quotidie uiſitatur à deo & inebriatur, cũ-
ctisq; plena eſt diuitijs.De hac fluuius egreditur dei, de quo ſcriptum eſt: Fluminis impetus
lætificat ciuitatem dei:qui & in deſcriptione templi Ezechiel myſtico ſermone narratur: in cu
ius ripis arbores ſunt ex utraque parte per ſingulos menſes nouis frugibus abundantes. De
qua terra & in prouerbijs uir ſcripſit ſapientiſſimus: Qui operatur terram ſuam, implebitur
panibus. Quod ſi de hac terra quam cernimus, & quæ magis à peccatoribus poſſidetur, de
qua ſcriptum eſt:Maledicta terra in operibus tuis: aliquis intelligendum putat, reſpondeat
quomodo hæc poſſit ſtare ſententia:qui operatur terram ſuam,implebitur panibus. Quanti
enim operantur terram,& exercent uomere:& tamen multis impedientibus cauſis, egeſtate
conficiuntur & penuria? Sed conſiderandũ eſt,ſcriptura quid dicat:Qui operatur terram ſu-
am,quæ proprie iuris ſui eſt,de qua nunq; eijci poteſt: ſecundũ quẽ ſenſum & illud ſcriptum
eſt:Redemptio animæ uiri,proprię diuitiæ.Et hoc ſecundũ literam ſentiri nõ poteſt. Quanti
enim alienis amicorumq; redimuntur pecunijs? Huius terræ cultores & agricolæ apoſtoli
ſunt,de quibus dicitur: Vos eſtis ſal terræ.Et in alio loco:In patientia ueſtra poſſidebitis ani-
mas ueſtras:quorum unus,uas electionis,confidentiſſime loquebatur:Dei enim cooperato-
res ſumus,dei agricultura,dei ædificatio:& multa alia,quæ idcirco non replico,ne ſenſum le-
gentis uidear obtundere,& memoriæ illius diffidere. Illud quoq; ſollicita mente tractemus,
& ſcripturarũ nos doceat autoritas,ſanctos huius terræ,quam Iudæi terram repromiſſionis
autumant, non habitatores eſſe, ſed accolas atq; peregrinos. Ex iuſti uiri legimus perſona:

Aduena ſum ego & peregrinus,ſicut omnes patres mei.Qui cum diu in terrę huius tenebris c
uerſaretur,flebiliter ingemiſcit & dicit:Heu me,quia peregrinatio mea prolongata eſt, habi/
taui cum habitantibus Cedar,multũ incola fuit anima mea. Vbicunq; autem habitator ter/
ræ legitur,& priora, & media, & extrema tractemus, & liquido ſcripturarum poterit regula
cõprobari,ſemper habitatores terræ peccatores appellari: de quibus in Apocalypſi Ioannis
illud exemplũ eſt: Væ habitatoribus terræ.Abraham ad quem primum facta eſt repromiſ/
ſio,dicente domino:Tibi dabo terram hanc & ſemini tuo : iuxta Stephani in Chriſto primi
martyris concionem, ne ueſtigium quidem pedis huius terræ dicitur accepiſſe. Ita enim ſcri/
ptum eſt:Tunc egreſſus de terra Chaldæorum habitauit in Carram : & inde,poſtquã mor/
tuus eſt pater eius, migrauit in terrã,in qua uos nunc habitatis:& non dedit ei poſſeſſionem,
ne ueſtigium quidem pedis,quã repromiſit dare ei in poſſeſſionem & ſemini eius poſt eum.
Ac ne forſitan lectoris tacita cogitatio trahat eum ad illam intelligentiam : ut quod non eſt
datum parenti,reddatur poſteris:uas electionis loquit ad Hebræos:Fide qui uocatur Abra/
ham, obediuit egredi in locum quem accepturus erat in poſſeſſionem : & egreſſus eſt,neſci/
ens quò iret.Fide peregrinatus eſt in terra promiſſionis,quaſi in aliena:in tabernaculis habi/
tans cum Iſaac & Iacob,& cohæredibus eiuſdem promiſſionis: expectauit enim fundamen/
tum habentem ciuitatem, cuius artifex & creator deus eſt. Et iterum cum de Abel & Enoch,
Noe , Saraq; dixiſſet, intulit:Iuxta fidem mortui ſunt hi omnes,non acceptis repromiſſio/
nibus,ſed procul eas uidentes & ſalutantes,& confitentes quia peregrini & aduenæ erant ſu/
per terram . Qui enim hæc loquuntur, oſtendunt quod quærant patriam:& ſiquidem illius
recordabantur,de qua egreſſi erant,habebant tempus ut reuerterentur:nunc uero meliorem
deſiderãt,id eſt,cœleſtem. Multisq; in medio ſanctis commemoratis, ad extremum intulit:
Et hi omnes teſtimonium habentes in fide, non acceperunt repromiſſionem, deo de nobis
melius quid prouidente,ne ſine nobis perfecti fierent.Acceſſimus enim ad montem Sion &
ciuitatem dei uiuentis Hieruſalem cœleſtem : & multorum milium angelorum frequentiam d
& eccleſiam primitiuorum qui ſcripti ſunt in cœlis. Nec me fugit, quod perfidia Iudæorum
hæc teſtimonia non ſuſcipiat, quæ utiq; ueteris teſtamenti autoritate firmata ſunt. Illud no/
ſtris dicendũ eſt:hanc epiſtolã quæ inſcribitur ad Hebręos, non ſolum ab eccleſijs Orientis,
ſed ab omnibus retro eccleſiaſticis Græci ſermonis ſcriptoribus, quaſi Pauli apoſtoli ſuſcipi,
licet pleriq; eam uel Barnabæ uel Clementis arbitrentur:& nihil intereſſe,cuius ſit:cum eccle
ſiaſtici uiri ſit, & quotidie eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latinorum conſue/
tudo non recipit inter ſcripturas canonicas, nec Græcorũ quidem eccleſiæ Apocalypſim Io/
annis eadẽ libertate ſuſcipiũt:& tamen nos utraq; ſuſcipimus, nequaq; huius temporis con/
ſuetudinem,ſed ueterũ ſcriptorũ autoritatem ſequentes, qui plerunq; utriuſq; abutuntur te/
ſtimonijs : non ut interdũ de apocryphis facere ſolent, quippe qui & gentiliũ literarum raro
utantur exemplis,ſed quaſi canonicis & eccleſiaſticis.Reſpondeãt mihi qui hãc terram(quæ
nunc nobis Chriſti paſſione & reſurrectione,terra repromiſſionis effecta eſt) poſſeſſam pu
tant à populo Iudæorum poſt quàm reuerſus eſt ex Aegypto, quantum poſſederit: utiq; à
Dan uſq; Berſabee,quæ uix centum ſexaginta milium in longũ ſpacio tenditur. Neq; enim
Dauid & Salomon potentiſſimos reges, exceptis his quos poſt uictoriam in amicitiam re/
ceperunt,plus tenuiſſe ſcriptura teſtatur. Et hoc dico, ut taceam quinq; Palæſtinæ ciuitates,
Gazam, Aſcalonem,Geth,Accaron & Azotum,Idumęos quoq; à meridiana plaga uix ſe/
ptuagintaquinq; milibus ab Hieroſolyma ſeparatos,Arabas & Agarenos, quos nunc Sar/
racenos uocant, in uicinia urbis Hieruſalem. Pudet dicere latitudinem terræ repromiſſionis,
ne ethnicis occaſionem blaſphemandi dediſſe uideamur . Ab Ioppe uſq; ad uiculũ noſtrum
Bethlehem,quadraginta ſex milia ſunt:cui ſuccedit uaſtiſſima ſolitudo,plena ferocium bar/
barorum,de quibus dicitur : Contra faciem omnium fratrum tuorum habitabis:& quorum
facit Poeta eloquentiſſimus mentionem : Lateq; uagantes Barcæi : ab Barce oppido, quod
in ſolitudine ſitum eſt:quos nunc corrupto ſermone Afri Baricianos uocant.Hi ſunt qui pro

locorum

A locorum qualitatibus,diuersis nominibus appellãtur,& à Mauritania per Aegyptũ, Aphri/
cam,Palæstinamq; & Phœnicen,Cœlen Syriam & Osrhohenem,Mesopotamiã, atq; Per
sidem tendũt ad Indiam.Hæc est Iudææ tuarum longitudo & latitudo terrarum: in his glo/
2 riaris, super his te per diuersas prouincias ignorantibus iactitas . ad populum phaleras,ego
te intus & in cute noui.Quod si obieceris terram repromissionis dici,quæ in Numerorum uo
lumine continetur, à meridie maris Salinarum per Sina & Cadesbarne, usq; ad torrentem
Aegypti,qui iuxta Rhinocoruram mari magno influit, & ab Occidente ipsum mare Palæ/
stinæ, Phœnices,Syriæ Cœles,Ciliciæq; pertenditur: ab Aquilone Taurũ montem & Ze/
phyrium usq; Hemath , quæ appellatur Epiphania Syriæ: ad Orientem uero per Antio/
chiam,& lacum Cenereth,quæ nunc Tyberias appellatur,& Iordanem, qui mari influit Sa/
linarum,quod nũc mortuum dicitur: trans Iordanem autem duarum semis tribuum posses/
sio est,Ruben & Gad,& dimidiæ tribus Manasse. Et ego fatebor hæc tibi repromissa , non
tradita:si obseruasses mandata dei,& in præceptis illius ambulasses,si non pro omnipotente
deo coluisses Beelphegor & Baal,Beelzebub & Chamos:quos quia prætulisti deo, omnia
quæ tibi promissa fuerunt , perdidisti . Et mihi in Euangelio promittuntur regna cœlorum:
quæ instrumentum uetus omnino non nominat . Sed si non fecero quæ præcepta sunt, ne/
quaquam erit culpa in promittente,sed in me qui promissum accipere non merui. Vbi enim
optio proponitur ad eligendum,qui operari renuis,frustra cupias quod promissum est. Le/
ge librum Iosue & Iudicum,& quantis possessionum angustijs sis coartatus,intelliges. Quid
diuersarum urbium alienigenas commemorem, quos populus Iudæorum nõ quiuit expel/
lere de urbibus & sedibus suis,cũ ipsa metropolis tua prius Iebus, postea Salem, tertio Hie/
rosolyma,& nunc Aelia,Iebusæos expellere non ualuerit,sed manserit cum eis in scandalum
exemplumq; uicinorum : intantum ut ibi templum tuum conditum sit, ubi area Orne fuerit
Iebusęi,& ipsum templum septuaginta milium latomorum,& octoginta milium uectorum,
B hoc est, centum quinquaginta milium , exceptis præpositis operum,præ multitudine habi/
tantium tecum incircuncisorum ab ethnicis extructũ sit. Nec hoc dico in suggillationem ter/
ræ Iudææ,ut hæreticus sycophanta mentitur:aut quo auferam historiæ ueritatem,quæ fun/
damentum est intelligentię spiritalis:sed ut decutiam supercilium Iudęorum, qui synagogæ
angustias,ecclesiæ latitudini præferunt.Si enim occidentem tantũ sequuntur literam, & non
spiritum uiuificantem , ostendant terram repromissionis lacte & melle manantem . Sin au/
tem per tropologiam dictum putant pro rerum omnium abundantia,& nos terram confes/
sionis terramq; uiuentium,terræ ueprium præferemus,dicente domino ad Moysen de abie
ctione Israelis,& assumptione gentium:Dimitte me,ut deleam populum istum, & faciam te
in gentem magnam.Et eodem patre ad filium: Postula à me , & dabo tibi gentes hæredita/
tem tuam,& possessionem tuam terminos terrę.Et apertius per Esaiam:Parum tibi est,ut sis
puer meus ad suscitandas tribus Iacob,& feces,uel reliquias Israel congregandas. Dedi te in
lucem cunctis gentibus,ut sis saluator uniuersæ terræ.Ex quo perspicue demonstratur,om/
nia illius populi in umbra & typo & imagine præcessisse:scripta autẽ esse pro nobis, in quos
fines seculi decurrerunt. Multa Iudææ scelera commisisti:cunctis circa te seruisti nationibus.
Ob quod factum? Vtiq; propter idololatriam. Cumq; seruisses crebro, misertus tui est de/
us:& misit iudices & saluatores , qui te de famulatu Moabitarum & Ammonitarum, Phili/
stĳm quoq; & diuersarum gentium liberarunt . Nouissime sub regibus offendisti deum: &
omnis tua prouincia , gente Babylonia uastante , deleta est . Per septuaginta annos templi
solitudo permansit.A Cyro rege Persarum est laxata captiuitas . Esdras quoq; hoc & Nee/
mias pleniſſime referunt . Extructum est templum sub Dario rege Persarum atq; Medo/
rum à Zorobabel filio Salathiel , & Iesu filio Iosedech sacerdote magno . Quæ passi sitis à
3 Medis,Aegyptĳs,Macedonibusq; non enumero . Nec tibi adducam in memoriam Antio/
chum Epiphanem crudelissimum omnium tyrannorum , nec Gn. Pompeium , Gabinium,
Scaurum, Varũ,Cassium, Sosiumq; replicabo, qui tuis urbibus & præcipue Hierosolymæ
insultauere

insultauere. Ad extremũ sub Vespasiano & Tito urbs capta, templumq; subuersum est. De c.
inde ciuitatis usq; ad Hadrianũ principem per quinquaginta annos mansere reliquiæ. Post euersionem templi paulominus per quadringentos annos & urbis & templi ruinæ permanent. Ob quod tantum facinus? Certe non colis idola, sed etiam seruis Persis atq; Romanis, & captiuitatis pressus iugo, ignoras alienos deos. Quomodo clementissimus quondam deus, qui nunquam tui oblitus est: nũc per tanta spacia temporum miserijs tuis non adducitur, ut soluat captiuitatem, & ut uerius dicam, expectatum tibi mittat antichristum? Ob quod inquã facinus, & tam execrabile scelus auertit à te oculos tuos? Ignoras? Memento uocis parentum tuorum: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et: Venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Et: Non habemus regem nisi Cæsarem. Habe quod elegisti, usq; ad finem mundi seruiturus es Cæsari, donec gentium introeat plenitudo, & sic omnis Israel saluus fiat: ut qui quõdam erat in capite, uertatur in caudam. Hæc tibi uir eloquentissime in duplicis præfecturæ honore transactæ, nunc in Christo honoratior, tumultuaria & breui lucubratione dictaui, ne uiderer omnino reticere. Eodem enim tempore, imò eodem mihi die, & literæ tuæ redditæ sunt, & meæ expeditæ: ut aut tacendum fuerit, aut incompto eloquio respondendum: quorum alterum pudoris, alterum charitatis est.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

QVæ significantius dicitur τέμπη.) Tempe Græce dicuntur loca amœna gratacq;, opacita- 1
te umbrosa, frigore iucunda, uirentia, fontibus irrigua: qualia ueteres describũt inter montes Thessaliæ, Pelion & Olympum. Ad populum phaleras.) Carmen est Persij. Cuius 2
dictis Hieronymus libẽter utitur. Ad populum, id est, apud uulgus phaleras adhibe. Apud me frustra feceris, qui te totum noui: & intus & in cute, id est foris. Iuxta Rhinocoruram.) Oppidum est Idumææ, cuius etiã Plinius meminit. Ipsum mare.) Plinius totũ hoc mare testatur appellatum fuisse Phœnicium, quod oræ Syriæ maritimæ præiacet, nempe Idumææ, Iudeæ, deinde Phœnice.

Quod Palæstinæ.) Qua Syria contingit Arabes, Palæstine uocatur. Post hanc Iudæa, & Cœle, deinde Phœnice. Syriæ Cœles.) Aliquãdo Syria pro tota regione, uarijs distincta partibus, aliquan D
do pro una parte accipitur. Antiochũ Epiphanem.) Id est illustrem, id enim sonat ἐπιφανὴς Græce. 3
De Antiocho legis in libris Maccabæorũ. Nec Pompeiũ.) Hi sunt duces, à quibus uexata fuit, & cladibus affecta Iudæorũ regio, de quibus qui plenius uolet cognoscere, legat Egesippũ & Iosephum.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Docet quid sit in libro Regum primo, Ephod bad apud Hebræos, quod quidam ridicule sunt interpretati: & quid theraphim.

HIERONYMVS MARCELLAE

EPistolare officium est de re familiari, aut de quotidiana conuersatione aliquid 1
scribere: & quodãmodo absentes inter se præsentes fieri, dum mutuo quid aut uelint, aut gestum sit nunciant: licet interdum confabulationis tale conuiuium, doctrinæ quoq; sale condiatur. Verum tu dum tota in tractatibus occuparis, nihil mihi scribis, nisi quod me torqueat, & scripturas legere cõpellat. Deniq; heri famosissima quęstione proposita postulasti, ut quid sentirem statim rescriberem. Quasi uero pharisæorum teneam cathedrã, ut quotiescunq; de uerbis Hebraicis iurgiũ est, ego arbiter & litis sequester exposcar. Non sunt suaues epulę, quæ non placentã redolent: quas nõ condit Apicius, in quibus nihil de magistrorum huius temporis iure suffumat. Sed quia uector & internuncius sermonis nostri redire festinat, rem grandem celerius dicto cõpq; debeo: licet de scripturis sanctis disputanti, non tam necessaria sint uerba quàm sensus. Quod si eloquẽtiam quæris, Demosthenes legendus, aut Tullius est: si sacramenta diuina, nostri codices, qui de Hebræo in Latinum non bene resonant, peruidendi. In fronte epistolæ tuæ posueras, quid sibi uelit, quod in Regnorum libro primo scriptum est: Et Samuel puer seruiebat ante conspectum domini, cinctus ephod bad, & diploidem habebat pusillam, quam fecerat ei mater sua: & afferebat ei de diebus in dies, cum ascenderet cum uiro suo sacrificare sacrificium dierum. Itaq; quæris quid sit ephod bad, quo futurus propheta præcingitur: utrum ne zonã, an (ut quidam putant) thuribulum uel genus aliquod uestimenti sit. Et si uestis, quomodo ea præcingitur? Et post ipsum ephod, quare adiungitur ei bad? In sequentibus quoque 2
legisse

A legisse te scribis: Venit homo dei ad Eli, & dicit ei: Hæc dicit dominus: Manifeste ostendi me ad domum patris tui, ex omnibus tribubus Israel, cum essent in terra Ægypti seruientes in domo Pharaonis, & elegi domũ patris tui ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotium: ut ascenderent ad altare meum, & incenderent incensum, & portarent ephod: totumq; libri ordinem prosequuta, etiam de illo loco exemplar sumpsisti, in quo Doec Idumæus iussu regis interfecit sacerdotes. Et conuersus (inquit scriptura) Doec Syrus mortificauit ipse sacerdotes domini, & occidit in illa die trecentos quinq; uiros: siue (ut in Hebræo legitur) octoginta quinq;, omnes qui portabant ephod: & Nob ciuitatem sacerdotũ occidit in ore gladij à uiro usq; ad mulierem, ab infante usq; ad nutrientem, & uitulum & asinum & ouem in ore gladij. Et saluatus est unus filius Achimelech filij Achitob, & nomen ei Abiathar, & fugit post Dauid. Non me teneo, quin problematis ordinem responsione præueniam. Vbi nunc legimus, & omnes portãtes ephod bad? Hoc quare ita dixerim, in sequentibus disces. Illud quoque quod sequitur addidisti: Et factum est, cum fugeret Abiathar filius Achimelech ad Dauid, & ipse cum Dauid descendit in Cæila habens ephod in manu sua: & renunciatum est Saul, quia uenit Dauid in Cæila: ubi cum regis aduentus & ciuitatis timeretur obsidio, dixit Dauid ad Abiathar: Defer ephod domini. Hæc sunt quæ de regnorum libro excerpta proponens, ad uolumen Iudicum transcendisti, in quo Micha de monte Ephraim scribitur mille centum argenti siclos matri quos illa uouerat reddidisse, itaq; sculptile inde fecisse & conflatile. Et addis hæc post modicum uocari ephod & theraphim, cum utiq; si zona sit, aut uestimenti genus, sculptile atq; conflatile esse non possit. Agnosco errorem penè omnium Latinorum, putantium ephod & theraphim, quæ postea nominantur, de hoc argento quod Micha matri dederat, fuisse conflata, cum scriptura sic referat: Et accepit mater eius, haud dubium quin Michæ, argentum & dedit illud conflatori, & fecit illud sculptile atq; conflatile quod fuit in domo Michæ, & uir Micha & domus eius dei, & fecit ephod & theraphim: &
B impleuit manum unius de filijs suis, & factus est ei in sacerdotem. Si autem putas ea quæ superius appellata sunt sculptile atq; conflatile, ephod & theraphim deinceps nominari, discere esse non eadem. Siquidem post matris idolum, quod dicitur sculptile atq; cõflatile, fecit Micha ephod & theraphim, sicut ex consequentibus approbatur. Et responderunt quinq; uiri qui abierant considerare terram, & dixerunt ad fratres suos: Ecce nostis quia est in domibus istis ephod & theraphim & sculptile atq; conflatile. Et post multa quæ in medio prætermissi sti: Et ascenderunt, inquit, quinq; uiri, & illuc irruerunt, & sumpserunt sculptile atq; conflatile, ephod & theraphim. Et sexcenti uiri qui cincti erãt uasis bellicis, ingressi sunt domũ Micha, & sumpserunt sculptile atq; conflatile, ephod & theraphim. Coarguũtur eorum opiniones, qui ut indissolubilem facerent quęstionem, ephod argenteum putauerunt. Illud breuiter attende, quod nunquam nisi in sacerdotio nominetur. Nam & Samuel qui illo cinctus refer-
5 tur, leuites fuit, & sacerdotes Nob, bad id est dignitatis suæ insigne portabant. Et (quod in Latinis codicibus non habetur) quando Dauid fugiens à Saul uenit ad Achimelech, & gladium postulauit, dicens: Vide si est ad manum tuam lancea & gladius, quoniam gladiũ meum, & uasa mea nõ sustuli in manu mea: respondensq; sacerdos dixit: Ecce gladius Goliath alienigenæ, quem percussisti in ualle Terebinthi, & hic inuolutus est uestimẽto post ephod in sacrario: utiq; ephod conditum seruabatur. Hoc quoq; quod nunc posuimus ubi sculptile atq; conflatile legitur, licet idolum sit, tamen quia per errorem religio putabatur, ad uenerationem eius, sicut ad dei mysteriũ, ephod & theraphim insigne conficitur. Theraphim quid sit, si spatium dictandi fuerit, prosequemur. Nunc interim de Ephod, ut cœpimus, explicandum est. In Exodo ubi Moysi præcipitur, ut sacerdotalia iubeat fieri uestimẽta, post cætera legitur: Et hæc stolæ quas faciant, pectorale, & superhumerale & tunicas ποδηρεις & cidarim & cinctorium. Vbi autem nos posuimus superhumerale, in Græco ἐπωμίδα Septuaginta interpretes transtulerũt, quod scilicet super humeros istiusmodi ueniat uestimentum. Deinde iungitur: Et hi accipient aurum & hyacinthum & coccum & purpuram & byssum,

& faciant

& faciant ſuperhumerale de byſſo torta,opus textile uarium. Quid plura? Totus Exodi li- c
ber hac ueſtium plenus eſt ſpecie.Nam & in fine eiuſdem uoluminis ſcribitur:Et fecit omnis ſapiens in operibus ſtolas ſanctorum, quæ ſunt Aaron ſacerdotis, ſicut dominus præcepit Moyſi. Et fecerunt ſuperhumerale de auro & hyacintho & purpura & cocco & byſſo retorta.Sed quia in Exodo hoc genus ueſtimenti præcipitur tantum ut fiat, & poſtea factum refertur,non tamen eo Aaron ueſtitur:In Leuitico quomodo ſacerdotalibus ueſtimentis indutus fuerit, explicatur. Et applicuit Moyſes Aaron & filios eius, & lauit eos aqua,& ueſtiuit eum tunica, & cinxit eum zona & ueſtiuit eum ὑποδύτῃ, quod nos ſubtunicalem,ſiue tunicam qua ſubtus ueſtitus eſt, poſſumus interpretari.Et impoſuit ei ſuperhumerale, inquit, & cinxit eum ſecundum facturam ſuperhumeralis,& cõſtrinxit eam in ipſo.Vides itaq; hoc Aaron ſuperhumerali cingi,quomodo Samuel ephod bad illo,neſcio quo,cingebatur. Sed ne te longius traham,hanc habe ſententiã. Vbicunq; in Septuaginta interpretibus, hoc eſt in codicibus noſtris ἐπωμὶς, id eſt ſuperhumerale legitur, in Hebræo ſcriptum eſt ephod. Quod quare alibi interpretari uoluerint,& alibi ininterpretatũ reliquerint, non eſt mei iudicij:cum hoc ipſum in pluribus fecerint: ut quæ alibi aliter atq; aliter expreſſerant, nouiſſime translationis uarietate laſſati, ipſa Hebræa uerba poſuerint. Aquila autem id quod illi ἱμάτιον dixerunt, ἐπίβλημα & ἐπένδυμα dixit, quod ſcilicet tunica eſt, & quod Hebræo ſer- 4
mone uocatur מְעִיל mail ſuperiorem tunicam, ἔνδυμα uero,id eſt ἐπωμὶς, quod Hebraice dicitur ephod, cum ſuperius pallium ſignificet:quo tota ſacerdotalis protegatur ambitio. Quæras forſitan, ſi ephod ſacerdotale ſit pallium: quare in quibuſdã locis addatur bar.Audiens bar,riſum tenere non poſſum.Nam cum apud Hebræos dicatur bad, ipſos quoq; Septuaginta interpretes ſic tranſtuliſſe manifeſtũ ſit:ut pro bad bar ſcriberetur, error obtinuit. בַּד Bad autem Hebraica lingua linum dicitur: licet linum מְשִׁחָה piſtha ſignificãtius expri matur.Deniq; ubi nos legimus, & fac eis fœmorale lineum: ut operiant carnis turpitudines, à lumbis uſq; ad crura eorũ: in Hebræo pro lineo bad ponitur.Qua ſpecie uir quoq; ille qui d
Danieli monſtratur, indutus eſt: Et extuli oculos meos, & uidi, & ecce uir unus ueſtitus eſt baddim,quo plurali numero ueſtes lineæ nuncupantur.Propterea autẽ Samuel & octoginta quinq; uiri ſacerdotes,ephod lineum portaſſe referuntur, quoniam ſacerdos magnus ſolus habebat licentiam ephod non lineo ueſtiendi: uerum (ut ſcriptura commemorat) auro, hyacintho,purpura,cocco,byſſoq; contexto.Cæteri habebant ephod,non illa uarietate diſtinctum,& duodecim lapidibus ornatũ,qui in humero utroq; reſidebãt:ſed lineum & ſimplex,& toto candore puriſſimum. Verum quia ſupra promiſeram,me ſi ſpacium dictandi fuiſſet,de theraphim quoq; breuiter diſſerturum, nec quiſquam interim interpellator adue- nit: ſcito theraphim ab Aquila μορφώματα interpretari, quas nos figuras ſiue figurationes 5
poſſumus dicere.Nam in eo loco, quando Saul miſit nuncios,ut acciperẽt Dauid:& reſpon derunt uexari illum grauiter, miſit rurſum dicens:Afferte illum in lecto ad me, ut occidam illum:& uenerũt nuncij,& ecce cenotaphia in lecto:pro cenotaphijs, in Hebræo theraphim, id eſt μορφώματα poſita ſunt:& non decor caprarum,ut noſtri codices habent, ſed puluillus de caprarum pelle conſutus,qui intonſis pilis,caput inuoluti in lectulo hominis mentiretur. Vt autem utriuſq; ſermonis ueritatem pariter explicem, in Oſee comminatur deus ſe à populo fornicante omnem gratiam ablaturum,dicens:quod diebus multis ſedebunt filij Iſrael ſine lege & principe,ſine ſacrificio,ſine altari,& ſine ſacerdotio & manifeſtatiõibus. Pro ſacerdotio & manifeſtationibus in Hebræo eſt, ſine ephod, & ſine theraphim, ſicut Theodotion & Symmachus tranſtulerũt.Ex quo intelligimus in Ephod, iuxta Septuaginta quoque qui ſenſum magis quàm uerba interpretati ſunt,ſacerdotium interpretari:in theraphim uero,id eſt, figurationibus uel figuris,uaria opera,quæ theraphim uocantur, intelligi. Nam & in Exodo cæteriſq; locis,ubi deſcribuntur ueſtes plumaria arte cõtextæ,opus Cherubim, id eſt uarium atq; depictum eſſe factum deſcribitur: ita tamen, ut ו uau literam Cherubim non habeat:quia ubicunque cum hac litera ſcribitur,animalia magis quàm opera ſignificat.

Iuxta

A Iuxta igitur hunc ſenſum & Micha cum ueſte ſacerdotali,cætera quoq; quæ ad ſacerdotalia pertinent ornamenta,per theraphim feciſſe monſtratur. Quàm uellem nũc tibi omnem habitum ſacerdotalem exponere,& per ſingulas ueſtium ſpecies, diuina oſtendere ſacramẽta. Verũ quia in hoc ipſo breuitatem epiſtolæ exceſſimus, & Ioſephus ac Philo uiri doctiſſimi Iudæorum, multiq; de noſtris id latiſſime proſecuti ſunt,quorum,ut aiunt, uoce audies me: quæ de cætero uelis, præſens percontator præſentem:ut ſi quid forte neſcimus,ſine teſte,ſine iudice in fida aure moriatur.Nos (ut ſcis) Hebræorum lectione detenti, in Latina lingua rubiginem obduximus,intantum,ut loquentibus quoq; nobis ſtridor quidam non Latinus interſtrepat. Vnde ignoſce ariditati:& ſi imperitus ſum ſermone,inquit Apoſtolus, ſed non ſcientia.Illi utrunque non deerat,& unum humiliter renuebat. Nobis utrunq; deeſt,quia & quod pueri plauſibile habueramus,amiſimus,nec ſcientiam quam uolebamus conſecuti ſumus,iuxta Æſopici canis fabulam,dum magna ſectamur,etiam minora perdentes.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 NOn ſunt ſuaues epulæ.) Locus hic in omnibus fermè codicibus uarie depraua tus habeba tur.Quidam ita ſcriptũ habebant:Quæ non placent ac redolent. Mihi conferenti ueterum exemplarium ueſtigia,uidetur ita legendum, Non ſunt ſuaues epulæ, quæ non placentam redolent, quas non condijt Apitius, in quibus nihil de magiſtrorum huius temporis iure ſuffumat,& haud ſcio an pro magiſtrorum legendum ſit magirorum,id eſt coquorũ. Placenta cibi genus eſt,olim in delicijs habitum. Apitius diligentia rei culinariæ,nobilitatem emeruit. Cuius extant & commentarij nonnulli de coquendis & cõdiendis cibis. Hunc Plinius altiſſimum nepotum gurgitem uocat.Meminit huius & Iuuenalis. Quoniam igitur paulo ſuperius comparauit colloquium quod per epiſtolas fit conuiuio:nunc memor metaphoræ,uocat lectorem faſtidioſum conuiuã,cuius palato nihil ſapiat, niſi uehementer exquiſitum, ac uarijs eloquentiæ condimentis edulcatum. Nam res ipſa,ueluti cibus eſt:ornamenta dicendi,condimentum. Non bene reſonant.) Hic apte reſonant,tanquam repercuſſu, ſonum in alia lingua reddant. Et Samuel puer.) Hic locus eſt primo Regum libro capite
2 ſecundo. Quare adiungitur ei Bar.) Sic enim illa per errorem propoſuerat,cum utiq; bad, non bar
B ſit legendum. Doech Idumæus.) Doech Græci per κ ſcribunt,Hebræi per g. Cæterũ hiſtoria habetur primo Regum libro, capite xxi. & xxij. Ephod bar.) Rurſum irridet indoctam lectionem, cum bar in his locis quos citauit,nuſquã inueniatur apud Hebræos,nec apud Græcos,ſed ephod bad, ſiue ephod lineo. Tranſcen iſti.) Apte,quoniam præpoſtero uoluminum ordine.Extat autem ca-
3 pite xvij. Sacerdotes nobant.) Exiſtimo legendũ, ſacerdotes No, bad. Nam Hebræis No uocatur ea ſacerdotum ciuitas.Niſi mauis Nobæ,ſiue Noba,ut pro id eſt, legas, id, omiſſo uerbo. Pectorale & ſuperh.) Pectorale,quod Græci uocant πδισύδιον, ſuperhumerale ἐπωμίδα, ſiue ἐπωμίδιον. Et tunicas κοσμίτας.) Ex ueſtigijs exemplarium deprehendimus legendũ κοσυμβότας, coſymbos enim ſiue coſymbe genus eſt ueſtimenti, cuius meminit & Suidas. Et ueſtiuit eum ὑποδύτῃ.) Quod Latini ſubuculam uocant, nempe ueſtem qua ſubter tunicam utimur,Græci uocant ὑποδύτῃ, quod
4 ſubter induatur. Aquila autem,id quod illi, ἐμάτιον dixerunt.) Mirum quàm hic locus ſit depraua tus in omnibus exemplaribus. Arbitror autem legendum ad hunc modũ,ne lectorem tam diu torqueam, quàm ipſe tortus fui: Aquila autem, quod illi ἐμάτιον dixerunt & ἐπίβλημα, id eſt ueſtimentum & ſubterueſtimentum, ἔνδυμα dixit,& ὑπένδυμα, quod ſub tunica eſt,& quod Hebræo ſermone uocatur mail מעיל, ἐπένδυμα, id eſt ſuperiorem tunicam, ἐπωμὶς uero, quod Hebraice dicitur ephod,
5 cum ſuperius pallium ſignificet &c. μορφώματα.) Id eſt,figurationes,ſiue formationes, à uerbo μορφόω. Cenotaphia.) κενὸς inanis, τάφος ſepulchrum, unde κενοτάφια dicuntur monumenta & ſtatuæ repræſentantes ueluti ſepultum,cum illic corpus illius non adſit, cuiuſmodi erat Achilli in Cheroneſo. Quorum,ut aiunt,uoce.) Hoc eſt,illi pro me tibi narrabunt: ut cum dicimus, ſalutabis illum meis uerbis. Præſens percontator præſentem.) Percontator hic uerbum eſt, non nomen uerbale.

Sine teſte,ſine iudice.) Legi poteſt,& ſine indice,hoc eſt ſine eo qui prodat quod dixerim. Iuxta Aeſopici canis fabulam.) Extat apologus de cane, qui cum umbram uidiſſet in aqua maiorem, dum ad eam diducto rictu inhiat,hoc quoq; carnium,quod ore tenebat, amiſit.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Hiſtoriam de iudicio Solomonis,per allegoriam interpretatur de eccleſia ex gentibus cõgregata, & ſynagoga Iudæorum.

SEQVENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 De nobis.) Quidam mutarant ad doctrinam noſtram,quum Hieronymus ſententiam magis reddiderit q; uerba Pauli,quum ſuperius dixerit,Hæc autem fuerunt figuræ noſtri. Sic enim habent Græ-
2 ca. Carnis mentitur affectus.) Mentitur eleganter poſuit pro imitatur. Quanquã ſic quoq; durum

est,Christo tribuere simulatos affectus:sed præ se ferebat quędam,ut ignorantiam interrogando,quæ c
in illo non erat. Sæpe stilum uertimus.) Cuspide stili scribebant olim,obtusiore parte delebãt.Re-
tulit autem carmen Horatij:Sæpe stilum uertas,iterum quæ digna legi sunt Scripturus.

HIERONYMVS RVFFINO

MVltum in utranq; partem crebro fama mentitur, & tam de bonis mala, quàm de malis bona,falso rumore concelebrat. Vnde & ego gaudeo quidẽ super testimonio erga me sanctitatis tuæ & amore sancti presbyteri Eusebij: nec dubito quin me publice prædicetis, sed tacitum uestræ prudentiæ iudicium pertimesco. Itaq; obsecro,ut magis memineritis mei, & dignum uestra laude faciatis. Quod primus ad officium prouocasti, & mihi secundæ in rescribendo partes datæ sunt, non uenit de incuria in amicos,sed de ignorantia.Si enim sciissem,præoccupassem sermonem tuum. Interpretatio iudicij Solomonis super iurgio duarum mulierum meretricum, quantũ ad simplicem historiam pertinet, perspicua est: quod puer annorum duodecim contra ætatis suæ mensuram de intimo humanæ naturæ iudicarit affectu. Vnde & admiratus est & pertimuit illum omnis Israel,quod scilicet eum manifesta non fugerẽt,qui tam prudenter abscondita deprehendisset. Quantum autem ad typicos pertinet intellectus dicente Apostolo: Hæc omnia in figura cõtingebant illis,scripta sunt autem de nobis, in quos fines seculorum decurrerunt: 1
quidam Græcorum autumant super synagoga & ecclesia sentiendũ:& ad illud tempus cuncta referenda,quando post crucem & resurrectionem,tam in Israel quàm in gentium populo uerus Solomon,id est pacificus regnare cœperit. Quod autem adulteræ & meretrices,synagoga & ecclesia dicantur in scripturis, nulla dubitatio est,& hoc prima fronte uidetur esse blasphemum.Cæterum si recurramus ad prophetas,Osee scilicet qui accepit uxorem fornicariam, & generat filios fornicationis, & deinde adulteram: & ad Ezechiel qui Hierusalem, quasi meretricem arguit, quod secuta sit amatores suos, & diuaricauerit omni transeunti pedes,lupanarq; in loco celebri extruxerit:animaduertemus Christum idcirco uenisse, ut me- D
retrices donaret matrimonio,& de duobus gregibus unum ouile faceret: medioq; pariete destructo, in easdem caulas oues prius morbidas congregaret. Hæ sunt duæ uirgæ, quæ iunguntur in Ezechiel,& de quibus per Zachariam dominus refert: Et assumpsi mihi duas uirgas,unam uocaui decorem, & alterã uocaui funiculos, & paui gregem. Mulier quoq; illa meretrix in euangelio, quæ pedes Iesu lachrymis lauat, crine detergit, & cui peccata omnia dimittuntur,manifeste pingit ecclesiam de gentibus congregatã. Hæc idcirco in prima fronte replicaui:ne cui uideatur incongruum,si synagogã & ecclesia meretrices dicantur,quarum una Solomonis iudicio,filij possessione donata est.Prudens quęrat auditor, quomodo meretrix sit ecclesia,quæ non habet maculã neq; rugam? Non dicimus ecclesiam permansisse meretricem,sed fuisse.Nam & in Simonis leprosi domo saluator scribitur inisse conuiuium: utiq; non quia leprosus erat eo tempore quo habebat hospitem saluatorem, sed quia leprosus ante fuerat.Matthæus quoq; in catalogo apostolorum publicanus dicitur: non quo permanserit publicanus post apostolicã dignitatem,sed quia prius fuerit publicanus: ut ubi superabundauit peccatũ,superabundaret & gratia.Simulq; considera quid dicat ecclesia cõtra synagogã calumniatricem:Ego & mulier hæc habitabãmus in domo una. Post resurrectionem enim domini saluatoris, una de utroq; populo ecclesia congregata est, & q̃ eleganter: Peperi,inquit,apud eam in cubiculo.Ecclesia enim de gentibus,quę nõ habebat prius legem & prophetas,peperit in domo synagogæ:nec egressa est de cubiculo,sed ingressa. Vnde dicit in Cantico canticorum:Introduxit me rex in cubiculum suum. Et iterum: Et quidem non spernam te. Assumens introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum eius quæ me genuit. Tertia autẽ die:Postq̃ ego peperi,peperit & hæc.Si consideres Pilatũ lauantem manus atq; dicentem:Mundus ego sum à sanguine iusti huius: si centurionem ante patibulum cõfitentem:Vere hic erat filius dei: si eos qui ante passionem per Philippũ dominum uidere desiderant:haud ambiges primam peperisse ecclesiam: & postea natũ populũ Iudæorum,

pro

A pro quo dominus precabatur:Pater ignoſce eis,quod enim faciunt,neſciunt. Vnaq; die credidere tria milia: & alia die quinq; milia. Et eramus ſimul (multitudinis enim credentiũ erat cor unum,& anima una) nullusq; alius in domo nobiſcum,exceptis nobis duabus, non blaſphemantium Iudæorũ,non gentilium idolis ſeruientium. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte.Dum enim legis ſequitur obſeruantiam,& gratiæ euãgelij, iugum Moſaicæ doctrinæ copulat,tenebrarũ errore cooperta eſt.Oppreſſitq; eum mater ſua dormiens,quæ non poterat dicere:ego dormio,& cor meum uigilat. Media nocte cõſurgens,tulit filium de latere eccleſiæ dormientis,& in ſuũ collocauit ſinum. Relege totam ad Galatas apoſtoli epiſtolam,& animaduertes quomodo filios eccleſię ſuos facere ſynagoga feſtinet,& dicat Apoſtolus:Filioli mei quos iterum parturio,donec Chriſtus formetur in uobis. Viuum tulit,non ut poſſideret,ſed ut occideret:non enim amore fecit hoc filij, ſed æmulæ odio:& ſuum mortuum per legis cerimonias in ſinum eccleſiæ ſuppoſuit.Longum eſt ſi uelim ſingula percurrere,quomodo per apoſtolum Paulum,& eccleſiaſticos uiros intellexit eccleſia, non eſſe ſuum filium,qui tenebatur in lege: & in luce cognouerit,quem in tenebris non uidebat. Inde iurgium ortum eſt præſente rege, altera dicente: filius tuus mortuus eſt, meus autem uiuit: altera reſpondente,mentiris, filius quippe meus uiuit, & filius tuus mortuus eſt: atq; in hunc modum cõtendebant coràm rege. Tunc rex Solomon (qui manifeſte ſaluator accipitur, ſecundum pſalmum ſeptuageſimũ primum, qui titulo Solomonis inſcribitur:ubi nulla dubitatio eſt,quin cuncta quæ dicantur,non Solomoni mortuo, ſed Chriſti conueniant maieſtati) ſimulat ignorantiam,& humanos pro diſpenſatione carnis mentitur affectus, ſicut in alio loco:Vbi poſuiſtis Lazarũ?Et ad mulierem fluentem ſanguine,quis me tetigit? Gladium poſtulat,de quo dixerat: Nolite putare quod uenerim pacem mittere ſuper terrã:non ueni pacem mittere,ſed gladium.Veni enim diuidere hominem contra patrem ſuum,& filiam contra matrem ſuam,& nurum contra ſocrum ſuam:& inimici hominis domeſtici eius, & tentat
B naturam naturæ dominus,uultq; ſecundum utriuſq; uoluntatem, uiuentem filium in legem gratiamq; diuidere:non quod probet,ſed quod ad arguendum calumniam ſynagogæ, hoc uelle ſe dicat.Illa quæ nolebat eccleſiæ filium in gratia uiuere,nec per baptiſmum liberari, libenter habet diuidi puerum: non ut poſſideat,ſed ut interficiat.Eccleſia quæ ſcit ſuum eſſe,libenter concedit æmulæ, dum uiuat ſaltem apud aduerſariam: ne inter legem diuiſus & gratiam,ſaluatoris mucrone feriatur.Vnde dicit Apoſtolus: Ecce ego Paulus dico uobis, quod ſi legem obſeruatis,Chriſtus uobis nihil prodeſt.Hæc ſub allegoriæ nubilo dicta ſunt. Cæterum optime nouit prudentia tua,non eaſdem eſſe regulas in Tropologiæ umbris, quæ in hiſtoriæ ueritate.Quod ſicubi pedem offendimus,& ſapienti lectori friuolum uideatur eſſe quod ſcripſimus,culpam in autorem referat. Nos enim & hæc ipſa in lectulo decumbentes, longaq; ægrotatione cõfecti,uix notario celeriter ſcribenda dictauimus:non ut impleremus materiam, ſed ne tibi in principio amicitiarum aliquid imperanti,uideremur negare.Ora nobis à domino ſoſpitatem,ut poſt duodecim menſes,quibus iugi languore cõfectus ſum,poſſim aliquid dignũ ueſtræ ſcribere uoluntati:& ignoſce ſi ſcatens oratio, curſu nõ ſolito fluat. Non enim eodem lepõre dictamus quo ſcribimus: quia in altero ſæpe ſtilum uertimus, iterum quæ legi digna ſint ſcripturi: in altero quicquid in buccam uenerit celeri ſermone cõuoluimus.Caninum libenter uidi,qui narrare tibi poterit quàm difficile & periculoſum manus dexteræ uſq; in præſentem diem quo iſta dictaui uulnus ſuſtinuerim.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Ex annorũ ſupputatione,docet Solomonẽ & Achaz ante pubertatis annos genuiſſe liberos. Verũ ab huiuſmodi quęſtionib. anxie tractãdis dehortat,quod in litera nihil ſit fructus,in allegoria plurimũ.

SCHOLIVM EIVSDEM

CVm in benedictionibus.) εὐλογίας Paulus beneficiola uocat, ultro miſſa amicis,ſiue à colligendo,ſiue quod bene ominatis uerbis,eiuſmodi donare oporteat. Linguæ tenere uernaculæ.) Id eſt Hebrææ, quæ propria eſt eius hiſtoriæ,& ad quam ſummum in difficultatibus eſt ſuffugium. Luſtralibus hoſtijs.) Luſtrare expiare eſt:unde hoſtiæ luſtrales qui-

bus expiabatur portentum, numen aliquod offensum indicans. Non tam studiosi q̄ ociosi.) Si ocio c.
sum est in his torquere simul ac torqueri quæstionibus, quæ tamen ad historiæ sacræ ueritatem perti-
nent, quid sentiendū de nonnullis sophisticis controuersijs, quæ nec finem habent ullum, nec usum?

HIERONYMVS VITALI

ENon nauclerus, per quē mihi dicis tuę sanctitatis literas esse transmissas: unam tantum & breuem epistolam beati papæ Damasi amabilis reddidit, solita mu-
nuscula continentē. Satisq; miror quid causæ fuerit, ut cum in benedictionibus 1
& tuis & illius perferendis fidelis extiterit, in retenta epistola negligens cōpro-
betur. Neq; enim te falli arbitror discipulū ueritatis, nisi fortè Græco homini Latinus sermo
inter chartulas oberrauit. Itaq; ad secundam rescribo epistolam, quā mihi sanctus filius me-
us Heraclius diaconus reddidit, in qua inter cætera deprecaris: ut exponam tibi causas, quare
Solomon & Achas undecim annorum, filios genuisse dicantur. Si enim duodecimo anno
Solomon super Israel accepit imperium, & quadraginta annis regnauit in Hierusalem: fili-
usq; eius Roboam cum quadragesimum annum ageret ætatis, patri successit in regnum, per
spicuum est undecim annorum fuisse Solomonem, siue decem, quia decem menses à conce-
ptu usq; ad partum sibi mater uendicat. Rursum Achaz filius Ioathan cum uiginti esset an-
norum, rex constitutus est super duas tribus, id est, Iudam & Beniamin, regnauitq; annis se-
decim: quo mortuo, Ezechias cum uicesimum & quintū annum ageret ætatis, patri successit
in regnū. Ex quo intelligitur Achaz quoq; undecimo siue decimo anno, Ezechiam filiū pro-
creasse. Et siquidem in historijs aliter haberent Septuaginta interpretes, aliter Hebraica ue-
ritas, confugere poteramus ad solita præsidia, & arcem linguæ tenere uernaculæ: nunc uero
cum & ipsum autenticum, & cæteri interpretes pari autoritate consentiant, non in scriptura,
sed in sensu est difficultas. Quis enim crederet mortalium, ut undecim annorum puer gene-
raret filium? Multa & alia dicūtur in scripturis, quæ uidentur incredibilia, & tamen uera sunt.
Neq; enim ualet natura contra naturæ dominū: aut potest uas figulo dicere, quare me ita fe- D
cisti, aut ita? Licet quod pro miraculo signo atq; portento fit, legem natura facere non possit.
Num quia nostra ætate duplex Lyddæ natus est homo, duorū capitum, quatuor manuum,
uno uentre & duobus pedibus, omnes homines ita nasci necesse est? Legamus ueteres histo
rias, & maxime Græcas ac Latinas, & inueniemus lustralibus hostijs, secundum errorem ue-
terum portentuosas soboles, tam in hominibus, quàm in armentis ac pecudibus expiatas
Audiui, domino teste non mentior, quædam muliercula cum expositum nutriret infantem,
& instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretq; cum ea paruulus: qui usq; ad deci
mum iam peruenerat annum: accidit, ut plus q̄ pudicitia patitur, se mero ingurgitaret, accen
saq; libidine, obscœnis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas, alterius noctis
& cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Nec dum duo menses fuerāt euoluti, & ecce fœ-
minæ uterus intumuit. Quid plura? dispensatione dei factum est, ut quæ contra naturā, sim-
plicitate paruuli in contemptum dei abutebatur, à naturæ domino proderetur: impleto ser-
mone quo dicitur: Nihil occultum quod non reueletur. Simulq; cōsideremus, quod occulte
scriptura & Solomonem & Achaz, uoluptatis & impietatis accuset. Vterq; enim cum esset
de stirpe Dauid, recessit à domino: & alter intantum secutus est libidinem: ut septuaginta ha-
buerit uxores, & trecentas concubinas & adolescentulas, & scorta passim, quorum non erat
numerus: neglectoq; deo patrum suorum, extruxerit idola gentium plurimarum, & fuerit,
non ut prius iedidia, id est, amabilis domini, sed amator mulierū: Alter miserit ad regem As-
syriorum, auxilium postulans, & in tempore angustiæ suæ, auxerit contemptū in dominum:
immolauerit q; dijs Damasci uictimas percussoribus suis, & in omnibus urbibus Iuda extru
xerit aras ad cremandum thus, atq; ad iracundiam prouocauerit dominum deum patrum
suorum: intantum ut direptis uasis domus domini atq; cōfractis, clauserit ianuas templi dei,
& fecerit sibi altaria in uniuersis angulis Hierusalē, ambulauerit q; in uijs regum Israel, & sta
tuas fuderit Baalim, & adoleuerit incensum in ualle filiorum Ennon, & lustrauerit filios suos

in igne

A in igne,iuxta ritum gentium,quas interfecit dominus in aduentu filiorum Israel.Ex quo perspicuum est,homines à parua ætate libidini deditos, immatura eorum sobole demonstrari, quod etiam eo tempore peccare cœperint,quo natura non patitur. Ad summã illud dici potest,quod in regno Dauid Solomon cum duodecim esset annorum, solium patris obtinuerit:& postea,quia scriptura reliquit incertum, uixerit Dauid regnãte iam filio aliquot annos, qui sibi & non Solomoni imputentur: mortuo autem patre post filius regnauerit annis quadraginta,quos sine parente regnauit: atq; ita & initium regni Solomonis,& tempus quo solus ipse regnauit,ab historia demonstratum. Nec tamen omnes annos uitæ illius quinquaginta tantum & duorum annorum circulis contineri. Sin autem dubitas, quod regnantibus filijs patribusq; uiuentibus, non filijs tempus regni eorum sed parentibus imputetur: lege ipsum Regnorum uolumen,& inuenies, quod Ozias rex Iuda postquã lepra percussus est, habitauit in domo separata,& filius eius Ioathan imperium rexerit, iudicaueritq; populum terræ,usq; ad diem mortis patris sui: & tamen post mortẽ illius cum uiginti quinq; esset annorum,sedecim annis regnasse dicatur, quos solus ipse regnauerit. Quod de Solomone intelleximus,& de Achaz similiter intelligendũ est,qui Ioathæ filius,Ezechiæ pater fuerit. Audiui quendam Hebræũ huiuscemodi narrare fabulã iuxta prophetiã Esaiæ, quam inter decem uisiones nuper interpretatus sum,quod mortuo Achaz Philistæa lætata sit, & scriptura postea cõminetur ac dicat:Ne læteris, Philistæa omnis tu,quoniam cõminuta est uirga percussoris tui. De radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens uolucrem, hoc est,de Achaz cõstituetur rex Ezechias. Ex quo intelligi uoluit non statim post mortem patris,filium imperio subrogatũ,sed uel seditionibus populi, uel quibusdam inter se regnis, id est Iuda ac Samaria discordantibus,aut certe prementibus malis, & hincinde cõsurgentibus bellis,regnum eius fuisse dilatum.In rebus obscuris diuersas ponimus opiniones:ut non tam scribere,q; loqui tibi coràm uideamur. Cæterum Apostolus interminabiles genealogi-
B as & Iudaicas fabulas prohibẽs,de istiusmodi mihi uidetur interdicere quæstionibus. Quid enim prodest hærere in litera,& uel scriptoris errorem,uel annorum seriem calumniari,cum manifestissime scribatur: Litera occidit, spiritus autem uiuificat? Relege omnes & ueteris & noui testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Iudam & Israel, id est, inter regnum utrunq; confusum:ut huiuscemodi hærere quæstionibus non tam studiosi, q; ocioſi hominis esse uideatur. Munuscula à te missa libenter suscepi, & impẽdio precor, ut in amore quo nos appetere cœpisti,ad finem usq; perdures: Non enim cœpisse,sed permansisse uirtutis est.Nostra uicissim per Desiderium missa suscipe.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Taxat Rheticium Heduorum episcopum, qui perperam interpretatus sit Tharsis pro Tarso Ciliciæ,& aurum Ophaz ad Petrum accommodet,quia dictus sit Cephas. Hominis eloquentiam non improbat,eruditionem & iudicium non probat.

SCHOLIVM

1 Nuper cum Rheticij.) Meminit huius in Catalogo uirorum illustrium. Homonymum esse uocabulum.) Hoc est æquiuocum,cum eadem uox res diuersas declarat. Sed tam male existimasse uidetur.) Quid si legisset Hieronymus portenta quæ nunc passim legimus in commentarijs recentium interpretum,tam impudenter insulsa,ut uideantur suibus scripsisse, non hominibus.

HIERONYMVS MARCELLAE

1 NVper cum Rheticij Augustudunensis episcopi, qui quondam à Constantinopolitano imperatore sub Sylueſtro episcopo, ob causam Montensium missus est Romam,commentarios in Canticum canticorũ perlegissem, quod Hebræi uocant, sir hasirim שִׁיר הַשִּׁירִים uehementer miratus sum, uirum eloquentem præter ineptias sensuum cæterorum, Tharsis urbem,putasse Tarsum,in qua Paulus apostolus natus sit: & aurum Ophaz, Petrũ significare: quia Cephas in euangelio,idem Petrus sit appellatus. Habuerat utiq; & in Ezechiele idipsum uerbum,ubi de quatuor animalibus scribitur: Et species rotarum sicut species Tharsis. Et in Daniele de domino:Et corpus eiusdem

ut Tharsis:quod Aquila chrysolithum,Symmachus hyacinthum,interpretãtur. Et in psal/ c
mo:In spiritu uiolento conteres naues Tharsis. Et inter lapides qui in ornatu sacerdotis,tri/
buum nominibus sculpti sunt,eiusdem lapidis nomen inseritur: & omnis ferè scriptura, hoc
uocabulo referta est.De Ophaz uero quid dicam, cum supradictus Daniel propheta in ter/
tio anno Cyri regis Persarum,post tres hebdomadas ieiunij atq; tristiciæ dicat: Extuli ocu/
los meos, & uidi, & eccc uir unus uestitus baddim, & renes eius cincti auro Ophaz. Plura
quippe apud Hebræos auri sunt genera. Vnde ob distinctionem, nũc Ophaz positum est:
ne quis Zaab putaret, quod in Genesi nasci cum lapide carbunculo prædicatur. Quæris si
Tharsis lapis chrysolithus sit,aut hyacinthus,ut diuersi interpretes uolunt,ad cuius coloris si
militudinem dei species scribatur: quare Ionas propheta, Tharsis ire uelle dicatur, & Solo/
mon & Iosaphat in Regnorum libris naues habuerint, quæ de Tharsis solitæ sint exercere
commercia.Ad quod facilis est responsio,homonymum esse uocabulum,quod & Indiæ re/
gio ita appelletur,& ipsum mare,quia ceruleũ sit,& sæpe solis radijs percussum, colorem su/
pradictorum lapidum trahat,& à colore nomen acceperit. Licet Iosephus τ pro θ litera mu/
tata, Græcos putet Tarsum appellare pro Tharsis. Innumerabilia sunt, quæ in illius mihi
commentarijs sordere uisa sunt.Est quidem sermo compositus, & Gallicano cothurno flu/
ens:sed quid ad interpretem,cuius professio est,nõ quo ipse disertus appareat, sed quo eum
qui lecturus est,sic faciat intelligere, quomodo ipse intellexit qui scripsit. Rogo non habue/
rat decem Origenis uolumina? Non interpretes cæteros? Non certe aliquos necessarios He/
bræorum,ut aut interrogaret,aut legeret,quid sibi uellent quæ ignorabat? Sed tam male ui/
detur existimasse de cęteris,ut nemo possit de eius erroribus iudicare.Frustra ergo à me eius/
dem uiri commentarios postulas, cum mihi in illis displiceant multo plura quàm place/
ant.Quod si opposueris,cur cæteris dederim:audies,non omnes ijsdem uesci debere cibis.Ie
sus in deserto plures hordeaceis panibus pascit,frumentaceis pauciores.Corinthij in quibus
audiebatur fornicatio qualis nec inter gentes,lacte pascuntur, quia necdum poterãt solidum D
cibum capere.Ephesij autem in quibus nullum crimen arguitur:ab ipso domino cœlesti ues/
cuntur pane,& sacramentum quod à seculis absconditũ fuerat,agnoscunt.Neq; uero eorum
qui à me exemplaria acceperũt,uel autoritate uel ætate ducaris,cum & Daniel puer senes iu/
dicet,& Amos pastor caprarum,in sacerdotum principes inuehatur.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

De diuisione psalterij, & autoribus ac titulis psalmorum instruit Sophronium, parantem psalmos
ex Hebræa ueritate uersos ab Hieronymo,in Græcam transferre linguam.

SCHOLIVM

γένοιτο γένοιτο, id est,fiat,fiat.) Optantis est,esse uerum quod dictum est. Pro quo Aquila transtulit 1
πεπισωμένως, id est,fideliter. Nam & titulus ipse Hebraicus.) סֶלָה uolumẽ est Hebræis, תְּהִלָּה hym
nus. In syluam ne ligna feras.) Fingit Horatius, sic se monitũ à Romulo per somnium, quod natus
citra mare,Græcos uersus pararet scribere: cum apud Græcos satis esset poetarum. In syluam non li/
gna feras insanius, ac si Græcorum magnas malis implere cateruas.

HIERONYMVS SOPHRONIO

SCio quosdam putare psalteriũ in quinq; libros esse diuisum: ut ubicunq; apud 1
Septuaginta interpretes scriptum est, γένοιτο γένοιτο, id est,fiat fiat, finis libro/
rum sit:pro quo in Hebræo legitur,amen amen. Nos autẽ Hebræorũ autorita
tem secuti,& maxime apostolorũ,qui semper in nouo testamento,psalmorum
librum nominant:unum asserimus psalmorum uolumen. Psalmos omnes eorũ testamur au
torum,qui ponuntur in titulis,Dauid scilicet,Asaph & Idithum,filiorum Core, Eman Ezra/
hitæ,Moysi & Solomonis: & reliquorum quos Esdras primo uolumine comprehendit. Si
enim amen,pro quo Aquila transtulit πεπισωμένως, in fine tantummodo librorum ponere
tur:& non interdum,aut in exordio, aut in calce sermonis siue sententiæ: nunquam saluator
in euangelio loqueret:Amen amen dico uobis:nec Pauli epistolæ,in medio illud opere con
tinerent.Moyses quoq; & Hieremias,& cæteri in hunc modum multos haberẽt libros, qui
in mediis

A in medijs uoluminibus ſuis,amen frequenter interſerunt.Sed & numerus uiginti duorum librorum Hebraicorum, & myſterium eiuſdem numeri commutabitur. Nam & titulus ipſe Hebraicus, ſepher tehillim סֵפֶר תְּהִלִּים quod interpretatur uolumen hymnorum,apoſtolicæ autoritati congruens,non plures libros, ſed unum uolumen oſtendit. Quia igitur nuper cum Hebræo diſputans, quædam pro domino ſaluatore de pſalmis teſtimonia protuliſti: uolensq; te illudere per ſermones penè ſingulos, aſſerebat nō ita haberi in Hebræo, ut tu de Septuaginta interpretibus opponebas: ſtudioſiſſime poſtulaſti, ut poſt Aquilam & Symmachum & Theodotionem nouam æditionem Latino ſermone transferrem. Aiebas enim te magis interpretum uarietate turbari, & amorem tuum quo laberis, uel translatione uel iudicio meo eſſe contentum. Vnde impulſus à te, cui & quæ poſſum debeo, & quæ non poſſum: rurſum me obtrectatorum latratibus tradidi, maluiq; te uires potius meas, quàm uoluntatem in amicitia requirere. Certe confidenter dicam, & multos huius operis teſtes citabo, me nihil duntaxat ſententiæ de Hebraica ueritate mutaſſe. Sicubi ergo æditio mea à ueteribus diſcreparit, interroga quemlibet Hebræorum, & liquido peruidebis me ab æmulis fruſtra lacerari, qui malunt contemnere uideri præclara, quàm diſcere. Peruerſiſſimi homines. Nam cum ſemper nouas expetant uoluptates, & gulæ eorum uicina maria non ſufficiant, cur in ſolo ſtudio ſcripturarum, ueteri ſapore contenti ſunt? Nec hoc dico,quo prædeceſſores meos mordeam,aut quicquam his arbitrer detrahendum: quorum trāslationem diligentiſſime emendatam, olim meæ linguæ hominibus dederim: ſed quod aliud ſit in eccleſijs Chriſto credentium pſalmos legere: aliud Iudæis ſingula uerba calumniantibus, reſpōdere. Quod opuſculum meum,ſi in Græcum,ut polliceris,tranſtuleris, & imperitiæ meæ doctiſſimos quoſq; uiros teſtes facere uolueris, dicam tibi illud Horatianum: In ſyluam ne ligna feras. Niſi quod hoc habebo ſolamen: ſi in labore cōmuni intelligam mihi & laudem & uituperationem tecum eſſe communem.

B ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Collatione uoluminum facta, docet quibus in locis æditio Septuaginta diſſonat ab Hebraica ueritate,& interpretibus cæteris inter ſe ut ſæpe faciunt, diſcordātibus,indicat quid potiſſimum ſit ſequendum. Hoc opus quoniam reperi ſatis diligenter emendatum opera Ioannis Cononis, uiri literarum Græcarum peritiſſimi, & quod ad huiuſmodi negocium non minus habebat momenti, ſumma fide pariq; diligentia: præterea clariſſimi uiri Ioannis Capnionis,poſtremo fratrum Amerbachiorum: illorum ſtudio contentus,non putaui meo labore opus eſſe. Reſpondet autē Germanis quibuſdam,oſtendens quomodo reſtitui debeant deprauata in pſalmis ,iuxta Hebraicam ueritatem,& Septuaginta æditionem ab ipſo Hieronymo ſub aſteriſcis & obelis prius traditam.

HIERONYMVS SVNIAE ET FRETELAE

VEre in uobis apoſtolicus & propheticus ſermo cōpletus eſt: In omnem terram exiuit ſonus eorū,& in fines orbis terræ uerba eorum. Quis hoc crederet,ut Barbara Getarum lingua Hebraicā quæreret ueritatem: & dormitantibus,imò contendentibus Græcis, ipſa GERMANIA, ſpiritus ſancti eloquia ſcrutaretur. In ueritate cognoui,quoniā non eſt perſonarū acceptor deus, ſed in omni gente,qui timet deū, & operatur iuſticiam,acceptus eſt illi. Dudum calloſa tenendo capulum manus, & digiti tractandis ſagittis aptiores, ad ſtilum calamumq; molleſcunt: & bellicoſa pectora uertuntur in manſuetudinem Chriſtianam. Nunc & Eſaiæ uaticinium cernimus opere completū: Conflabunt gladios ſuos in aratra,& lanceas ſuas in falces,& non aſſumet gens contra gentem gladium,& nō diſcent ultra pugnare. Rurſumq; in eodem: Paſcetur lupus cum agno,& pardus requieſcet cum hœdo, & uitulus & leo & taurus paſcentur ſimul,& puer paruulus ducet eos: & bos & urſus in cōmune paſcentur,paruuliq; eorū erunt pariter:& leo & bos comedent paleas:nō ut ſimplicitas in feritatem trāſeat,ſed feritas diſcat ſimplicitatē. Quæritis à me rem magni operis & maioris inuidiæ:in qua ſcribentis non ingenium,ſed eruditio cōprobetur:ut dum ipſe cupio de cæteris iudicare,iudicandum me omnibus præbeā: Et in opere pſalterij iuxta diſtinctionem ſchedulæ ueſtræ, ubicunq; inter Latinos Græcosq; contentio eſt, quid

magis Hebræis conueniat, ſignificem. In quo breuiter illud admoneo: ut ſciatis aliam eſſe C
æditionem quam Origenes,& Cæſarienſis Euſebius, omneſq; Græciæ tractatores κοινὴν, id eſt, cõmunem appellant atq; uulgatam,& à pleriſq; nunc λουκιανὸς dicitur:aliam Septuaginta interpretum,quæ & in ἑξαπλοῖς codicibus reperitur,& à nobis in Latinum ſermonem fideliter uerſa eſt, & Hieroſolymæ atq; in orientis eccleſijs decantatur. Super qua re & ſanctus filius meus Auitus ſæpe quæſierat. Et quia ſe occaſio fratris noſtri Firmi presbyteri dedit,qui mihi epiſtolam ueſtram reddidit à uobis, ſcribens in commune reſpondeo,& me magno amicitiæ libero fœnore:quod quãto magis ſoluimus, plus debemus.Sicut autem in nouo teſtamento, ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria uarietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis,quo nouum ſcriptum eſt inſtrumentum: ita in ueteri teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinoſq; diuerſitas eſt,ad Hebraicam recurrimus ueritatem:ut quicquid de fonte proficiſcitur,hoc queramus in riuulis. κοινὴ autem iſta,hoc eſt communis æditio,ipſa eſt quæ & Septuaginta. Sed hoc intereſt inter utranq;, quod κοινὴ pro locis & temporibus & pro uoluntate ſcriptorum ueterum corrupta æditio eſt. Ea autem quæ habetur in ἑξαπλοῖς, & quam nos uertimus, ipſa eſt quæ in eruditorũ libris incorrupta & immaculata,Septuaginta interpretum translatio reſeruatur.Quicquid ergo ab hac diſcrepat, nulli dubium eſt, quin ita & ab Hebræorum autoritate diſcordet. Prima de quinto pſalmo quæſtio fuit: Neq; habitabit iuxta te malignus. Pro quo habetur in Græco ὃ παροικήσει σοι πονηρὸς, ſiue πονηρευόμενος, ut uulgata æditio continet,& miramini cur παροικίαν, id eſt,incolatũ Latinus interpres non uerterit, ſed pro hoc poſuerit habitationem,quæ Græce dicitur κατοίκεσιν, quod quidem in alio pſalmo feciſſe conuincitur. Hei mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt.Et in decimoquarto pſalmo,rurſum pro incolatu,habitationẽ poſuit:Domine quis habitabit in tabernaculo tuo.Et ſciendum,quod ſi uoluerimus dicere: Domine quis incolet tabernaculum tuum: uel illud de quinto: Neq; incolet iuxta te malignus, perdet euphoniam:& dum interpretationis κακοζηλίαν ſequimur, omnem decorẽ translationis amittimus:& hanc eſſe regulam boni interpretis,ut idioma alterius linguæ ſuæ linguæ exprimat proprietate, quod quidem & Tullium in Protagora Platonis, & in Oeconomico Xenophontis,& in Demoſthenis contra Aeſchinem oratione feciſſe conuincimus, & Plautum, Terentium, Cæciliumq; eruditiſſimos uiros in Græcis comœdijs transferẽdis.Neq; ex eo quis Latinam linguam anguſtiſſimam putet,quod non poſſit uerbum de uerbo transferre,cum etiam Græci pleraq; noſtra per circumitus transferant: & uerba Hebraica non interpretationis fide,ſed linguæ ſuæ proprietatibus nitantur exprimere. De eodem pſalmo:Dirige in conſpectu meo uiam tuam:pro quo habetur in Græco κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, hoc eſt,dirige in cõſpectu tuo uiam meã:quod nec Septuaginta habent,nec Aquila,nec Symmachus,nec Theodotio,ſed ſola κοινὴ æditio.Deniq; & in Hebræo ita ſcriptum reperi:haieſar lephanai darchecho הַיְשַׁר לְפָנַי דַּרְכֶּךָ quod omnes uoce ſimili tranſtulerunt: dirige in conſpectu meo uiam tuam:ſecundum illud quod in oratione dominica dicitur: Pater noſter qui es in cœlis,ſanctificetur nomen tuum:nõ quod nobis orantibus ſanctificetur, quod per ſe ſanctum eſt:ſed quod petamus,ut quod per naturam ſui ſanctum eſt,ſanctificetur in nobis.Ergo & nunc propheta poſtulat:ut uia domini quæ per ſe recta eſt,etiam ſibi recta fiat. De ſexto pſalmo: Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei:& dicitis,uehementer,in Græco non haberi.Scio,ſed hoc in æditione uulgata.Cæterum in Hebræo habet meod מְאֹד id eſt,uehementer, & omnes σφόδρα ſimiliter tranſtulerunt. De ſeptimo pſalmo:Iudica me domine,ſecundum iuſticiam meam.Pro quo habetur in Græco, κατὰ τὴν δικαιοσύνην σου, id eſt,iuxta iuſticiam tuam: ſed & in hoc male: in Hebræo autem zideki צִדְקִי habet,quod interpretatur iuſticia mea:& nõ zidekathecho צִדְקָתֶךָ quod iuſticiam tuam ſonat.Sed & omnes interpretes iuſticiam meam,uoce ſimili tranſtulerũt. Nec cuiquam uideatur temerarium,quod iudicari ſe ſecundum iuſticiã ſuam poſtulet, cum & ſequens uerſiculus,hoc ipſum ſignificet:Et ſecundum innocentiam meam ſuper me:Et decimi-

ſexti

A sexti psalmi hoc exordium sit:Exaudi domine iusticiam meam. Et in decimoseptimo quoq; dicatur:Retribuet mihi dominus,secundū iusticiam meam, & secūdum puritatem manuum mearum reddet mihi. In uigesimo quoq; quinto psalmo scriptum sit. Proba me domine & tenta me,ure renes meos & cor meum.Et in quarto psalmo dicatur:Cum inuocarem exaudiuit me deus iusticiæ meæ. Et in octogesimoquinto psalmo: Custodi animam meam, quoniam sanctus sum.Iacob quoq; loquatur in Genesi: Et exaudiet me cras iustícia mea. De octauo psalmo:Quoniam uidebo cœlos tuos:& dicitis quod,tuos,in Græco non habeatur. Verum est,sed in Hebræo legitur samecha שָׁמַיִךָ quod interpretatur,cœlos tuos.Et de æditione Theodotionis in Septuaginta interpretibus additum est sub asteriſco: cuius rei breuiter uobis sensum aperiam. Vbi quid minus habetur in Græco ab Hebraica ueritate, Origenes de translatione Theodotionis addidit,& signum posuit asteriscum, id est stellam, quæ quod prius absconditum uidebatur, illuminet, & in medium proferat. Vbi autem quod in Hebræo non est,in Græcis codicibus inuenitur ὀβελὸν, id est,iacentem præposuit uirgulam, quam nos Latine ueru possumus dicere:quo ostenditur iugulandum esse & confodiendum, quod in autenticis libris non inuenitur: quæ signa & in Græcorum Latinorumq; poematibus inueniuntur. In decimosexto psalmo: Oculi tui uideant æquitates: pro quo in Græco uos legisse dicitis, οἱ ὀφθαλμοί μου ἰδέτωσαν ἰυθύτητας, id est, oculi mei uideant æquitates: sed rectius oculi tui,quia & supra dixerat: De uultu tuo iudicium meum prodeat:ut oculi domini in propheta recta operante non praua,sed recta conspiciant. In ipso: Custodi me ut pupillam oculi: dicitis in Græco legi φύλαξόν με κύριε ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, id est, custodi me domine,ut pupillam oculi:quod nec in Hebræo,nec ullo habetur interprete. In eodem: Exurge domine, præueni eum & supplanta eum: pro quo in Græco sit, ἀνάστηθι κύριε πρόφθασον αὐτὸν καὶ ὑποσκέλισον αὐτὸν, id est:Exurge domine,præueni eos & supplanta eos. Sed melius, si legatur in numero singulari.Siquidem de impio dictum est:de quo statim se-
B quitur,præueni eum & supplanta eum:eripe ab impio animam meam: nullicq; dubium quin diabolum significet. Decimoseptimo psalmo: Grando & carbones ignis: Et quæritis cur Græci istum uersiculum secundo non habeant interpositis duobus uersibus. Sed sciendum, quia de Hebraico,& de Theodotionis æditione,in Septuaginta interpretationem sub asteriſco additum sit. In eodem: Qui perficit pedes meos tanquam ceruorum: pro quo scribitis in Græco inueniri, καταρτιζόμενον τοὺς πόδας μου ὡσεὶ ἐλαφου, id est, qui perficit pedes meos tanquam cerui: singularem numerum pro plurali. Sed in Hebræo pluralis numerus positus est caaialoth בְּאַיָּלוֹת & omnes interpretes pluralem numerum transtulerunt.

In eodem: Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: pro quo in Græco uos legisse dicitis, καὶ ἔδωκάς μοι ὑπερασπισμὸν σωτηρίας μου, id est, & dedisti mihi protectionē salutis meæ. Sed in Hebræo iesacha יְשֻׁעָתֶךָ salutis tuæ significat, non meæ, quod & omnes interpretes transtulerunt. In ipso:Supplantasti insurgentes in me, subtus me. Pro quo in Græco plus inuenisse uos dicitis, σωεπόδισας πάντας τοὺς ἐπανισταμένους ἐπ' ἐμὲ, id est, supplantasti omnes insurgentes in me: sed omnes,additum est. In eodem: Viuit dominus & benedictus deus meus. Et dicitis in Græco non haberi meus, ζῇ κύριος καὶ ἐυλογητὸς ὁ θεὸς, id est, uiuit dominus & benedictus deus: quod non sub asteriſco, sed ab ipsis Septuaginta de Hebraica ueritate translatum est,& cuncti interpretes in hac parte consentiunt. In eodem:Liberator meus de gentibus iracundis. Pro quo in Græco uos inuenisse dicitis, ὁ ἐξυσάς μου ἐξ ἐχθρῶν μου δυνάτων, id est,liberator meus ab inimicis meis fortibus siue potētibus.Et quia semel ueritati studemus,si quid uel transferentis festinatione,uel scribentium uitio depraua-tum est,simpliciter confiteri,& emendare debemus. In Hebræo nihil aliud habetur nisi hoc: Liberator meus ab inimicis meis:Septuaginta autem,iracundis addiderunt.Et pro gentibus tam in Hebræo, quàm in cunctis interpretibus, inimici positi sunt, & miror quomodo pro inimicis,gentes mutatæ sunt. De decimooctauo: Exultauit ut gigas ad currendum uiam suam:& dicitis quod in Græco suam,nō habeatur, ἀγαλλιάσεται ὡς γίγας δραμεῖν ὁδὸν, id est,exultabit

eſt,exultabit ut gigas currere uiam: ſed hoc nos ſub ueru additum reperimus, & in Hebræo non eſſe,manifeſtum eſt. De decimonono: Tribuat tibi ſecundum cor tuum: & dicitis in Græco uos in hoc uerſiculo additũ nomen domini reperiſſe, δώη σοι κύριος, id eſt, tribuat tibi dominus,quod ſuperfluum eſt:quia ex ſuperioribus ἀπὸ κοινοῦ ſubauditur,unde cœpit & pſalmus:Exaudiat te dominus in die tribulationis:ut & hic ſub eodem ſenſu dicatur: Tribuat tibi ſecundum cor tuum,id eſt,ipſe dominus, de quo ſupra dictum eſt. In eodem:Exaudi nos in die,qua inuocauerimus te: pro quo legiſſe uos dicitis, ἐν ᾗ ἂν, id eſt,in quacunq;, ſed ſuperius cum Hebraica ueritate concordat: ubi ſcriptum eſt, beiom בְּיוֹם id eſt,in die. De uiceſimoprimo: Tu autem domine ne elongaueris auxiliũ tuum:dicitis inueniſſe uos,meum: quod & uerum eſt, & ita corrigendum. Necq; enim ſi quid ſcriptorum eſt errore mutatum: ſtulta debemus contentione defendere. In eodem: Vniuerſum ſemen Iacob magnificate eum:pro quo in Græco ſcriptum ſit, ἅπαν τὸ σπέρμα ἰακὼβ δόξάσατε αὐτὸν, id eſt,glorificate eum. Sed ſciendum,quod ubicunq; in Græco δοξάσατε, id eſt,glorificate ſcriptum ſit, Latinus interpres magnificate tranſtulerit, ſecũdum illud quod in Exodo dicitur: Cantemus domino,glorioſe enim magnificatus eſt,pro quo in Græco ſcribitur, δεδόξασται,id eſt,glorificatus eſt.Sed ſi in Latino transferatur,fit indecora translatio:& nos emendãtes pſalterium olim, ubicunq; ſenſus idem eſt, ueterum interpretum conſuetudinem mutare noluimus, ne nimia nouitate, lectoris ſtudium terreremus. De uiceſimoſecundo. Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. Pro quo in Græco legiſſe uos dicitis, ποτήριόν σου, id eſt, calix tuus. Sed in κοινῇ hoc error obtinuit. Cæterum & Septuaginta,& Hebræi,& omnes interpretes, calix meus habent, & Hebraice dicitur choſi כּוֹסִי Alioqui ſi calix tuus eſſet,diceretur choſcha כּוֹסְךָ In uiceſimoquarto: Confundantur omnes iniqua agentes: & dicitis,quod omnes, in Græco non habeatur, αἰσχυνθήτωσαν οἱ ἀνομοῦντες, id eſt, confundantur iniqua agentes,& bene: nam nec in Hebræo habetur, ſed in Septuaginta ſub ueru additũ eſt. In eodem: Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te: & dicitis in Græco uos reperiſſe, ὅτι ὑπέμεινάς με κύριε, id eſt, quia ſuſtinui te domine, quod ſuperfluum eſt. De uiceſimoſexto. Et nunc exaltauit caput meum, ſuper inimicos meos, pro quo in Græco uos inueniſſe dicitis, καὶ νῦν ἰδοὺ ὕψωσε κεφαλήν μου, id eſt, & nunc ecce exaltauit caput meum: ſed ecce, ſuperfluum eſt. In eodem. Exquiſiuit facies mea: pro quo in Græco poſitum ſit ἐξεζήτησέ σε τὸ πρόσωπόν μου, id eſt,quæſiuit te facies mea,ſed melius ſuperius eſt. De uiceſimoſeptimo: Exaudi uocem deprecationis meæ, pro quo uos inueniſſe dicitis εἰσάκουσόν κύριε, id eſt,exaudi domine,ſed & hoc additum eſt. Viceſimo octauo. Et in templo eius omnes dicent gloriam,pro quo in Græco καὶ ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ πᾶς τὶς λέγῃ δόξαν, id eſt, & in templo eius omnis quis dicit gloriam. Quod ſi transferre uoluerimus ad uerbum omnis quis, in καταχρηλίαν interpretationis incurrimus,& fit abſurda translatio. In eodem: Dominus diluuium inhabitare facit: pro quo uos legiſſe dicitis, κύριος γὰρ κατακλυσμὸν κατοικεῖ, id eſt,dominus diluuium inhabitat:quorum prius pertinet ad gratiã credentium,ſecundum ad eius,in quo credunt,habitaculum.Sed quia ioſab יָשַׁב uerbum ambiguũ eſt,& poteſt utrunq; ſonare:nam ſeſſio & habitatio dicitur,& in ipſo pſalmo de gratia baptiſmatis dicitur: Vox domini ſuper aquas multas, & uox domini præparantis ceruos, & reuelauit condenſa,& in templo eius omnis dicet gloriam: de ipſis ſentiri uoluimus qui glorificant dominum:& interpretati ſumus,dominus diluuium inhabitare facit. De triceſimo: Quoniam tu es protector meus.Rurſum & in hoc loco additum eſt nomen domini, ὑπόστασίς μου κύριε, id eſt,quoniam tu es protector meus domine.Et ne eadem inculcem, obſeruare debetis nomen domini & dei ſæpiſſime additum:& id uos debere ſequi,quod de Hebraico & de Septuaginta interpretibus emendauimus. In eodem:Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ: pro quo in Latinis codicibus legebatur, in pauore meo, & nos iuxta Græcum tranſtulimus ἐν τῇ ἐκστάσῃ μου, id eſt,in exceſſu mentis meæ.Aliter enim Latinus ſermo ἔκστασιν exprimere non poteſt,niſi mẽtis exceſſum.Aliter me in Hebraico legiſſe nouerã,in ſtupore & admiratione

A ratione mea. Triceſimoprimo: Nec eſt in ſpiritu eius dolus. Pro quo in Græco uos legiſſe dicitis, οὐδ' ἔστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος, id eſt, neq; eſt in ore eius dolus, quod ſolus Symmachus poſuit. Alioquin & Septuaginta interpretes & Theodotion, & Quinta & Sexta æditio, & Aquila, & ipſum Hebraicum, in ſpiritu eius habet, quod Hebraice dicitur בְּרוּחוֹ berucho. Sin autem eſſet, in ore eius dolus, ſcriberetur בְּפִיו bepif. In eodem: Cõuerſus ſum in erumna mea. In Græco, mea, non eſſe ſuggeritis ἐστράφην εἰς ταλαιπωρίαν, ἐν τῷ ἐμπαγῆναί μοι ἄκανθαν, id eſt, conuerſus ſum in erumna, dum cõfigitur mihi ſpina: quod ex Hebraico & translatione Theodotionis, ſub aſteriſco additum eſt: & in Hebraico legitur leſadi לְשַׁדִּי Trigeſimoquarto: Omnia oſſa mea dicent domine. Pro quo, bis domine inueniſſe uos dicitis, πάντα τὰ ὀστᾶ μου ῥῆσει κύριε, κύριε, id eſt, omnia oſſa mea dicent, domine, domine. Sed ſciendum quod multa ſunt exemplaria apud Hebræos, quæ ne ſemel quidem dominum habent. Trigeſimoſexto: Et uiam eius uolet: & in Græco uolet nimis, uos legiſſe dixiſtis βελήσει σφόδρα, id eſt, & uiam eius uolet nimis, quod additum eſt, nec apud quenquam habetur interpretum. Trigeſimooctauo: Veruntamen uane conturbatur omnis homo uiuens, & dicitis in Græco uos nõ inueniſſe conturbat' πλὴν τὰ σύμπαντα μάταιότης πᾶς ἄνθρωπος ζῶν, id eſt, uerũtamen uniuerſa uanitas, omnis homo uiuens. Sed & hoc ſub ueru additũ eſt in Septuaginta. Et hinc apud uos, & apud pleroſq; error exoritur, quod ſcriptorũ negligentia, uirgulis & aſteriſcis ſubtractis, diſtinctio uniuerſa confunditur. Triceſimonono: Et legem tuam in medio cordis mei. Pro quo in Græco comperiſſe uos dicitis, καὶ τὸν νόμον σου, ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, id eſt, & legem tuam in medio uentris mei, quod in Hebræo ſcriptum eſt בְּתוֹךְ מֵעָי beſoch meai. Sed propter euphoniã apud Latinos in corde translatum eſt, & tamen non debemus ſubtrahere quod uerum eſt. In eodem: Domine in adiutorium meum reſpice. Pro quo in Græco reperiſſe uos dicitis, κύριε εἰς τὸ βοηθῆσαί μοι πρόσχες, id eſt, domine ad adiuuandum me feſtina. Sed apud Septuaginta πρόσχες, id
B eſt, reſpice ſcriptum eſt. Quadrageſimo. Et ſi ingrediebatur, ut uideret: & dicitis quod, ſi in Græco non ſit poſitum, καὶ εἰσεπορεύετο τοῦ ἰδεῖν, id eſt, & ingrediebatur, ut uideret: cum manifeſtiſſime & in Hebræo & in cunctis interpretibus ſcriptum ſit, & Septuaginta tranſtulerint. Quadrageſimoprimo. Salutare uultus mei deus meus. Pro quo inueniſſe uos dicitis, σωτήριον τοῦ προσώπου μου, καὶ ὁ θεός μου, id eſt, ſalutare uultus mei, & deus meus. Sed ſciendum eſt, hoc in iſto pſalmo bis inueniri. & in primo poſitum eſſe, Salutare uultus mei, deus meus. In ſecundo autem, id eſt in fine ipſius pſalmi, Salutare uultus mei, & deus meus: ita duntaxat, ut, & coniunctio, de Hebræo & Theodotione ſub aſteriſco addita ſit. In eodem. Exprobrauerunt mihi qui tribulant me. Pro quo inueniſſe uos dicitis, ὠνείδισάν με οἱ ἐχθροί μου, id eſt exprobrauerunt mihi inimici mei, cum & apud Septuaginta ſcriptum ſit οἱ θλίβοντές με. Et apud Hebræos צוֹרְרַי ſorerai, id eſt hoſtes mei. In eodem. Spera in eo, quoniam adhuc confitebor illi, & dicitis, adhuc, in Græco non inueniri: ὅτι ἐξομολογήσομαι αὐτῷ, id eſt ſpera in eum, quoniam confitebor illi: quod ſub aſteriſco additum eſt: ita enim & in Hebræo ſcriptum reperimus עוֹד כִּי chi od, quod ſignificat ὅτι ἔτι, Latineq; dicitur adhuc. Hoc etiam ipſum & in quadrageſimoſecundo intelligendũ eſt in ultimo uerſu. Quadrageſimo tertio. Et non egredieris in uirtutibus noſtris: pro quo in Græco uos reperiſſe dicitis, καὶ οὐκ ἐξελεύσῃ ὁ θεὸς ἐν ταῖς δυνάμεσιν ἡμῶν, id eſt, & nõ egredieris deus in uirtutibus noſtris, ſed deus ſuperfluum eſt. in ipſo. Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus. Pro quo in Græco ſcriptum eſt, ἔθου ἡμᾶς εἰς παραβολὴν ἐν τοῖς ἔθνεσιν. Sed ſi dictũ fuiſſet in Latino, in ſimilitudinem in gentibus, κακόφωνον eſſet. Et propterea abſq; damno ſenſus, interpretationis elegantia conſeruata eſt. Alioquin in Hebræo ita ſcriptum reperi, teſimenu moſel bagoim תְּשִׂימֵנוּ מָשָׁל בַּגּוֹיִם id eſt, poſuiſti nos prouerbium in gentibus. In eodem. Exurge adiuua nos. Pro quo more ſolito in Græco, domine additum eſt, ἀνάστα κύριε βοήθησον ἡμῖν, id eſt, exurge domine adiuua nos. Quadrageſimoquarto. Sagittæ tuæ acutæ. Pro quo in Græco legiſſe uos dicitis, τὰ βέλη σου ἠκονημένα δυνατὰ, id eſt, ſagittæ tuæ

acutæ

acutæ potentiſſime,ſed hoc male,& de ſuperiori tertio uerſiculo additum eſt, in quo legitur. c Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuũ potẽtiſſime,id eſt, ὡσὶ ἢρ μηρόμ σϑ δωατέ. Quadrageſimo ſeptimo. Quoniã ecce reges congregati ſunt. Pro quo in Græco legiſſe uos dicitis, ὅτι ἰδοὺ οἱ βασιλεῖς αὐτῆς σωήχθησαν: id eſt, quoniam ecce reges eius cõgregati ſunt:quod ſuperfluum eſſe,ipſe lectionis textus oſtendit,& in ueteribus Latinorum codicibus ſcriptum erat,reges terræ: quod nos ſuſtulimus, quia nec in Hebræo, nec in Septuaginta reperitur.

In ipſo. Sicut audiuimus,ſic uidimus:pro quo in Græco reperiſſe uos dicitis, καθάπερ ἠκούσαμεν οὕτως κὴ εἴδομεν, id eſt,ſicut audiuimus,ita & uidimus: quod ſuperfluũ eſt. Legitur enim in Hebræo,chenrainu כֵּן רָאִינוּ quod interpretatur οὕτως εἴδομεν, hoc eſt,ſic uidimus. In eodem. Suſcepimus deus miſericordiam tuam,in medio templi tui:pro eo quod nos de Hebraico & Septuaginta interpretibus uertimus,templi tui,id eſt ναοῦ σϑ, in Græco legiſſe uos dicitis λαοῦ σϑ, id eſt, populi tui,quod ſuperfluum eſt. In Hebraico enim ſcriptũ eſt הֵיכָלֶךָ hechalecho, id eſt ναοῦ σϑ hoc eſt templi tui, & non עַמֶּךָ amecha, quod populum tuum ſignificat. Quadrageſimo octauo. Homo cum in honore eſſet:pro quo in Græco uos inueniſſe dicitis, & homo cum in honore eſſet, κὴ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὢν. Sed ſciendum quod iſte uerſiculus bis in hoc pſalmo ſit:& in priori additam habeat,& coniunctionem,in fine nõ habeat. In eodem. Et dominabũtur eorũ iuſti. Pro iuſtis, οἱ εὐθεῖς, id eſt rectos,in Græco uos legiſſe dicitis, ſed hoc propter euphoniam ita in Latinũ uerſum eſt. Alioquin & in eo loco, ubi ſcriptum legimus,ecce ſcriptũ eſt in libro, εὐθίων, iuſtorum intelligimus librum, & non debemus ſic uerbum de uerbo exprimere, ut dum ſyllabas ſequimur, perdamus intelligentiam. In eodem. De manu inferi cum liberauerit me. Pro quo in Græco legiſſe uos dicitis, ἐκ χειρὸς ἅδου ὅταν λαμβάνη με, id eſt, de manu inferi cum acceperit me. Quod quidem & nos de Septuaginta ita uertimus, & miror quomodo in ueſtro codice deprauatum ſit.

Quadrageſimo nono. Sedens aduerſus fratrem tuum loquebaris. Pro quo in Græco legiſſe uos dicitis, καθήμενος κὴ τοῦ ἀδελφοῦ σου κατελάλεις: & putatis non bene uerſum, quia diximus aduerſum fratrem tuum loquebaris, & debuiſſe nos dicere, aduerſus fratrem tuum detrahebas,quod uitioſum eſſe,& in lingua noſtra non ſtare,etiam ſtultis patet. Nec ignoramus, quod καταλαλιὰ dicatur detractio, quam ſi uoluerimus ponere, non poſſumus dicere aduerſus fratrem tuum detrahebas, ſed de fratre tuo detrahebas. Quod ſi fecerimus: rurſum contentioſus calumniator uerborum inquiret:quare non dixerimus, κατὰ τοῦ ἀδελφοῦ σϑ, hoc eſt,aduerſus fratrem tuum. Hæc ſuperflua ſunt, & nõ debemus putida nos uerborum interpretatione torquere, cum damnũ non ſit in ſenſibus: quia unaquæq; lingua (ut ante diximus)ſuis proprietatibus loquitur. In ipſo. Ne quando rapiat,& ſit qui eripiat, & in Græco uos reperiſſe dicitis, κὰ ὁ μὴ ἦ, id eſt,nec ſit qui eripiat,quod & à nobis uerſum eſt,& in noſtris codicibus ſic habetur:& miror quomodo uitium librarij dormitãtis, ad culpam referatis interpretis:niſi forte fuerit,ne quando rapiat,nec ſit qui eripiat:& ille pro nec,& ſcripſerit. In eodem. Sacrificium laudis honorificabit me: pro quo in Græco ſcribitur, θυσία αἰνέσεως δοξάσει με, id eſt, glorificabit me: de quo & ſupra diximus. Et in euangelio in eo loco,ubi in Græco legimus, κὰ νῦν δόξασόν με σὺ πάτερ παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ, ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι παρά σοι: in Latino ſcribitur, Et nunc clarifica me tu pater apud temetipſum claritate,quam habui priuſquam mundus eſſet apud te. Noluimus igitur immutare, quod ab antiquis legebatur,quia idem ſenſus erat. In quinquageſimo quarto. Expectabam eum,qui ſaluum me fecit,& dicitis uos inueniſſe in Græco, προσεδεχόμην τὸν θεὸν τὸν σώζοντά με, id eſt,expectabam deum ſaluantem me,quod additum eſt. In eodem. A puſillanimitate ſpiritus,& in Græco inueniſſe uos dicitis, ἀπὸ ὀλιγοψυχίας, quod proprie puſillanimitas dicitur. Sed ſciendum quod pro ὀλιγοψυχία Aquila & Symmachus & Theodotion,& Quinta æditio interpretati ſunt ἀπὸ πνεύματος, id eſt, à ſpiritu, & in Hebræo ſcriptum eſt מִרוּחַ meruah. Omniſq; ſenſus ita apud eos legitur, feſtinabo, ut ſaluer à ſpiritu tempeſtatis,& turbinis. In eodem. Quoniam ſi inimicus maledixiſſet mihi,in Græco ὠνείδισέμε

A ὀνείδισέ με, hoc eſt opprobraſſet me, poſitum eſt. Sed inter maledicta & opprobria ſenſum non diſcrepare, perſpicuum eſt. De quinquageſimoquinto. Quoniam multi bellantes aduerſum me, ab altitudine diei timebo. Et dicitis in Græco uos inueniſſe, ὅτι πολλοὶ πολεμοῦντά με, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας ἐγὼ φοβηθήσομαι, id eſt non timebo, quod additum eſt. Et eſt ordo, quoniam multi dimicant aduerſum me: idcirco ego ab altitudine diei timebo: hoc eſt nō bellantes aduerſum me, ſed tuum excelſum timebo lumen. In ipſo. In ira populos confringes, pro quo in Græco legitur, ἐν ὀργῇ λαοὺς κατάξεις, id eſt confringes: & apud Latinos pro eo quod eſt, deijcies, id eſt καταβαλεῖς, male error obtinuit κατάξεις, id eſt in ira populos confringes. Nam & in Hebraico חוֹרִד, hored habetur, id eſt καταβίβασον, quod nos poſſumus dicere depone, & Symmachus interpretatus eſt καταστεῖσαι. Quinquageſimooctauo. Quia dominus ſuſceptor meus. Pro quo in Græco poſitum eſt, ὅτι σὺ θεὸς ἀντιλήπτωρ μού εἶ, id eſt, quia tu deus ſuſceptor meus es. Sed ſciendum quod in Hebræo nec es, eſt ſcriptum, nec tu, & apud Septuaginta ſolos inueniri. In ipſo. Deus meus uoluntas eius præueniet me. Pro quo in Græco ſcriptum eſt, ὁ θεός μου ὁ ἐλεὼς αὐτοῦ προφθάσει με, id eſt deus meus miſericordia eius præueniet me: quod & uerius eſt. Sed in Hebræo ſcriptum eſt: Dei mei miſericordia præueniet me. In eodem. Deus oſtendet mihi inter inimicos meos. Pro quo in Græco poſitū eſt, ὁ θεός μου δείξει μοι ἐν τοῖς ἐχθροῖς μου, id eſt, deus meus oſtendet mihi in inimicis meis, ſed meus, additum eſt. In eodem. Ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populum tuum. Pro quo in Græco ſcriptum eſt, μήποτε ὦσιν λάθωνται τοῦ νόμου σου, id eſt ne quando obliuiſcantur legis tuæ. Sed in Septuaginta & in Hebræo non habetur populi tui, ſed populi mei: & à nobis ita uerſum eſt. In eodem: Et ſcient quia dominus dominabitur Iacob finium terræ. Pro quo in Græco ſcriptum eſt, καὶ γνώσονται ὅτι ὁ θεὸς δεσπόσει τοῦ ἰακὼβ, καὶ τῶν περάτων τῆς γῆς, id eſt, & noſcent quoniam dominus dominabitur Iacob & finium terræ. Sed, & cōiunctio addita eſt: & ordo eſt: Scient quia deus Iacob
B dominabitur finium terræ. In quinquageſimonono: Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me uſq; in Idumæam? Pro quo habetur in Græco, ἤ τίς ὁδηγήσει με ἕως τῆς Ιδυμαίας, id eſt, aut quis deducet me, ſed ſuperfluum eſt, aut. In ſexageſimo: Quoniam tu deus meus exaudiſti orationem meam. Pro quo in Græco legitur, ὅτι σὺ ὁ θεὸς εἰσήκουσας τῶν εὐχῶν μου, id eſt, quia tu deus exaudiſti orationem meam: quod non habetur in Hebræo, nec in Septuaginta interpretibus: & in Latino additum eſt. In eodē: Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum ſeculi. Pro quo in Græco ſcriptum ſit, in ſecula, οὕτως ψάλῶ τῷ ὀνόματί σου εἰς τοὺς αἰῶνας, id eſt, ſic pſallam nomini tuo in ſecula: & in Hebræo ſemel habet לָעַד, laad, id eſt, in æternum: & non לְעֹלָם leolam, id eſt, in ſeculum. In ſexageſimoprimo: Quia deus adiutor noſter in æternum. Pro quo in Græco ſit, ὁ θεὸς βοηθὸς ἡμῶν, id eſt, quia deus adiutor noſter: ergo in æternum, obelus eſt. In ſexageſimoſecundo: Sitiuit tibi anima mea: pro quo in Græco ſit: ἐδίψησέ σε ἡ ψυχή μου, id eſt: Sitiuit te anima mea. Sed in Hebræo non habetur אַתָּה ato, quod ſignificat, te: ſed לְךָ lecho, quod ſignificat tibi, quod & omnes interpretes tranſtulerunt. Ergo ſecundum linguæ proprietatem, uerſum eſt in Latinum. In ſexageſimotertio: Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. Pro quo in Græco, βέλη νηπίων ἐγενήθησαν αἱ πληγαὶ αὐτῶν, id eſt, ſagitta paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. Sed ſi ſic dicamus, non reſonat in Latino: Sagitta paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. In ſexageſimoquarto: Qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius. In Græco: ὁ σωτεράσσων γὰρ κύτη τῆς θαλάσσης, ἦχος κυμάτων αὐτῆς, τίς ὑπενέγκεται, id eſt, qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius: & eſt additum, quis ſuſtinebit: quod ſuperfluum eſt: ſubauditur enim, qui conturbas profundum maris: & conturbas ſonum fluctuum eius. In eodem: Paraſti cibum illorum: quoniam ita eſt præparatio eius: Et dicitis quod in Græco non ſit, eius: ὅτι οὕτως ἡ ἑτοιμασία, id eſt, quoniam ita eſt præparatio: cum in Hebræo תְּכִינָתָהּ techineoh, manifeſte præparationem eius ſignificet. Eius autem, id eſt terræ: de qua ſupra dixerat: Viſitaſti terram & inebriaſti eam. In ſexa-

geſimoquinto: Holocauſta medullata offeram tibi cum incenſo arietum. Pro quo dicitis in/ c
ueniſſe uos, μετὰ θυμιάματος καὶ κριῶν, id eſt,cum incenſo & arietibus:ſed male.In He/
bræo autem ſcriptum eſt: עִם קְטֹרֶת אֵילִים im Katoroth elim: quod interpretatur μετὰ θυ/
μιάματος τῶν κριῶν, id eſt,cum incenſo arietum. In eodem:Propterea exaudiuit deus.
Pro quo in Græco inueniſſe uos dicitis, διὰ τοῦτο εἰσήκουσέ μου θεὸς, πρόσεσχε τῇ φωνῇ τῆς
δεήσεώς μου, id eſt,propterea exaudiuit me deus:intendit uoci deprecationis meæ: ubi, me,
ſuperfluum eſt. In ſexageſimoſeptimo:Exultare in conſpectu eius.Pro quo in Græco in/
ueniſſe uos dicitis, καὶ ἀγαλλιᾶσθε ἐνώπιον αὐτοῦ, id eſt,& exultate in conſpectu eius:quod
ita uerſum eſt à nobis:ſed à quo in ueſtro codice corruptum ſit,ſcire non poſſumus. In eo/
dem: Etenim non credunt inhabitare dominũ.Pro quo in Græco uos legiſſe dicitis, καὶ γὰρ
ἀπειθοῦντας τοῦ κατασκηνῶσαι, id eſt, etenim non credentes inhabitare, quod utrunq;
falſum eſt.Nos enim tranſtulimus: Etenim non credentes inhabitare dominum: ut hic ſen/
ſus,& pendeat ex ſuperioribus: Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in
hominibus, & eos qui non credebant deum inhabitare poſſe mortalibus. In eodem: Be/
nedictus dominus die quotidie, pro quo dicitis in Græco legi, κύριος ὁ θεὸς εὐλογητός, εὐ/
λογητὸς κύριος ἡμέραν καθ' ἡμέραν, id eſt, dominus deus benedictus, benedictus domi/
nus die quotidie. Sed melius & uerius eſt quod ſupra.In eodem: Viderunt ingreſſus tui de/
us:pro quo in Græco ſcriptum ſit: ἐθεωρήθησαν αἱ πορεῖαι σου ὁ θεὸς, id eſt,uiſi ſunt ingreſſus
tui deus,quod in Hebræo ita habet: רָאוּ הֲלִיכוֹתֶיךָ אֱלֹהִים, rau helicothecho elohim,quod
Aquila & Symmachus & Theodotio,& Quinta ſextaq; æditio interpretati ſunt: Viderunt
itinera tua deus:& quod ſequitur. Itinera dei mei regis qui eſt in ſancto. Ergo à nobis ita le/
gendum eſt: Viderunt ingreſſus tuos deus: & ſcriptoris uitium relinquendum eſt,qui nomi/
natiũum poſuit pro accuſatiuo:licet in Septuaginta & in ἑξαπλοῖς ita repererim, ἐθεώρησαν
τὰς πορείας σου. & pro eo quod eſt, ἐθεώρησαν, hoc eſt uiderunt,in multis codicibus habe/ D
tur ἐθεωρήθησαν, quod & obtinuit conſuetudo. In eodem:Ingreſſus dei mei,regis mei,qui
eſt in ſancto:ſubauditur,uiderunt ingreſſus dei mei & regis mei.Quod autem dicitis,mei,in
rege non appoſitum,apertiſſimi mẽdacij eſt.Secundo enim ponitur:& dei mei,& regis mei,
blandientis affectu:ut qui omnium deus & rex eſt,ſuus ſpecialiter deus fiat,& rex merito ſer
uitutis. Denicq; in Hebræo ſcriptum habes אֵלִי מַלְכִּי eli malki,quod deum meum,& regem
meum ſignificat. In eodem: Regna terræ cantate deo, pſallite domino. Et dicitis hoc in
iſto uerſiculo non eſſe ſcriptum, pſallite domino: quoniam ſtatim ſequitur poſt diapſalma,
pſallite deo, qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem: cum iſte uerſiculus magis habere
debeat iuxta Hebraicam ueritatem: Cantate deo,pſallite domino: & illud quod ſequitur in
principio uerſus alterius:pſallite deo:non ſit in libris authenticis,ſed obelo prænotatum. Er/
go & uos legite magis ea quæ uera ſunt:ne dum additũ ſuſcipitis,quod à propheta ſcriptum
eſt,relinquatis. In ſexageſimooctauo: Laudabo nomen dei cum cantico. Pro quo dicitis
uos reperiſſe in Græco, αἰνέσω τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ μου μετ' ᾠδῆς, id eſt, laudabo nomen dei
mei cum cantico: ſed, mei,ſuperfluum eſt. In ſeptuageſimo: Deus ne elongeris à me, quod
dicitis in Græco poſitum eſſe, ὁ θεός μου μὴ μακρύνῃς ἀπ' ἐμοῦ, id eſt, deus meus ne elonge/
ris à me: meus, ſuperfluum eſt. In eodem: Deus docuiſti me ex iuuentute mea, & in hoc
quod apud Græcos uos inueniſſe dicitis: ὁ θεός μου ἐδίδαξάς με ἐκ νεότητός μου, id eſt,de/
us meus quæ docuiſti me ex iuuentute mea,ſuperfluum eſt,meus. In eodem: Donec an/
nunciem brachium tuum,& dicitis in Græco uos reperiſſe, mirabilia tua, καὶ μέχρι τοῦ νῦν
ἀπαγγελῶ τὰ θαυμάσιά σου, id eſt,uſq; nunc annunciabo mirabilia tua,quod de ſuperiori
uerſiculo eſt, & uſq; nunc pronunciabo mirabilia tua. Bene ergo hic habet, brachium.

In ſeptuageſimoprimo pſalmo: Et adorabunt eum omnes reges. Illud quod in Græco
uos inueniſſe dicitis, καὶ προσκυνήσουσιν αὐτῷ πάντες οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, id eſt,& ado/
rabunt eum omnes reges terræ:hoc quidem ſuperfluum eſt. In eodem pſalmo:Benedi/
ctus dominus deus deus Iſrael, dicitis in Græco bis, deus non haberi, εὐλογητὸς κύριος

A ὁ θεὸς ἰσραὴλ, id est,benedictus dominus deus Israel, cum & in Hebraico sit, & apud Septuaginta,& manifestissime triplex domini dei,deiq; nuncupatio, mysterium sit trinitatis.
In eodem:Et benedictum nomen maiestatis in æternum.Hoc ergo quod in Græco uos inuenisse dicitis, καὶ εὐλογημένον τὸ ὄνομα τῆς δόξης αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, id est,& benedictum nomen gloriæ eius in æternum, & in seculum seculi:superflue sciatis à Græcis esse appositum,quod nec Hebræus habet,nec Septuaginta interpretes.
De septuagesimosecundo: Prodijt quasi ex adipe, & uos dicitis in Græco reperisse ἐξελύσετο, id est, prodiet, quod falsum est. Nam & apud Septuaginta interpretes ita scriptum est, ἐξηλύσαρ ὡς ἐκ σίατος ἡ ἀδικία αὐτῶν. In eodem: Quomodo scit deus,in Græco dicitis non esse deum,cum & apud Septuaginta scriptum sit, πῶς ἔγνω ὁ θεὸς, & omnes interpretes similiter de Hebræo transtulerint. In eodem: Intelligam in nouissimis eorum,pro quo in Græco legisse uos dicitis, ἐν σωῷ, id est, & intelligam:sed hic, & coniunctio superflua est. In eodem: Defecit caro mea & cor meum, pro quo dicitis in Græco haberi, ἐξέλιπω ἡ καρδία μου,ἐν ἡ σάρξ μου, id est,defecit cor meum & caro mea, sed hic peruersus ordo est. In eodem:Vt annunciem omnes prædicationes tuas. Pro quo in Græco legisse uos dicitis, τοῦ ἐξαγγεῖλαι με πάσας τὰς αἰνέσεις σου, id est, ut annunciem omnes laudes tuas. Et sciendum quod scriptum in Hebræo habet, מַלְאָבוֹתֶיךָ malachothecho, quod Aquila ἀγγέλους σου, id est, nuncios tuos,Septuaginta, τὰς ἀπαγγέλματά σου, id est,prædicationes tuas,uel promissa interpretati sunt:licet & laus & prædicatio unum utrunque significet. De septuagesimotertio: Vt quid deus repulisti in finem. Pro quo apud Græcos male legitur ordine commutato, ut quid repulisti deus. In eodem: Quanta malignatus est inimicus in sancto. Miror quis in codice uestro emendando peruerterit, ut pro sancto sanctis posuerit, cum & in nostro codice, in sancto inueniatur:licet Græci legant, ἐν τῷ ἁγίῳ σου, id est,in sancto tuo. In eodem: Incendamus omnes dies festos dei à terra,pro
B quo in Græco scriptum est, δεῦτε ἐν καταπαύσωμεν πάσας τὰς ἑορτὰς τοῦ θεοῦ ἀπὸ τῆς γῆς, & nos transtulimus, heus & quiescere faciamus omnes dies festos dei à terra.Et miror quomodo è latere annotationem nostram, nescio quis temerarius scribendam in corpore putauerit,quam nos pro eruditione legentis scripsimus,hoc modo:textus non habet,καταπαύσωμεν, ut quidam putant, sed κατακαύσωμεν, id est,incendamus. Et quia retulit mihi sanctus presbyter Firmus,qui huius operis exactor fuit, inter plurimos hinc habitam quæstionem,plenius de hoc disputandū uidetur. In Hebræo scriptum est, שָׂרְפוּ כָּל מוֹעֲדֵי אֵל בָּאָרֶץ sarphu chol moade el baarez, quod Aquila & Symmachus uerterunt ἐνέπρησαν πάσας τὰς ἑορτὰς θεοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, id est,incenderunt omnes solēnitates dei in terra. Quinta,κατέκαυσαν, id est, combusserunt. Sexta, κατακαύσωμεν, id est,comburamus. Quod & Septuaginta iuxta hexaplorum ueritatem transtulisse perspicuum est. Theodotio quoq; ἐνεπυρίσωμεν uertit, id est, succendamus. Ex quo perspicuum est, sic psallendum,ut nos interpretati sumus. Et tamen sciendum quid Hebraica ueritas habeat. Hoc enim quod Septuaginta interpretes transtulerunt, propter uetustatem in ecclesia decantandum est: & illud ab eruditis sciendum proter noticiam scripturarum. Vnde si quid pro studio ex latere additum est,non debet poni in corpore:ne prorem translationem,pro scribentium uoluntate contur bet. In eodem: Contribulasti capita draconum in aquis, tu confregisti capita draconis:sic lectionis ordo sequitur,ut in priori uersu,tu,non habeat, sed in secundo: & aquæ plurali numero scribantur, non singulari. Sed & Aquila uerbum Hebraicum חַמִּים hamaim, ὑδάτων, id est,aquarū interpretatus est.Græcus uero textus habet,σὺ συέτριψας τὰς κεφαλὰς τῶν δρακόντων ἐπὶ τοῦ ὕδατος, σὺ συνέθλασας τῶν κεφαλῶν τοῦ δράκοντος. In eodem: Ne obliuiscaris uocis inimicorū tuorū:pro quo in Græco, μὴ ἐπιλάθῃ τῆς φωνῆς τῶν ἱκετῶν σου, id est, ne obliuiscaris uoces deprecantium te,scriptum dicitis.In Hebræo autem צוֹרְרֶיךָ zorerecho legitur:quod Aquila,hostium tuorum:Symmachus,bellātium contra te:Septuaginta & Sexta æditio,inimicorum tuorum, interpretati sunt:& est sensus pendens ex superioribus

rioribus:Memor esto improperiorũ tuorum,eorum quæ ab insipiente sunt quotidie.Ne ob c liuiscaris uoces inimicorum tuorum, id est, uoces quibus te blasphemant, tibiq; in populo tuo detrahunt.Vnde sequitur:Superbia eorum qui te oderunt,ascendit semper. Pro quo in Græco est διαπαντὸς, id est,per omnia siue omnino:id est,dum tu differs pœnas,illi proficiunt in blasphemias. In Septuagesimoquarto:Narrabimus mirabilia tua.Pro quo male apud Græcos legitur, διηγήσομαι πάντα τὰ θαυμάσιά σου, id est, narrabo omnia mirabilia tua. In septuagesimoquinto: Omnes uiri diuitiarum manibus suis: & non ut uos, nescio à quo deprauatum legitis, in manibus suis: cum in Græco sit, πάντες οἱ ἄνδρες τοῦ πλούτου ταῖς χερσὶν αὐτῶν, id est,omnes uiri opulentiæ manibus suis. In eodem: Terribili & ei qui aufert spiritum principum: dicitis quod ei, non sit scriptum in Græco, τῷ φοβερῷ καὶ ἀφαιρουμένῳ πνεύματα ἀρχόντων, id est, terribili & auferenti spiritus principum. Verum est:sed nisi apposuerimus ei,Latinus sermo non resonat.Neq; enim possumus dicere:terribili & qui aufert spiritum principum. In septuagesimosexto:Et meditatus sum nocte cum corde meo:& excitabar & scopebam spiritum meum.Pro quo in Hebræo legimus: Recordabar psalmorum tuorum in nocte cum corde meo : loquebar & scopebam spiritum meum.Pro exercitatione ἀδολεσχίαν, id est,decantationem quandam & meditationem, Septuaginta transtulerunt:& pro eo quod nos diximus scopebam,illi posuerunt ἴσκαλλον, quod Symmachus transtulit, ἀνεξεύνων, id est, perscrutabar siue quærebam:Et quinta similiter.In Græco habetur, Καὶ ἔτη αἰώνια ἐμνήσθην Καὶ ἐμελέτησα,νυκτὸς μετὰ τῆς καρδίας μου ἠδολέσχουν,Καὶ ἴσκαλλε ὁ πνεῦμα μου, id est, & annos æternos memineram & meditatus sum,nocte cum corde meo argutabar,& rimabatur spiritus meus.Proprie autem σκαλίσμὸς in agricultura dicitur,in sarriendo,id est,sarculando:& quomodo ibi quæruntur herbæ sarculo quæ secentur:sic & iste retractatum cogitationum suarum metaphoricos à sarculo demonstrauit.Et sciendum quod ἴσκαλλον non semel, sed frequenter significet. D

In eodem: A generatione in generationem: hoc quod Græcum sequentes inuenisse uos dicitis, σωτέλεσε ῥῆμα, id est, consummauit uerbum, recte non habetur in Latino:quia & in nullo habetur interpretum. In septuagesimoseptimo : Et narrabunt filijs suis. Pro quo habetur in Græco, Καὶ ἀπαγγελοῦσιν αὐτὰ, id est, & annunciabunt ea. Sed sciendum quod in Hebræo וִיסַפְּרוּ uisapheru scriptum est: quod Aquila & Symmachus, narrabunt, transtulerunt. In eodem:Et occidit pingues eorum,Pro quo in Græco esse dicitis, Καὶ ἀπέκτεινεν ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν, id est,& occidit in pluribus eorum: sic habetur in Hebræo, בִּמְשַׁמַּנֵּיהֶם bemismanehem, quod Aquila interpretatus est ἐυπρέποις αὐτῶν, Symmachus, τοῖς ἐυπρωτόποις, Septuaginta & Theodotio, & Quinta æditio, ἐν τοῖς πλείοσιν αὐτῶν, quod quidam non intelligentes, putauerunt scriptum, ἐν τοῖς πλήθεσιν. In eodem: Dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei: in Græco haberi dicitis, Καὶ ἠγάπησαν αὐτὸν ἐν τῷ στόματι αὐτῶν Καὶ τῇ γλώσσῃ αὐτῶν ἐψεύσαντο αὐτῷ, id est, & dilexerunt eum in ore ipsorum: & lingua sua mentiti sunt eum. Et in Hebræo scriptum est, יְכַזְּבוּלוֹ iechazbu lo,& omnes uoce simili transtulerunt ἐψεύσαντο αὐτῷ, id est,mentiti sunt ei. Quis autem uoluerit pro ei ponere, eum, & uitiare exemplaria, non est mei iudicij.

In eodem : Et propicius fiet peccatis eorum , & non disperdet eos: dicitis quod in Græco, eos,non habeatur:quod & uerum est, Καὶ ὐ διαφθορεῖ, id est,& non disperdet.Sed nos ne sententia pendeat, Latinum sermonem sua proprietate compleuimus . Si quis autem putat διαφθορὰν non perditionem,sed corruptionem sonare,recordetur illius tituli in quo scribitur Græce, εἰς τὸ τέλος μὴ διαφθείρῃς, hoc est, in finem ne perdas:& nõ ut plerique κακοζήλως interpretantur, ne corrumpas. In eodem: Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius.Pro quo apud Septuaginta legitur, ὄρος τοῦτο ὃ ἐκτήσατο ἡ δεξιὰ αὐτοῦ, id est,montem hunc quem possedit:& non ut uos ponitis, ἣ ἔκτησε, id est, quæ acquisiuit. Melius ergo secũdum Hebraicam proprietatem interpretatus est Symmachus,montem quem acquisiuit dextera eius. In eodem:Et auerterunt se, & non seruauerũt I

pactum

A pactum: quemadmodum patres eorum. Scio quod pactum non habeatur in Hebræo:sed quoniam omnes uoce simili transtulerunt, ἠσυχάσαμεν, & apud Græcos pactum dicitur, συνθήκη, ex uno uerbo significatur,non seruauerunt pactum:licet Septuaginta ἠθέτησεν posuerunt. In eodem: In terra quam fundauit in secula. Pro quo scriptum inuenisse uos dicitis, ἐν τῇ γῇ ἐθεμελίωσεν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, id est, in terra fundauit eam in secula. In Hebræo ita scriptū est,ut uertit Symmachus, εἰς τὸν γῆν ἣν ἐθεμελίωσεν εἰς τὸν αἰῶνα, id est, & ædificauit sicut unicornium sanctificium suum in terra quam fundauit in secula. Si autem non de terra dicitur quod fundata sit, sed de alia re quæ fundata uideatur in terra: probent ex prioribus & sequentibus,quis sensus sit: ut nescio quid, quod dicitur fundatum, uideatur in terra.Si autem sanctificium in terra fundatum putant,debuit scribi,in terra fundauit illud in secula. In eodem: Et in intellectibus manuum suarū deduxit eos: nō habet textus, ἐν τῇ συνέσει, ut scribitis numero singulari:quod intelligentiam sonat:sed ἐν ταῖς συνέσεσι, quod intelligentias sonat:sicut & in Hebræo habetur בְּתְבוּנוֹת bithbunoth,quod est in intellectibus. De septuagesimooctauo: Posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam: quod in Græco ὀπωροφυλάκιον dicitur:nec potest aliter uerti quàm à nobis translatum est. Significat autem ὀπωροφυλάκιον speculam quam custodes satorum & pomorum habere consueuerūt:ut de amplissima urbe paruum tuguriolū uix remanserit.Hoc secūdum Græcos. Cæterum in Hebræo לְעִיִּים laijm scriptum habetur: quod Aquila uertit λιθόριον, id est, aceruum & cumulum lapidum, quibus uineæ & agri purgari solent. In septuagesimonono: Et plantasti radices eius hinc:& dicitis quod in Græco,hinc, non habeatur, καὶ κατεφύτευσας τὰς ῥίζας αὐτῆς, & bene.Nam & in nostris codicibus non habetur:& miror quis imperitorum uestros libros falsauerit. De octogesimosecundo: Hæreditate possideamus sanctuarium dei. Et dicitis quod in Græco sit scriptum, κληρονομήσωμεν ἡμεῖς, id est,possideamus nobisipsis,quæ superflua quæstio est. Quando enim dicitur, possideamus, intelligitur
B & nobis. De octogesimotertio:Cor meum & caro mea exultauit in deum uiuum.Pro quo in Græco scriptum dicitis, καρδία μου & σάρξ μου ἠγαλλιάσαντο, id est, cor meum & caro mea exultauerunt,& in hoc nulla cōtentio est.Si enim legimus,exultauit,intelligitur cor meum exultauit:& caro mea exultauit. Si autem exultauerunt, duo pariter exultauerunt,id est, cor & caro.Et quæso uos ut huiusmodi ineptias & superfluas contentiones, ubi nulla est sensus mutatio,declinetis. In eodem:Beatus uir cui est auxilium abs te.In Græco uos inuenisse dicitis, μακάριος ἀνὴρ ὃς ἐστὶν αὐτῷ παράκλησις αὐτῷ παρά σου. id est,cuius est auxiliū eius abs te:quod quia nos in Latina interpretatione mutauimus,ut dicitis reprehendimur. Cui enim non pateat, quod si dicere uoluerimus, cui est auxilium eius abs te, apertissimum uitium sit: & quando præcesserit,cui,sequi non debeat,eius:nisi forte uitij arguimur,quod uitauimus uitium. In eodem: In ualle lachrymarum. Pro quo dicitis in Græco scriptum esse, εἰς τὸν κοιλάδα τοῦ κλαυθμῶνος, id est, in ualle plorationis. Sed siue ploratum, siue fletum, siue lachrymas, siue planctum dixerimus,unus est sensus: & nos hoc sequimur, ut ubi nulla est de sensu mutatio,Latini sermonis elegantiam conseruemus. De octogesimoquarto: Benedixisti domine terram tuam, pro eo quod est, benedixisti, in Græco scriptum dicitis εὐδόκησας, & quæritis quomodo hoc uerbum exprimi debeat in Latino. Si contentiose uerba scrutamur & syllabas, possumus dicere, beneplacuit domine terra tua. Et dum uerba sequimur,sensus ordinem perdimus.Aut certe addendum est aliquid,ut eloquij ordo seruetur,& dicendum:Complacuit tibi domine terra tua. Quod si fecerimus,rursum à nobis quæretur, quare addiderimus tibi,cum nec in Græco sit,nec in Hebræo. Eadem igitur interpretandi sequenda est regula,quam sæpe diximus,ut ubi non sit damnū in sensu,linguæ in quam transferimus, εὐφωνία, proprietas & elegantia conseruetur. In eodem: Misericordia & ueritas obuiauerunt sibi, & dicitis quod in Græco, sibi, non habeatur, ἔλεος & ἀλήθεια συνήντησαν, id est,misericordia & ueritas concurrerunt,nec in Hebræo habetur,& apud Septuaginta obelo prænotatū est: quæ signa dū per scriptorum negligentiā à plerisq; quasi superflua

relinquũtur,magnus in legendo error oboritur.Si autem non fuerit additum ſibi:miſericor/
dia & ueritas non ſibi,ſed alij occurriſſe credentur:nec iuſticia & pax ſibi dediſſe oſculum,ſed
alteri. De octogeſimoquinto:Et non propoſuerunt te in conſpectu ſuo, dicitis quod in ue
ſtro codice,te,non habeatur:addite,te,& emendato errore librarij, ueſtrum quoq; errorem
emẽdabitis. In eodem:Et tu domine deus miſerator & miſericors.In Græco inueniſſe uos
dicitis, καὶ σὺ κύριε ὁ θεός μου, id eſt,& tu domine deus meus,quod ſuperfluum eſt.Meus eñ
nec in Hebræo habetur,nec in Septuaginta.De octogeſimooctauo: Magnus & horrẽdus.
Pro quo in Græco inueniſſe uos dicitis, μέγας καὶ φοβερὸς, quod ſignificat terribilis,timẽ/
dus, & formidandus. Ego puto idipſum ſignificare horrendum, non uti uulgus exiſtimat,
deſpiciendum & ſqualidum, ſecundum illud Vergilij: Mihi frigidus horror membra qua/
tit: Et, horror ubiq; animo, ſimul ipſa ſilentia terrent: Et, monſtrum horrendum ingens, &
multa his ſimilia. In eodem: Tunc locutus es in uiſione ſanctis tuis. Pro quo in Græco uos
inueniſſe dicitis, τότε ἐλάλησας ἐν ὁράσει τοῖς υἱοῖς σου, id eſt, tunc locutus es in uiſione fi/
lijs tuis. Sed ſciendum eſt quod in Hebræo לַחֲסִידֶיךָ lahaſidecho habetur, quod omnes,
τοῖς ἁγίοις σου, id eſt,ſanctis tuis,tranſtulerunt.Et ſola Sexta æditio,prophetis tuis,interpre
tata eſt,ſenſum magis quàm uerba exprimens.Et in καινῇ tantum pro ſanctis,filios reperi.
In eodem: Tu uero repuliſti & deſpexiſti.Pro quo in Græco σὺ δὲ ἀπώσω καὶ ἐξουδένω/
σας, inueniſſe uos dicitis. Vnius literæ mutatio,quantum uobis fecit errorem? Non enim re
ſpexiſti,ſed deſpexiſti,& pro nihilo duxiſti, interpretati ſumus,niſi forte ἐξουδενώσας, non
putatis transferendum deſpexiſti:ſed ſecundum diſertiſſimum iſtius temporis interpretem,
nullificaſti,ſeu annihilaſti,uel annullaſti,uel uilificaſti,& ſi qua alia poſſunt inueniri apud im
peritos portenta uerborum. De octogeſimonono:A ſeculo uſq; in ſeculum tu es deus,&
dicitis quod in Græco non ſit, deus, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ, id eſt, à ſeculo
& uſq; in ſeculum tu es,quod apud eos deeſſe,manifeſtum eſt.Nam & Hebraica ueritas ha D
bet, & omnes alij interpretes, & Septuaginta ſimiliter tranſtulerunt, ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, καὶ ἕως
τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ ὁ θεός, quod Hebraice dicitur, מֵעוֹלָם וְעַד עוֹלָם אַתָּה אֵל meolã uead olam
atha el. In eodem: Quoniam ſuperuenit manſuetudo,& corripiemur. In Græco uos dici/
tis inueniſſe, ὅτι ἐπῆλθε πραότης ἐφ' ἡμᾶς καὶ παιδευθησόμεθα, id eſt,quoniam ſuperuenit
ſuper nos manſuetudo,& inſtruemur.Sed hoc ſuperfluum eſt. De nonageſimo:Dicet do
mino ſuſceptor meus es tu.Et dicitis quod in Græco,es,non habeatur.Ego uobis amplius di
cam,quod apud hebræos nec es habeatur, nec tu. Sed apud Septuaginta, & apud Latinos
pro ἐνφωνίαν, & uerborum cõſequentia poſitum ſit. De nonageſimotertio:Beatus homo,
quem tu erudieris domine: dicitis in Græco non eſſe, tu, μακάριος ἄνθρωπος ὃν ἂν παι/
δεύσῃς κύριε, id eſt,beatus homo quem quidem erudieris domine: & uerum eſt,ſed apud
Latinos propter ἐνφωνίαν,id eſt,conſonantiam poſitum eſt.Si enim dicamus,beatus homo
quem erudieris domine,compoſitionis elegantiam non habebit. Sed quando dicitur,domi
ne,& apoſtropha fit ad dominum,nihil nocet ſenſui ſi ponitur &,tu. In eodem:Et in ma/
licia eorum diſperdet eos.In Græco dicitis nõ eſſe præpoſitionem,in,ſed legi:malicia eorum
diſperdet.Sciendum autem quod & in Hebræo & in cũctis interpretibus poſitum ſit, κατὰ
τὴν πονηρίαν αὐτῶν ἀφανιεῖ αὐτοὺς κύριος ὁ θεὸς, id eſt, in malicia eorum diſperdet eos do
minus deus. Si autem uoluerimus legere,malicia eorũ diſperdet,id quod in Septuaginta ſe/
quitur in fine uerſiculi,eos,& ſuperfluum erit & uitioſum.De nonageſimoſeptimo:Recorda
tus eſt miſericordię ſuæ,pro quo in Græco inueniſſe uos dicitis,ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ
ἰακώβ, id eſt,recordatus eſt miſericordię ſuæ Iacob,ſed hic,Iacob,nomen ſuperfluum eſt.
De centeſimo:Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum. Pro quo in Græco inueniſ/
ſe uos dicitis,οἱ ὀφθαλμοί μου ἐπὶ τοὺς πιστοὺς τῆς γῆς, τοῦ συγκαθεῖσθαι αὐτοὺς μετ' ἐμοῦ, id eſt:
oculi mei in fideles terræ, conſidere ipſos mecum. Quis non talem fugiat interpretationẽ,ut
uerbum ad uerbum exprimens,dicat,conſidere ipſos cum me? De centeſimoprimo: Vigi/
laui & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto.Et dicitis inueniſſe uos in Græco, ἐπὶ δώμα
τος,

A τῶ, quòd antiqui codices Latinorum interpretati ſunt,in ædificio. Δῶμα, in orientalibus prouinciis ipſum dicitur, quod apud Latinos tectū: in Palæſtina enim & Aegypto, uel ubi ſcripti ſunt diuini libri,uel interpretati ſunt,nō habent in tectis culmina,ſed domata,quę Romæ uel ſolaria,uel meniana uocant,id eſt,plana tecta, quæ tranſuerſis trabibus ſuſtentātur. Deniq; & in actis apoſtolorum,Petrus quādo aſcendit in doma, in tectū ædificij aſcendiſſe credendus eſt.Et quando præcipitur nobis,ut faciamus domati noſtro coronam,hoc præcipitur,ut in tecto faciamus per circuitum quaſdam eminentias,ne facilis in præceps lapſus ſit. Et in euāgelio: Quæ,inquit,auditis in aure,dicetis ſup domata,id eſt ſuper tecta.Et in Eſaia. Quid uobis eſt quod omnes aſcēdiſtis ſuper tecta uana? Et multa iſtiuſmodi. In eodem. Factus ſum ſicut nycticorax in domicilio:quod ſimiliter in Græco habetur δῶμα, & quæritis quid ſignificet nycticorax apud Latinos. In Hebræo pro nycticorace uerbū chos כּוֹס ſcriptum eſt:quod Aquila & Septuaginta & Theodotion & Quinta æditio nycticoracē interpretati ſunt,Symmachus uero upupam: Sexta æditio noctuā, quod & nos magis ſequimur.Deniq; ubi apud nos & Græcos legitur,factus ſum ſicut nycticorax in domicilio:apud Hebræos dicitur,factus ſum ſicut noctua in ruinoſis. Pleriq; bubonem contentioſe ſignificare putant. In eodem. A facie iræ indignationis tuæ. Pro quo in Græco inueniſſe uos dicitis, ἀπὸ προσώπου τῆς ὀργῆς ϭου & τοῦ θυμοῦ ϭου, id eſt,à facie iræ tuæ,& indignationis tuæ: cum manifeſtum ſit quod apud Hebræos & apud Septuaginta interpretes ſic habeatur, ἀπὸ προσώπου τῆς ὀργῆς & τοῦ θυμοῦ ϭου. In eodem. Quoniam placuerunt ſeruis tuis lapides eius:& terræ eius miſerebuntur.Pro terra,aphar עָפָר in Hebræo poſitum eſt,quod omnes τὸν χοῦν, tranſtulerunt : & poteſt tam puluis quàm humus, id eſt terra interpretari, In Græco ſic legitur, ὅτι ἐυδόκησαν οἱ δοῦλοι ϭου τοὺς λίθους αὐτῆς, & τὸν χοῦν αὐτῆς οἰκτειρήσουσι, id eſt: quoniam probauerunt ſerui tui lapides eius,& pulueris eius miſerebuntur.

B De centeſimoſecundo. Non in perpetuum iraſcetur.Pro quo in Græco inueniſſe uos dicitis, ἐκ εἰς τέλος ὀργισθήσεῖ, id eſt non in finem iraſcetur: ſed uerbum Hebraicum nezah נֵצַח, & perpetuum & finis & uictoria intelligitur , pro locorum qualitate . De centeſimotertio.Qui facis angelos tuos ſpiritus.Pro quo in Græco uos inueniſſe dicitis,ὁ ποιῶν ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα, id eſt,qui facit angelos ſuos ſpiritus.A quibus breuiter quærite: quomodo cum ad deum ſermo ſit,quaſi ad alium loquens propheta repente mutetur: maximę cum ſic incipiat:Domine deus meus,magnificatus es uehementer,confeſſionem & decorem induiſti: Et qui tegis aquis ſuperiora eius: id eſt, cœli . Qui ponis nubes aſcenſum tuum:qui ambulas ſuper pennas uentorum:& ſtatim ſequatur:Qui facis angelos tuos ſpiritus:& miniſtros tuos ignem urentem.Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam,Et poſt paululum. Ab increpatione tua fugient: & à uoce tonitrui tui formidabūt,& in loco quem fundaſti eis. Qui emittis fontes in conuallibus,& illud,Vt educas panem de terra.Si ergo omnia hæc ad ſecundam perſonam ſunt, id eſt ad deum, quomodo in uno uerſiculo, tertia perſona ſubito & extra ordinem inducitur? In eodem.A uoce tonitrui tui formidabunt:dicitis,tui,non haberi in Latino , cum in Græco ſit, ἀπὸ φωνῆς βροντῆς ϭου δφλιάϭουσιν. habetur & in Hebræo tonitrui tui , & miror quomodo apud Latinos errore ſcriptorum ſubtractum ſit.

In eodem.Hoc mare magnum & ſpacioſum manibus, & dicitis in Græco,manibus, non haberi: & ego noui, αὕτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη & ἐυρύχωρος, id eſt, hoc mare magnum & ſpacioſum:ſed ex Hebraica & Theodotionis æditione in Septuaginta ſub aſteriſco additum eſt. Deniq; & in Hebræo ita ſcriptum eſt , zeh haiom godol urehab iadaim, זֶה הַיָּם גָּדוֹל וּרְחַב יָדַיִם,quod Aquila ſic interpretatus eſt ἐυρύχωρος χερσὶν,& omnes interpretes,& hoc ſecundū Hebraicā dicitur proprietatē μεταφορικῶς, quod quaſi expanſas manus habeat,& in ſe cuncta ſuſcipiat. In eodem: Vt educas panē de terra.Pro quo inueniſſe uos dicitis, ut educat , ſed non poteſt aliud ad ipſum , aliud ad alium de ipſo dici: aut omnia quaſi ad deū loquebatur propheta, aut omnia ad aliū de eo referebat . Cum aūt pleraq; ad ipſum dirigantur,& ea quæ ambigua ſunt,ad ipſius perſonam redigenda ſunt. In Græco ſic

legitur, τοῦ ἐξαγαγεῖν ἄρτον ἐκ τῆς γῆς, id est,ad educēdū panē è terra. In eodem:Herodij c
domus dux est eorum.Pro Herodio quod in Hebraico dicitur hasida חֲסִידָה Symmachus
ἐλατῖνον, id est,miluum interpretatus est.Deniq; & nos ita uertimus in Latinum. Ibi aues ni/
dificabunt,milui abies domus est, quod scilicet semper in excelsis & arduis arboribus nidos
facere consueuerit.Vnde & Sexta æditio manifestius interpretata est,miluo cupressus ad ni
dificandum. Pro abietibus autem & cupressis in Hebræo ponitur beroſim בְּרוֹשִׁים, quod
magis abietes q̄ cupressos significat. In eodem:Petra refugium herinacijs.Pro quo in He
bræo positum est sephannim שְׂפַנִּים & omnes χοιρογυλίοις uoce simili transtulerunt. So
li septuaginta lepores interpretati sunt, τοῖς λαγωοῖς, id est,petra refugium leporibus. Sci/
endum est autem animal esse non maius heritio,habens similitudinem muris & ursi. Vnde
& in Palæstina ἀρκτομῦς dicitur, & magna est in istis regionibus huius generis abundan/
tia, semperq; in cauernis petrarum & terræ foueis habitare consueuerunt. In centesimo
quarto.Edidit terra eorum ranas.Pro quo in Græco, ἐξέβρυσεν ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους, uos
legisse dicitis,quod potest ita interpretari, ebulliuit terra eorū ranas. Sed & in hoc nulla est
in sensu mutatio, & nos antiquam interpretationem sequentes, quod non nocebat, mutare
noluimus. In eodem.Et contriuit lignum finium eorum. Pro quo in Græco uos inuenisse
dicitis, συνέτριψε πᾶν ξύλον ὁρίου αὐτῶν, id est, contriuit omne lignum finis eorum. Sed
& hoc additum est & superfluum. In eodem. Quoniam memor fuit uerbi sancti sui quod
habuit ad Abraham puerum suum. Pro quo in Græco uos legisse dicitis, ὃν διέθετο, id est,
quod disposuit. Ita em̄ & in Hebræo & apud Septuaginta habetur interpretes, ὅτι ἐμνήσθη
τοῦ λόγου τοῦ ἁγίου αὐτοῦ τοῦ πρὸς ἀβραὰμ τὸν δοῦλον αὐτοῦ. Ergo quod in Græco dicitur,ὃν διέ/
θετο, in hoc loco,& superfluum est & radendum. De centesimoquinto.Confitemini domi
no quoniā bonus.Pro quo in Græco uos legisse dicitis,ὅτι χρηστὸς,id est,quoniā suauis.Sed
sciēdum est quod χρηστὸς in utile,& in bonum & suaue uerti potest.Deniq; & in Hebraico
scriptum est chi tob,כִּי טוֹב,quod omnes uoce simili transtulerunt ὅτι χρηστὸς, id est,quia bo D
nus.Ex quo perspicuū est,quod χρηστὸς bonus intelligatur. In eodem.Non fuerunt memo
res multitudinis misericordiæ tuæ:dicitis quod in Gręco inueneritis,τὴν ὃτι ἐμνήσθησαν,id est,
& non fuerunt memores, & coniunctio superflua est. In eodem.Et iritauerunt ascenden/
tes in mare,mare rubrum.Pro quo in Græco inuenisse uos dicitis,καὶ παρεπίκραναν, & puta
tis uerbum è uerbo deberi transferri,& amaricauerūt, sed hęc interpretatio annullationi con
similis est,siue annihilationi.Legite Ezechielem,& inuenietis παραπικρασμὸν iritationem &
exacerbationem semper expressum:ubi dicitur, ὀικῷ παραπικραίνουσα, id est domus exa/
sperans.In eodem.Et uidit cum tribularentur,& audiuit orationem eorum (in Græco uos le
gisse dicitis καὶ ἔδε κύριος,id est,& uidit dominus)qcquid extra hoc in Græco inuenisse uos
dicitis,superfluum est.De centesimosexto.Et statuit procellam eius in auram,& siluerūt flu/
ctus eius.Hoc ergo quod pro isto in Græco inuenisse uos dicitis, καὶ ἐπέταξε τῇ καταιγίδι
καὶ ἔστη εἰς αὔραν, id est,& constituit procellæ,& statuit in auram,superfluum est.In eodē. Et
deduxerunt eos in portum uoluntatis eorum,pro quo dicitis uos inuenisse, ἐπὶ λιμένα θελή/
ματος αὐτῶν,id est,in portū uoluntatis suæ,sed in Hebræo nō habetur hephzi חֶפְצִי, quod
uoluntatis suæ significat,sed hephzam חֶפְצָם,quod uoluntatis eorū sonat. De centesimose
ptimo,in Gręco dicitis esse ἐξεγέρθητι ἡ δόξα μου, id est,exurge gloria mea,quod dicitis in La
tino nō esse,recte in isto psalmo nō habetur,quia nec apud Hebręos,nec apud ullū interpre
tum reperitur,sed habetur in quinquagesimosexto psalmo.Exurge gloria mea,exurge psal/
terium & cithara:exurgā diluculo.De quo mihi uidetur à quodā in istum locum esse transla
tum. In eodem. Mihi alienigenæ amici facti sunt. Pro quo in Græco inuenisse uos dicitis,
ὑπετάγησαν,hoc est,subditi sunt.Sed hoc in quinquagesimonono psalmo scriptū est,mihi
alienigenæ subditi sunt,in præsenti aūt ita apud oēs inueniemus trāslatores, ἐμοὶ ἀλλόφυλοι
ἐφίλωσαν,id est,amici facti sunt,quod Hebraice dicit eth roa אֶת רוֹעַ. De cēteſimonono.
Virgā uirtutis tuæ emittet dominus ex Siō,dicitis uos in Gręcis codicibus nō legisse,uirtutis

tuæ

A tuæ, ῥάβδον δυνάμεως ἐξαποστελεῖ σοι κύριος, id est,uirgã uirtutis emittet tibi dominus ex Sion:quod manifeste & in Hebræo & in Septuaginta interpretibus habetur. In eodem: Dominare in medio inimicorum tuorum: dicitis in Græco legi, καὶ κατακυρίευε, id est,& dominare:sed hoc nec in Hebræo habetur:nec apud Septuaginta,& superfluum est. De centesimodecimo.Confitebor tibi domine in toto corde. Sed & hoc superfluum est, quod in Græco uos inuenisse dicitis, ἐν ὅλῃ καρδίᾳ μου, id est,in toto corde meo. De centesimo tertiodecimo. Deus autem noster in cœlo: pro quo in Græco legisse uos dicitis, ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, id est, in cœlo & in terra,sed & hoc superfluum est. De centesimo quarto decimo.Et in diebus meis inuocabo te:dicitis quod in Græco nõ sit,te:& bene:de uestris quoque codicibus radendũ est. In ipso.Placebo domino in regione uiuorũ.Pro quo in Græco legisse uos dicitis, εὐαρεστήσω ἐνώπιον κυρίου, id est,placebo in conspectu domini,sed hoc superfluum est. In cẽtesimo decimoseptimo.In nomine domini quia ultus sum in eos:dicitis, quia,in Græcis codicibus non inueniri, καὶ τῷ ὀνόματι κυρίου ἠμυνάμην αὐτούς, id est,in nomine domini ultus sum eos,sed in Latinis sub asteriſco legendũ est. De centesimo decimo octauo,Et meditabar in mandatis tuis,quæ dilexi:in Græco uos legisse dicitis: uehementer additũ, ἃς ἠγάπησα σφόδρα, id est,quas dilexi uehementer, sed hoc superfluũ est. In eodem.Et leuaui manus meas ad mandata quæ dilexi, in Græco uos legisse dicitis, πρὸς τὰς ἐντολάς σου, id est,ad mandata tua:sed & hoc superfluũ est. In eodẽ. Cogitaui uias meas: in Græco uos legisse dicitis,διελογισάμην τὰς ὁδούς σου,id est,cogitaui uias tuas:sed hoc superfluũ est,& rectius uias meas legitur. In eodẽ.Et conuerti pedes meos in testimonia tua: in Græco legisse uos dicitis,ἠπέστρεψα,id est,& auerti.Sed & hoc superfluũ est. In eodem Ego aũt in toto corde scrutabor mandata tua,in Græco,ἐν ὅλῃ καρδίᾳ μου,id est,in toto corde meo,uos legisse dicitis:sed hic,meo,superfluũ est. In eodẽ.Anima mea in manibus meis
B semper:& legẽ tuã non sum oblitus.Pro quo in Græco legisse uos dicitis,ἐν ταῖς χερσί σου, id est,anima mea in manibus tuis semper.Sed sciendũ est & apud Hebræos & apud Septuaginta,& apud omes alios interpretes scriptũ esse in manibus meis,& nõ in manib.tuis, quod Hebraice dicitur bechafai בְּכַפַּי:& omnes apud Græcos ecclesiastici interpretes istum locũ sic edisserũt:& est breuiter hic sensus: Quotidie periclitor, & quasi in manibus meis sanguinem meũ porto:& tamen legem tuã non obliuiscor. In eodem.Exitus aquarũ deduxerunt oculi mei:quia non custodierunt legem tuam. Pro quo in Græco legisse uos dicitis:quia nõ custodiui legem tuam:sed hoc superfluum est:quia & in Hebræo legitur:Riui aquarum fluebant de oculis meis:quia non custodierunt legem tuam. In eodem.Pronunciabit lingua mea eloquium tuum:pro quo nunciabit in Græco φθέγξεται uos legisse dixistis,quod uerbum siue dicas pronunciabit siue effabitur siue loquetur, idipsum significat. Deniq; & nos de Hebræo ita uertimus: Loquetur lingua mea sermonem tuum. De centesimo decimonono, Domine libera animam meam à labijs iniquis,à lingua dolosa: in Græco legisse uos dicitis, & à lingua dolosa. & ergo superfluum est. De centesimo uigesimosexto.Beatus uir qui implebit desiderium suum ex ipsis: & in Græco dicitis, uir non haberi, μακάριος ὃς πλη-ρώσει, id est, beatus qui implebit: quod manifeste in Hebræo & in Septuaginta interpretibus continetur. De centesimo uigesimonono. Propter legem tuam sustinui te domine, dicitis in Græco uos legisse, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, id est,propter nomen tuum. Et nos confitemur plura exemplaria sic reperiri. Sed quia ueritati studemus, id quod in Hebræo sit, simpliciter debemus dicere: Pro nomine enim siue lege, apud eos legitur thira, quod Aquila interpretatus est φόβον, hoc est timorem:Symmachus & Theodotio νόμον, id est legem,putantes thora, propter literam iod י & uau ו, similitudinem & formam, quæ tantum magnitudine distinguuntur.Quinta æditio,terrorem interpretata est.Sexta,uerbum.

De cẽtesimo tricesimoprimo.Sicut iurauit domino,uotum uouit deo Iacob.Prò eo quod nos interpretati sumus,uotum uouit,in Græcõ ἤυξατο legisse uos dicitis, & putatis interpretari debuisse, orauit deum: sed hoc male: nam εὐχὴ pro locorum qualitate, & orationem

&

& uotum ſignificat, ſecundum illud: Redde domino uota tua: id eſt τὰς εὐχάς σου. De centeſimo triceſimoquinto. Qui fecit luminaria magna: dicitis quia in Græco inueneritis τῷ ποιήσαντι φῶτα μεγάλα μόνῳ, id eſt, qui fecit luminaria magna ſolus. Sed hoc de ſuperiori uerſiculo eſt: ubi legimus: Qui fecit mirabilia magna ſolus, ibi ergo legendum eſt: & hic quaſi ſuperfluum non ſcribendum. De centeſimo triceſimoſeptimo. Quoniam magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum, in Græco reperiſſe uos dicitis ἐπὶ πάντας, id eſt, ſuper omnes, ſed in Septuaginta legitur, ὅτι ἐμεγάλωσας ἐπὶ πᾶν τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου, ſicut & nos in Latinum uertimus. Cæterum apud Hebræos ita eſſe cognoſcite. Quoniam magnificaſti ſuper omne nomẽ uerbum tuum. Iuxta æditionem autem Latinam hic ſenſus eſt: Quoniam magnificaſti ſuper omne nomen: hoc eſt, quod in cœlo & in terra dici poteſt ſanctum, filium tuum. In centeſimo triceſimooctauo: pro eo quod eſt, quia non eſt ſermo in lingua mea: uos in Græco inueniſſe dicitis, ὅτι οὐκ ἔστι δόλος ἐν γλώσσῃ μου, id eſt, quia non eſt dolus in lingua mea: quod ſolum Sexta æditio interpretata eſt. Cæterum & apud Septuaginta, & apud omnes interpretes, & ipſum Hebraicum, uel λαλιὰν, uel λόγον, id eſt eloquium & uerbum, ſcriptũ habet: deniq; Hebraice dicitur milla מִלָּה. In centeſimo triceſimo nono. Funes extenderunt in laqueum. Pro quo in Græco inueniſſe uos dicitis, καὶ σχοινίοις ἐτείναν παγίδα τοῖς ποσί μου, id eſt, & funibus extenderunt laqueum pedibus meis: ſed in hoc loco ſuperfluum eſt. In eodem, pro eo quod eſt: Habitabunt recti cum uultu tuo: in Græco uos inueniſſe dicitis, καὶ κατοικήσουσιν, id eſt, & habitabunt recti cum uultu tuo, ſed hic, coniunctio &, ſuperflua eſt. In centeſimo quadrageſimo. Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. Pro quo in Græco legiſſe uos dicitis, διεσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ αὐτῶν παρὰ τὸν ᾅδην, id eſt: Diſſipata ſunt oſſa eorum ſecus infernum, ſed & hoc ſuperfluum eſt. In centeſimo quadrageſimoſexto: Nec in tibijs uiri beneplacitum erit ei: pro ei, domino legiſſe uos dicitis: quod non habetur in Græco, οὐδὲ ἐν ταῖς κνήμαις τοῦ ἀνδρὸς εὐδοκεῖ, id eſt: neq; in tibijs uiri beneplacitum eſt. De eo autem quod & uos in fine ſchedulæ quæritis, & ſanctus filius meus Auitus frequenter efflagitat, quomodo Græca interpretanda ſint uerba: breuiter annotaui. Neomenia, menſis exordium eſt, quod nos ſecundum latinæ linguæ proprietatem, kalendas poſſumus dicere. Verum quia apud Hebræos menſis ſecundum lunæ curſum ſupputatur, & apud Græcos μὴν dicitur, ἀπὸ τῆς μήνης, νεομηνία quaſi luna noua appellatur. ἔρημος autem deſertum uel ſolitudinem ſignificat. Thronus uel ſedem uel ſolium. νυκτικόραξ, ut diximus noctuam. Cœnomyia, non ut Latini interpretati ſunt, muſca canina dicitur per y Græcam literam: ſed iuxta Hebraicam intelligẽtiam per œ dipthongon debet ſcribi: ut ſit κοινομυῖα, id eſt omne genus muſcarum, ſed Aquila παμμυῖαν, id eſt omnimodam muſcam interpretatus eſt. λαξευτήριον pro quo Latinus aſciam uertit: nos genus ferramenti interpretati ſumus, quo lapides dolantur. Deniq; ex Hebræo uertentes ita diximus: Et nunc ſculpturas eius pariter bipenni & dolatorijs deraſerunt. λαξευτήριον ergo dolatorium dici poteſt.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

De decem myſticis uocabulis, quibus apud Hebræos deſignatur deus. Nonnihil ſubolet, hoc fragmentum eſſe ex commentario quopiam.

HIERONYMVS MARCELLAE

NOnageſimum pſalmum legens, in eo loco quo ſcribitur: Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectiõe dei cœli cõmorabitur: dixerã apud Hebræos pro deo cœli eſſe poſitum, ſaddai שַׁדַּי, quod Aquila interpretatur ἄλκιμον, quod nos robuſtum & ſufficientem ad omnia perpetranda accipere poſſumus: unumq; eſſe de decem nominibus, quibus apud Hebræos deus uocatur. Ilico ſtudioſiſſime poſtulaſti, ut tibi uniuerſa nomina cum ſua interpretatione digererem. Faciam quod petiſti. Primum nomen dei eſt El אֵל, quod Septuaginta θεὸν, id eſt deum, Aquila ἐτυμολογίαν eius expri-

mens

A mens ἰσχυρόν, id est fortẽ interpretatur. Deinde Eloim אֱלֹהִים & Eloe אֱלֹהִי, quod & ipsum deus dicitur. Quartum sabaoth צְבָאוֹת, quod Septuaginta uirtutum, Aquila exercituum transtulerunt. Quintum Elion עֶלְיוֹן, quod nos excelsum dicimus. Sextum Eser eheie, אֲשֶׁר אֶהְיֶה, quod in Exodo legitur: Qui est, misit me. Septimum, Adonai אֲדֹנָי, quem nos dominum generaliter appellamus. Octauum ia יָהּ, quod in deo tãtum ponitur, & in allelu ia extrema quoq; syllaba sonat. Nonum τετραγράμματον, quod ἀνεκφώνητον, id est ineffabile putauerunt, quod his literis scribitur, Iod י, he ה, uau ו, he ה, quod quidam non intelligentes propter elementorum similitudinem, cum in Græcis libris repererint, pipi legere consueuerunt. Decimum quod superius dictum est saddai שַׁדַּי, & in Ezechiel interpretatũ ponitur. Scire autem debemus quod elohim communis numeri sit, quod & unus deus sic uocetur & plures, ad quam similitudinem cœlũ quoq; appellatur & cœli, id est, samaim שָׁמַיִם Vnde & sæpe interpretes uariant, cuius rei exemplũ nos in lingua nostra habere possumus, Athenas, Thebas, Salonas.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Quid sit Hebræis Allelu ia, Amen, Maran atha, quo usus est Paulus, & Ephod, quæ recepta sunt etiam in ecclesijs Latinorum, neq; translata sunt ab interpretibus.

HIERONYMVS MARCELLAE

NVper cum pariter essemus, non per epistolam, ut ante consueueras, sed præsens ipsa quæsisti, quid ea uerba, quæ ex Hebræo in Latinum non habemus expressa, apud suos sonarent, curq; sine interpretatione sint posita: ut est illud Allelu ia, Amen, Maran atha, Ephod, & cætera, quæ in scripturis respersa memorasti. Ad quod nos quia dictandi angustia coartamur, breuiter respondemus, siue Septua-
B ginta interpretes, siue apostolos id curasse, ut quoniam prima ecclesia ex Iudæis fuerat congregata, nihil ad credentium scandalum innouarent, sed ita ut à paruo imbiberant traderent: postea uero quàm in uniuersas gentes euangelij dilatatus est sermo, non potuisse sermel suscepta mutari. licet & illud in libris suis, quos ἐξηγητικὰς uocant, Origenes asserat:
1 propter uernaculum linguæ uniuscuiusq; idioma, non posse ita apud alios sonare, ut apud suos dicta sunt: & multo melius esse non interpretata ponere, quàm uim eorum interpretatione tenuare. Igitur Allelu ia exprimitur, laudate dominum. Ia יָהּ quippe apud Hebræos unum de decem dei nominibus est. Et illo psalmo ubi legimus: Laudate dominum, quoniam bonus est psalmus, apud Hebræos legitur, hallelu ia chi tob sambra הַלְלוּיָהּ כִּי טוֹב זַמְּרָה
2 Amen uero Aquila πιστικῶς exprimit, quod nos fideliter possumus dicere, ductum aduerbium ex nomine fidei. Amen Septuaginta γένοιτο, id est, fiat. Vnde & in fine librorum (in quinq; siquidem uolumina, psalterium apud Hebræos diuisum est) fiat fiat transtulerunt, quod in Hebraico legitur, Amen amen, אָמֵן אָמֵן, quo scilicet ea uere dicta quæ sunt supra, confirmentur. Vnde & Paulus asserit, non posse aliquem respondere amen, id est confirmare quæ prædicata sunt, nisi intellexerit prædicationem, מָרָן אָתָא Maran atha magis Syrum est quàm Hebraicum, tametsi ex confinio utrarumq; linguarum aliquid & Hebræum sonet, & interpretetur dominus noster uenit, ut sit sensus: Si quis non amat dominum Iesum Christum, anathema sit: & illo completo deinceps inferatur, dominus noster uenit: quod superfluum sit aduersum eum odijs pertinacibus uelle contendere, quem uenisse iam constet. Vellem tibi aliquid & de diapsalmate scribere, quod apud Hebræos scribitur Sela סֶלָה, & de Ephod, & de eo quod in cuiusdam psalmi titulo habetur, Pro eieleth אַיֶּלֶת, & cæteris istiusmodi, nisi & modum epistolici characteris excederem, & tibi auiditatem magis dilatæ deberent facere quæstiones. Tritum quippe est prouerbium,
3 Vltroneas putere merces. Vnde & nos de industria dicenda reticemus, ut auidius uelis audire quæ tacita sunt.

Præcedentis

Quos Tegeticos uocant.) ἐξηγητικοὺς legendum, non Tegeticos. Exegesis enarratio. Exegeticon enarratorium. Pepistomenos.) πεπιστωμένως a participio factũ aduerbiũ, sicut ἐρρωμένως. Amen Septuaginta γένοιτο, id est fiat.) γένοιτο optantis uerbum, ut μὴ γένοιτο, abominantis. Vltroneas putere merces.) Nam suspectæ sunt emptori. Sic Horatius: Vbi largius æquo Laudat, uenales qui uult extrudere merces. 1 2 3

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Quid sit Sela, hoc est diapsalma in psalmis asscriptum, ex sententia Origenis explanatum, reiectis aliorum sententijs.

HIERONYMVS MARCELLAE.

QVæ acceperis reddenda sunt cum fœnore: sortisq; dilatio usuram parturit. De diapsalmate nostram sententiam flagitaras: epistolæ breuitatem causati sumus: & rem libri, non posse explicari literis prætexuimus. Verum quid prodest ὦν σιωπᾶν με, cum meo maior tibi cupiditas silẽtio concitetur. Itaq; ne te diutius traham: habeto pauca pro pluribus. Quidam diapsalma commutationem metri dixerunt esse: alij pausationem spiritus: nonnulli alterius sensus exordium. Sunt qui rythmi distinctionem: & quia psalmi tunc temporis iuncta uoce ad organum canebantur: cuiusdam musicæ uarietatis existiment silentium. Nobis nihil horum uidetur: cum Aquila qui uerborum Hebræorum diligẽtissimus explicator est, sela: hoc est diapsalma, quod ex samech ס, lamed ל, he ה, scribitur semper transtulerit: & inueniamus in psalmorum quoq; fine diapsalma positum: ut est illud in tertio: Dentes peccatorum cõtriuisti: Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua, sela, id est semper: Et in uigesimotertio: Quis est iste rex gloriæ: dominus uirtutum ipse est rex gloriæ, semper: & contra in psalmis multorum uersuum penitus non inueniatur: in tricesimo uidelicet sexto & septuagesimoseptimo, & in centesimodecimo octauo: rursus nonus psalmus distinguatur cantico diapsalmatis: cum utiq; sicut quibusdam uidetur, diapsalma indicium silentij esse non possit. Ex quo animaduertimus, hoc uerbum superiora pariter inferioraq; connectere, aut certe docere, sempiterna esse quæ dicta sunt: ut est illud in tertio: Multi dicunt animæ meæ, non est salus in deo suo, semper. Et rursum. Voce mea ad dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo, semper. Et in quarto: Vt quid diligitis uanitatem & quæritis mẽdacium? semper. Et alibi: Quæ dicitis in cordibus uestris, & in cubilibus uestris compungimini semper. Et in Habacuk. Deus ab austro ueniet, & sanctus de monte Pharan semper. Et infra. Iuramenta tribubus quæ locutus est semper. Scire autem debemus, apud Hebræos in fine librorum, unum è tribus solere subnecti: ut aut Amen אָמֵן scribant, aut sela סֶלָה, aut salom שָׁלוֹם, quod exprimit pacem. Vnde & Salomon pacificus dicitur. Igitur ut solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere explicit, aut feliciter, aut aliquid istiusmodi: ita & Hebræi ut quæ scripta sunt roborentur, facere solent: ut dicant amen, aut in sempiternum: aut scribenda commemorant, ut ponant sela, aut transacta feliciter protestantur, pacem subnotantes. Hæc nos de intimo Hebræorum fonte libauimus: non opinionum riuulos persequentes, neque errorum quibus totus mundus repletus est uarietate perterriti: sed cupientes & scire & docere quæ uera sunt. Quod si tibi non uidetur oneroſum quid Origenes de diapsalmate senserit, uerbũ interpretabor ad uerbũ: ut quia nouitia musta contemnis, saltem ueteris uini autoritate ducaris. Sæpe quærẽs causas cur in quibusdam psalmis interponatur diapsalma, obseruaui diligentissime in Hebræo & cũ Græco contuli: inueniq; quia ubi lingua Hebræa, sela habet, Græca uero semper, aut aliquid istiusmodi, ibi Septuaginta & Theodotion & Symmachus transtulerunt diapsalma. Neq; uero nocet exemplis affirmare quod dicimus. In septuagesimoquarto psalmo, cuius principium est: Confitebimur tibi deus, cõfitebimur, & inuocabimus nomẽ tuum: post illud, ego confirmaui columnas eius, apud Septuaginta

&

A & Theodotionem,& Symmachum eſt diapſalma:pro quo apud Aquilam, ponderaui columnas eius ſemper.In quinta autem æditione: ego ſum qui paraui columnas eius, ſemper. In ſexta uero:ego firmaui columnas eius iugiter. Porrò in Hebraico habet poſt ammudeia עַמּוּדֶיהָ quod eſt columnas eius,ſela. Et rurſum in ſeptuageſimoquinto, cuius principiū eſt: Notus in Iudæa deus:inuenimus apud Septuaginta & Theodotionem, poſt ſcutum & frameam, & bellum, diapſalma. Apud Symmachum, poſt clypeum & gladium & bellum, ſimiliter diapſalma. Pro quo Aquila, poſt clypeum & gladium, & bellum ſemper. Apud quintam æditionem,poſt ſcutum & romphæam & bellum, ſemper. In ſexta uero, poſt ſcutum & gladium & bellum, in finem. Eratq; rurſum in Hebraico poſt umilhama וּמִלְחָמָה quod eſt & bellum,ſela. Et in eodem pſalmo poſt illum locum, ut ſaluos faciat mites terræ, diapſalma: apud Symmachū ſimiliter diapſalma: & apud Aquilā, ſemper: necnon & apud quintam.In ſexta uero,in finem.Et in Hebraico erat poſt aneue erez עֲנְוֵי אֶרֶץ quod eſt mites terræ,ſela.Atq; ita cum talem uniuſcuiuſq; æditionis opinionē reperiſſemus:hæc annotauimus. Vtrū aūt cuiuſdā muſicæ cantilenæ aut rythmi immutationē qui interpretati ſunt diapſalma,ſenſerint,aliúdue intellexerint:tuo iudicio derelinquo. Hucuſq; Origenes, cuius nos maluimus in hac diſputatione duntaxat peritiā ſequi, cq; ſtultā habere ſcientiā neſcientium.

2

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 SOrtisq; dilatio.) Sors eſt principalis pecunia quæ parit uſurā. Eam quo diutius differs,hoc maior fit uſura. Quid prodeſt.) Hic locus eſt uarius & ita deprauatus,ut nō queam cōiicere.Sic autem arbitror legendum,quatenus diuinare licet ex exemplaribus miníme deprauatis. Verum quid prodeſt:ut ſubiicias hoc loco uerbum Græcum quod ſignificet obticeſcere,fortaſſis ὥσιωπᾶν, deinde ſuccedat,cum eo maior cupiditas ſilentio cōcitetur. Cuius nos maluimus.) Apparet hunc locum nonnihil deprauatum.Suſpicor ita ſcriptum fuiſſe: cuius nos maluímus in hac diſputatione duntaxat prudentem imperitiam ſequi quàm ſtultam habere ſcientiā neſcientium.

2

AD CYPRIANVM EXPLANATIO PSALMI OCTOGESIMINONI

B PRius te Cypriane presbyterorum ſtudioſiſſime, de illorum numero ſuper quibus audiuit Moyſes,elige presbyteros,quos tuipſe ſcis dignos eſſe,tantum epiſtolis noueram,& beati uiri uocabulum conſecutum,qui legem dei die ac nocte meditatur: nunc autem quia exterioris quoq; hominis nobis inuicem facta eſt cognitio, &poſt ſalutationem dulcesq; complexus,quibus ſibi amicitia copulatur,ut probes uerum eſſe quod audieras,ſtatim à me poſtulas,ut difficillimum pſalmum, qui apud Græcos & Latinos octogeſimuſnonus inſcribitur,tibi ediſſeram:non compoſita uerborū oratione plauſuq; populari, qui ſolet imperitorum aures decipere atq; palpare, ſed oratione ſimplici & eccleſiaſtici eloquij ueritate:ut ſcilicet interpretatio noſtra nō alio interprete indigeat, quod pleriſq; nimium diſertis accidere ſolet,ut maior ſit intelligentiæ difficultas in eorum explanationibus,quàm in his quæ explanare conantur: aggrediar opus difficillimum, & ſanctarum precum tuarū fultus auxilio,illius uerſiculi recordabor: Dominus dabit uerbū euangelizantibus uirtute multa. Ac primum ſciendū quod pſalmi iſtius iuxta Hebraicum titulus ſit: Oratio Moyſi uiri dei. iuxta Septuaginta: Oratio Moyſi hominis dei. Inter hominem autem & uirū quid interſit,ſancta ſcriptura nos doceat. Loquitur quinquagenarius ad Eliam:Homo dei,rex uocat te. Cui ille reſpondit:Si homo dei ego ſum, deſcendat ignis de cœlo,& comedat te & quinquaginta uiros tuos.Ad Timotheū quoq; Apoſtolus ſcribit. Tu autem homo dei hæc fuge.Porrò de uiro dei idem Apoſtolus inſtruit. Volo autē uos ſcire, quod omnis uiri caput Chriſtus eſt,caput autē mulieris uir:caput uero Chriſti deus.Iſte uir eſt,qui caput uelare nō debet,cum ſit imago & gloria dei, & quotidie Paulus loquitur: Nos autem omnes reuelata facie gloriā domini cōtemplantes,in eandem imaginem transformamur,à gloria in gloriā ſicut à domini ſpiritu.Et in alio loco.Donec perueniamus omnes in uirum perfectū,in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.Siue igitur uiri ſiue hominis appellatio,ſancto uiro competit, & ei qui uidit deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima eius:

cuius ore,creaturam mundi,eorum duntaxat quæ uisibilia sunt,cõditionem hominis,& om/ C
nis retro historiæ didicimus ueritatem, qui non solũ nobis quinq; reliquit libros, Genesim, Exodum,Leuiticũ,Numeros & Deuteronomiũ: sed undecim quoq; psalmos, ab octogesi/ monono,cuius principiũ est:Domine refugium factus es nobis: usq; ad nonagesimum no/ num,qui inscribitur,Psalmus in cõfessione. Quod autem in plerisq; codicibus nonagesimus octauus habet titulũ,psalmus Dauid:in Hebraico non habetur, hanc habẽte scriptura san/ cta cõsuetudinem,ut omnes psalmi qui cuius sint,titulũ non habẽt,his deputentur, quorum in prioribus psalmis nomina cõtinentur. Quatuor autem psalmi sunt qui habent orationis titulum:sextusdecimus,qui inscribitur,oratio Dauid,& incipit:Exaudi domine iusticiam me am. Et octogesimusquintus:Inclina domine. Et octogesimusnonus,qui nunc in manibus est: Domine refugiũ factus es nobis. Et centesimusprimus,qui titulũ habet,oratio pauperis cum anxius fuerit,& in cõspectu domini effuderit precem suam. Dauid & pauper, qui cum diues esset,pro nobis pauper factus est,refertur ad Christũ,qui sedit super pullũ asinæ: iuxta Za/ chariam,pauper atq; mansuetus. Moyses autem per quem dominus legem dedit, cuius ore audiuimus loquentẽ deum:Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrã: sta/ timq; infertur:Et fecit deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem dei fecit illum: ma/ sculum & fœminam creauit illos:ab initio cõditionis hominis usq; ad mortem & resurrectio/ nem omnia explicat,qualis creatus sit,quanto uiuat tempore,quid agat in seculo, quem fru/ ctum uitæ habeat,propter quid laboret,quò ire cõtendat. Et quoniã ipse qui hæc scribit ho/ mo est,sub persona sua de omni generis humani conditione testatur. Sunt autem qui hunc psalmũ siue orationem,ad Israeliticũ populũ referant:quomodo in solitudine offenderit de/ um atq; conciderit,& non meruerit terrã promissionis intrare: proq; patribus ingressi sint fi/ lij,& rursum placatũ expectent deũ,quod in Christi cõpleatur aduentu. Oratio iuxta gram maticos omnis sermo loquentiũ est: cuius etymologiã sic explicant. Oratio,est oris ratio. In scripturis autẽ sanctis, difficile orationem iuxta hunc sensum legimus: sed eam quæ ad pre/ D
ces & obsecrationes pertinet. Aiunt Hebræi uno psalmorũ uolumine quinq; libros cõtineri: à primo usq; ad quadragesimũ, & à quadragesimoprimo usq; ad septuagesimũprimum,& à septuagesimosecundo usq; ad octogesimumoctauũ, & ab octogesimonono qui quarti li/ bri initium est,& quem nunc differimus,usq; ad centesimumquintum. In quorũ omnium fi/ ne duplex amen positũ est,quod septuaginta transtulerũt,fiat,fiat: & à centesimosexto usq; ad finem,instar duodecim prophetarũ,qui & ipsi cum proprios libros ædiderint,unius uolu minis nomine cõtinentur. Illud autẽ quod penè prætermj,asserens inter undecim Moysi psal/ mos,etiam nonagesimumoctauũ esse,in quo positũ est:Exaltate dominum deum nostrum, & adorate scabellũ pedum eius quoniam sanctũ est: Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel in eis qui inuocãt nomen illius:uidetur nostrę sentẽtiæ cõtraire:quomodo Moysi sit,qui Samuelem nominet,quem multa post tempora fuisse cognoscimus. Cuius quæstio/ nis facilis solutio est:prophetatũ nomen esse Samuelis, qui tanti meriti fuit, ut cum Moyse poneretur in Hieremia:Si steterint Moyses & Samuel:iuxta illud exemplũ, quando homo dei loquitur in Samaria:Altare,altare,hæc dicit dominus: ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomen eius. Sciamus quoq; errare eos,qui omnes psalmos Dauid arbitrãtur, & non eorum,quorũ nominibus inscripti sunt. Vnde & hunc psalmũ uolunt sub nomine Moysi à Dauid esse cõpositum, quod scilicet legislator cõmunem humani generis offensam & cala/ mitatem,& deinde expectationem salutis, sacro ore describat. Domine habitaculũ factus es nobis,in generatione & generationem. Septuaginta. Domine refugium factus es nobis, in omni generatione & generatione. Pro habitatione & refugio in Hebraico maon מעון po nitur,quod magis habitationẽ q̃ refugiũ sonat. Narraturus aũt tristia, & genus deploratu/ rus humanũ,à laudibus dei incipit:ut quicquid postea homini accidit aduersorũ,non creato/ ris duritia,sed eius qui creatus est culpa accidisse uideat. Qui sustinet tempestatẽ, uel petræ uel tecti quærit refugiũ. Quẽ hostis persequitur,ad muros urbiũ cõfugit. Fessus uiator tam

sole

A sole quàm puluere,umbræ quærit solatiũ. Si sæuissima bestia hominis sanguinem sitiat, cupit & nititur utcũq; poterit,præsens uitare discrimen: Ita & homo à principio cõditionis suæ deo utitur adiutore:& cum illius sit gratiæ quod creatus est, illiusq; misericordiæ quod subsistit & uiuit:nihil boni operis agere potest absq; eo,qui ita concessit liberum arbitriũ, ut suam per singula opera gratiam non negaret: ne libertas arbitrij redundaret ad iniuriam conditoris,& ad eius contumaciam,qui ideo liber conditus est, ut absq; deo nihil esse se nouerit. Quod aũt dixit,in generatione & generatione,omnia significat tempora,& ante legem & in lege,& in euangelij gratia. Vnde & Apostolus dicit:Gratia salui facti estis per fidem:& hoc non ex uobis,sed ex dono dei.Et omnes epistolæ eius in salutationis principio,non prius pacem habent & sic gratiam:sed ante gratiã & sic pacem: ut donatis nobis peccatis nostris,pacem domini cõsequamur. Antecq; montes nascerentur,& parturiretur terra & orbis,à seculo usq; in seculũ tu es deus.Septuaginta: Antecq; montes firmarẽtur & fingeretur terra & orbis,à seculo & usq; in seculum tu es deus.Hunc locũ quidam praua distinctione subuertunt, maxime hi qui uolunt ante fuisse animas,cq; homo in sexti diei numero cõderetur. Ita enim legunt atq; distinguũt.Domine refugiũ factus es nobis,à generatione in generationem, priusquam montes firmarẽtur,& fingeretur terra & orbis:ut scilicet cõsequatur, à seculo & usq; in seculum tu es deus.Ita enim edisserunt. Si dominus antecq; montes firmarentur, & fingeretur terra orbisq; terrarũ,refugium fuit hominũ:ergo fuerunt animæ in cœlestibus, antecq; hominum corpora formarentur.Nos autem ut proposuimus,lectionem ita debemus distinguere.Antecq; montes firmarentur & fingeretur terra & orbis terrarum, à seculo & usq; in seculum tu es deus:ut non refugium nostrũ fuerit ante cõditionem mundi, qui necdũ eramus: sed quod deus ab ęterno usq; in æternum sit semper deus.Pro eo enim quod Latinus interpres posuit,à seculo usq; in seculum, & Hebraice dicitur וּמֵעוֹלָם וְעַד עוֹלָם rectius interpretabimur,à sempiterno usq; in sempiternũ.Simile quid & in prouerbijs ex persona sapientiæ,
B qui Christus est legitur.Dominus creauit me in initio uiarum suarũ in opera sua:ante secula fundauit me in principio,antecq; terram faceret & abyssos, priusquã produceret fontes aquarum,priusquã montes firmarentur,ante omnes colles generauit me. Nullũ autem debet uerbum creationis mouere,cum in Hebræo non sit creatio quæ dicitur bara בָּרָא sed possessio: ita enim scriptũ est,adonai kanani resith daracho יְהוָה קָנָנִי רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ quod in lingua nostra exprimitur:Dominus possedit me,initio uiarũ suarum. Inter possessionẽ autem & creationem,multa diuersitas est.Possessio significat,quod semper filius in patre, & pater in filio fuerit.Creatio autem eius qui prius non erat,cõditionis exordiũ.Potest iuxta legis Tropologiam hoc quod dicitur:Antecq; montes firmarentur,& fingeretur terra & orbis terrarũ, significare,quod antecq; animæ nostræ sublimia dogmata firmarẽtur, & terra corporis nostri fin
1 geretur siue stabiliretur à deo, & orbis terrarũ qui Hebraice dicitur thebel תֵּבֵל Græce significantius dicitur οἰκουμένη, quam nos habitatã transferre possumus,firmaretur siue stabiliretur,deus nobis semper refugiũ fuerit.Habitata est aũt anima,non deserta,quæ hospitem meretur habere deum,dicente saluatore:Ego & pater ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.Illud autem quod & Hebraicũ habet,& omnes alij interpretes: Antecq; montes nascerentur,& parturiretur terra,manifestẽ ad Tropologiã nos trahit.Neq; enim montes & terra natiuitatem parturitionemq; recipiunt,sed cõditionem. Ex quo liquido demonstratur, sanctos quoq; excelsasq; uirtutes,dei semper misericordia procreari. Conuertes hominẽ usq; ad cõtritionem,& dices,reuertimini filij Adam.Septuaginta.Ne auertas hominem in humilitatẽ,& dixisti:cõuertimini filij hominũ.Iuxta Hebraicum,quod dicitur hoc est:O deus,qui hominem cõdidisti,& ab initio eius es refugiũ & habitatio,conuertes eum usq; ad contritionem:fecisti eum atq; plasmasti,ut cõtereretur in mortem,& uas tuũ extremo uitę suæ tempore frangeretur:cui cum immineat ista cõditio,ut ortus intereat: & quãuis longo uixerit tempore,tamen fine dissoluatur extremo, quotidie ei loqueris per prophetas: Reuertimini filij Adam, qui uestra culpa offenditis deum, & de immortalibus facti estis mortales. Præci-

pientis enim noluistis audire imperium: De omni ligno quod est in paradiso comedes: de a
ligno autem scientiæ boni & mali non comedes. In quocunq; enim die gustaueris de eo,
morte morieris. Porrò illud quod Septuaginta transtulerunt: Ne auertas hominem in hu-
militatem,& dixisti,conuertimini filij hominum,hunc habet sensum.Obsecro, ut hominem
quem ad tuam imaginem & similitudinem cõdidisti, & tantũ eum honorare dignatus es,ut
de seruo filiũ nuncupares:ne eum humilies peccato perpetuo, ne super illum uigeat antiqua
sentẽtia:Terra es tu,& in terrã ibis.Tu enim nobis promisisti pœnitentiã,dicens: Nolo mor
tem peccatoris,tantũ ut conuertatur & uiuat.Tu dixisti,omnium sanctorũ tuorum eloquio:
Conuertimini(siue reuertimini)filij hominũ,ad clementissimũ patrem,qui occurrit uenienti-
bus,& signũ quod suo uitio perdiderunt offert,& stolam incorruptionis largitur antiquam.

Quia mille anni in oculis tuis,ut dies hesterna,quæ prẽterijt,transijt,ut & uigilia nocturna
siue in nocte.Qui per prophetas semper nos ad pœnitentiã prouocas,dicens:Reuertimini fi
lij hominũ,petimus (ut ante iam dixi) ne facias hominem in humilitate sempiterna retineri.
Nec enim putamus longũ esse,quod promittis, salutem nobis post tempora multa tribuen-
dam.Aeternitati cõparata,breuis est omniũ temporũ longitudo.In cõspectu enim tuo mille
anni quasi una dies reputantur. Statimq; se ipse reprehendit. Male dixi unã diem, & unius
diei spacio mille annorũ apud te longitudinẽ cõputari,cum magis debuerim dicere:unius ui-
giliæ spacium, instar habere mille annorũ. Nox in quatuor uigilias diuiditur:quæ singulæ
trium horarũ spacio supputantur.Vnde & dominus quarta uigilia ad nauigantes uenit apo
stolos. Sicut igitur una noctis uigilia cito pertransit, maxime uigiliarũ labore defessis: sic &
mille annorum spacia apud te,qui semper es, & futurus es, & fuisti,pro breuissimo tempore
computantur.Quodq; infert:Sicut dies hesterna quæ præterijt:iuxta illud Apostoli sentia-
mus quod scribit ad Hebræos. Iesus Christus heri & hodie, ipse & in sempiternũ. Ego arbi-
tror ex hoc loco & ex epistola quæ nomine Petri apostoli inscribit, mille annos pro una die z
solitos appellari:ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex milibus annorũ tan p
tum credatur subsistere:& postea uenire septenarium numerũ, & octonarium,in quo uerus
exercetur sabbatismus,& circuncisionis puritas redditur. Vnde & octo beatitudinibus bono
rum operũ præmia promittuntur.Scribit aũt Petrus hoc modo. Vnum hoc uos non præte-
reat dilectissimi,quia una dies apud deũ quasi mille anni,& mille anni quasi unus dies. Non
moratur dominus in promisso, ut quidã existimant. Percutiente te eos, somniũ erunt ma-
ne,quasi herba transiens. Mane floruit & abijt,ad uesperã conteretur & siccabitur. Septua-
ginta:Quæ pro nihilo habentur,eorũ anni erunt.Mane sicut herba transeat, mane floreat &
transeat,uespere decidat,induret & arescat.Iuxta Hebraicũ hic sensus est:Multũ conuersatio
ni cõtulit & saluti,quod omnis uita mortaliũ,quasi somniũ,ita ueloci morte cõtracta est:quę
in similitudine florũ atq; fœni, eodem penè tempore siccatur atq; deperit. Percutiente te,in-
quit,eos,id est,homines,& illo sermone cõpleto: Stulte,hac nocte repetẽt animã tuam à te:
quæ aũt præparasti cuius erunt? Omnis humana conditio somnio cõparabitur.Sicut enim
mane uirens herba,& suis floribus uernans,delectat oculos cõtemplantiũ, paulatimq; mar-
cescens,amittit pulchritudinẽ,& in fœnũ quod conterendũ est uertitur:ita omnis species ho-
minum uernat in paruulis,floret in iuuenibus,uiget in perfectæ ætatis uiris: & repente dum
nescit,incanescit caput,rugatur facies,cutis prius extenta cõtrahitur:& extremo fine quod hic
dicitur uespere,id est,senectute,uix moueri potest:ita ut nõ cognoscatur quis prior fuerit,sed
penè in aliũ cõmutetur.Quid loquimur de infantiæ temporibus usq; ad extremã & decrepi-
tam senectutẽ,cum hoc & languor faciat, & inediæ mœror,ut uultus prius pulcherrimus fœ
minarum,ad tantã transeat fœditatẽ,ut amor in odia cõmutetur. Super hac cõditione mor-
talium & Esaias loquit: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Fœnũ aruit,
flos decidit. Iuxta Septuaginta quoq; similiter explicandũ est. Omne quod in seculo lon-
gum uidetur,apud te deus breue est.Dies enim & anni quibus humana uita contracta est,si
cõparentur æternitati,reputabũtur pro nihilo. Sicut enim herba mane creuit, floruit & sicca-

tur

A tur, ad ueſperamq́ indureſcit & deperit:ita erit omnis hominũ pulchritudo. Conſumpti enim ſumus in furore tuo,& in indignatione tua cõturbati ſumus.Septuaginta.Quia defeci/mus in ira tua,& in furore tuo turbati ſumus.Pro eo quod nos diximus,turbati ſumus,Sym machus & Aquila tranſtulerunt,accelerauimus.Breuitatem autem uitæ ſignificat humanæ. Quodq́ intulit:in ira tua & in furore tuo:ſentẽtiæ dei oſtendit perſeuerantiã,cui omnes ho/mines ſubiacemus,illi uidelicet: Terra es,& in terrã ibis. Pulchre aũt non (ut in Septuaginta habetur)turbati ſumus,ſed iuxta Hebraicũ,accelerauimus dicitur:ut q̃uis ætas hominũ lon/ga uideatur,tamen cõparatione æternitatis breuis ſit:quod & illuſtris Poeta teſtatur,dicens:
5 Sed fugit interea,fugit irreparabile tempus.Et iterum. Rhebe diu (res ſi qua diu mortalibus ulla eſt) Viximus. Poſuiſti iniquitates noſtras coràm te:negligentias noſtras in luce uul/tus tui.Septuaginta.Poſuiſti iniquitates noſtras in cõſpectu tuo,ſeculũ noſtrum in illumina tione uultus tui. Vbi nos iuxta Hebraicũ & Symmachum poſuimus, negligentias noſtras, pro quo Septuaginta ſeculũ trãſtulerũt,in Hebraico ſcriptũ eſt alumenu עַלְמֵינוּ quod quin ta ęditio interpretatur adoleſcentiã,Aquila ἀγνοήματα, & nos in linguã noſtrã uertere poſſu mus,errores ſiue ignorãtias.Vnde dixit in alio loco: Delicta iuuentutis meæ,& ignorantias meas ne memineris.Et iterũ:Delicta quis intelligit?Et ab occultis meis munda me domine:& ab alienis parce ſeruo tuo.Aliena enim nobis ſunt uitia,quæ ſępe uoluntate,interdũ ignoran tia & errore cõmittimus:& tamen cum nõ ſit uoluntas in crimine,error in culpa eſt.Miror au tem cur Septuaginta uoluerint pro alumenu,id eſt adoleſcẽtia,negligentĳs & erroribus ſiue ignorationibus ſeculũ dicere: niſi fortè,quod in ſeculo & in uitæ huius tempore uitia cõmit/tantur.Quodq́ intulit:in illuminatione ſiue in luce uultus tui,hũc habet ſenſum:Nihil te no ſtrorum latuit peccatorũ:ſecreta quoq; noſtra tuus oculus inſpexit:iuxta illud quod ſcriptum eſt:Tenebrę nõ abſcondẽtur à te.Et:ſcrutans corda & renes deus.Et iterũ:Sicut tenebrę eius, ita & lumẽ eius.Homo enim uidet in facie,deus aũt in corde. Omnes enim dies noſtri tran
B ſierunt,& in furore tuo cõſumpſimus annos noſtros.quaſi in ſermone loquẽs. Septuaginta.
4 Quoniã omnes dies noſtri defecerũt,& in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea medi/tati ſunt.Breuitatẽ humanę uitæ,quæ ſentẽtiæ dei hucuſq; ſubiecta eſt: & quã in priori uerſi culo ſomnio cõparauit,dicens:Percutiente te eos,ſomniũ erunt:hunc ſermoni loquentiũ com parat:ut quomodo ſermo qui in ore uerſatur dũ profertur,intercipit,& eſſe deſiſtit:ſic & om nis uita noſtra pertranſeat atq; deſiſtat: & hoc in ira & in furore dei,cui merito ſubiacemus, uiuente in nobis(ut ſupra diximus)ſentẽtia dei.Quæ ſit aũt ira & furor dei,crebrius diximus: non quod deus ulciſcatur iratus,ſed quod patientibus pœnas iratus eſſe uideat.Quod enim in nos ex perturbatione deſcẽdit,in illo ex iudicio & ex ueritate eſt.Pro ſermone loquẽtis,Se ptuaginta meditationẽ araneæ tranſtulerũt. Quomodo enim loquentis ſermo præteruolat: ita & opus araneæ incaſſum texitur. De quo ſuper perſona hæreticorũ ſcriptum eſt in Eſaia: Telã araneæ texũt,quæ parua & leuia poteſt capere animalia:ut muſcas, culices & cętera hu iuſmodi:à fortioribus aũt rumpitur,inſtar leuiũ in eccleſia ſimpliciumq́, qui eorũ decipiũtur erroribus,cum uiros in fidei ueritate robuſtos,nõ ualeãt obtinere. Dies annorũ noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni:ſi aũt multũ,octoginta anni.& quod amplius eſt,labor & dolor.Se ptuaginta.Dies annorũ noſtrorũ in ipſis ſeptuaginta anni.Si aũt in potentatib.octoginta an ni:& amplius eorũ labor & dolor.Pro eo quod nos poſuimus,in ipſis,& in Hebrẽo habetur bahem בָּהֶם Symmachus ſignificantius tranſtulit ὁλόκληροι, quod magis ad ſenſum q̃ ad uerbũ transferre poſſumus,uniuerſi.Quicquid igitur uiuimus, & in quo delectabilis eſt uita mortaliũ,ſeptuaginta annorũ ſpacio cõprehenditur.Sin autem multũ, & ut interpretatus eſt Symmachus,cõtra opinionẽ,octoginta ſunt anni:quicquid ſupra fuerit,morbis & infirmita/te tranſigitur,quæ eſt ſocia ſenectutis,caligãtibus oculis,dolentibus uel cadentibus,prius du
5 riſſimis dentibus,quod plenius diuinus ſermo in Eccleſiaſte deſcribit. Venient dies maliciæ, & in quibus dicemus,nõ eſt nobis uoluntas:quãdo obſcurabitur ſol & luna, & ſtellæ,& con/uertentur nubes poſt pluuiã,in die qua mouebũtur cuſtodes domus,& ſubuertentur uiri uir

tutis,ceſſabuntq; molentes,quia paucæ factę ſunt:& obſcurabũtur quæ uident in foraminibus,& claudentur ianuæ in foro, in infirmitate uocis molentis, & exurget ad uocem auis,& humiliantur omnes filiæ cantici,& quidẽ ab alto aſpicient,& pauor in uia, & florebit amygdalum,& incraſſabitur locuſta,& ſcindetur capparis,quoniã abibit homo in domũ æternitatis ſuæ:& gyrabunt in foro qui plangũt,quoaduſq; non pulſetur funiculus argenti, & cõteratur ornamentũ auri,& confringatur hydria ad fontem,& impediatur rota in lacu,& cõuertatur puluis in terrã ſicut fuit,& ſpiritus reuertatur ad dominũ qui dedit eum. Vanitas uanitatum dicit Eccleſiaſtes,& uniuerſa uanitas. Quæ omnia humanæ uitæ & maxime ſenectutis miſerias cõprehendũt,& quem ſenſum habeãt,in ſuo loco diſſeruimus.Sunt qui iſtũ locum Allegorice interpretantes,ad ſabbati circunciſionisq; myſteriũ referunt,quod primũ requieſcamus in lege,& poſtea ueræ circũciſionis in euangelio ſacramẽta nos teneant,admonentes & illud: Da partẽ ſeptem, & da partem octo,& ſeptuaginta milia,& octoginta milia hominum multitudines,à quibus templũ ſub Solomone conſtructũ eſt.Sed quid hoc ad præſentem locũ,cui ſufficit ſimplex & pura explanatio, quæ nõ doctrinæ gloriã in multiplicatione ſermonũ,ſed legentis debet intelligentiã quęrere? Quoniã tranſiuimus cito & auolauimus. Septuaginta.Quoniã ſuperuenit manſuetudo ſuper nos,& corripiemur.Pro quo in Græco ſcriptũ eſt, παιδευθησόμεθα, quod uerbũ ambiguũ eſt,& tam correptionẽ q; eruditionem doctrinamq; ſignificat. Quẽ enim diligit dominus, corripit ſiue erudit,ac flagellat omnem filiũ quem recipit.Quem locũ ita Symmachus tranſtulit: ſuccidimur enim repente & auolamus.Quinta æditio hoc modo:Quoniam tranſiuimus celeriter & diſſoluimur.Et eſt ſenſus. Poſt ſeptuaginta annos,& ut multũ octoginta,quibus hominũ uita tranſigitur, cum anima fuerit à corpore ſegregata,uẽto ſimiles auolamus:ſiue quia ſupra herbæ uirenti & florũ pulchritudini,& ad ueſperã ſiccitati hominem cõparat:nunc pro ariditate ueſperæ, ſucciſionem florũ ponit.Et cũ pertranſierit,inquit,omne quod uiuimus,ſubita morte diſſoluimur.Quod aũt Septuaginta dixere: quoniã ſuperuenit manſuetudo & corripiemur, hũc habet ſenſum. Poſt ſeptuaginta annos & octoginta cum uenerit domini manſuetudo,& dies nobis mortis ingruerit,nõ iudicabimur iuxta meritum, ſed iuxta clementiã:& quæ putatur correptio eſſe, eruditio eſt & doctrina.Satisq; miramur quid uoluerint uerbũ Hebraicũ gas his גַּוְחִישׁ Septuaginta, Theodotio & Sexta æditio transferre manſuetudinẽ,cum Aquila, Symmachus & Quinta æditio feſtinationẽ & repente celeriterq; tranſtulerint. Quis nouit fortitudinem iræ tuæ,& ſecundum timorem tuũ indignationem tuã? Septuaginta.Quis nouit poteſtatem iræ tuæ,& præ timore tuo iram tuã dinumerare? Inter Hebraicũ & Septuaginta diuerſa diſtinctio eſt.Septuaginta enim dinumerationẽ,timori & furori domini copulant. Porrò Hebraicum,ſequenti aptat uerſiculo,ut ſequatur: Vt numerẽtur dies noſtri,ſic oſtende & ueniemus corde ſapiẽti.Quod breuiter ita nobis diſſerẽdũ uidet. Quis poteſt noſſe q; diu ira tua, ex qua timor naſcitur humano generi,perſeueret,niſi te docente,qui deus es? Itaq; obſecro, ut tempus uitæ noſtræ indices nobis,quo poſſimus corde ſapienti,tuo nos iudicio præparare.Quod aũt dixit:Quis nouit fortitudinẽ ſiue poteſtatẽ iræ tuæ, & ſecundũ timorem tuum, indignationem tuam: oſtendit eſſe difficile, iræ timorisq; & indignationis dei ſecretũ rationemq; cognoſcere.Vnde & propheta lachrymabiliter deprecatur: Domine ne in ira tua arguas me,neq; in furore tuo corripias me.Non em̃ corripit ut interficiat atq; diſperdat, ſed ut corrigat & emendet.Quã ob rem & in Oſee,populo Iudęorũ,cui multũ iratus eſt,dicit ſe nequaquam iraſci,nec uiſitare nurus eorũ, cum adulterauerint. Et per Ezechielem loquitur ad Hieruſalem:Iam non iraſcar tibi,& zelus meus receſſit à te.Et in uerbis dierum ſonat, quando pergit Iſrael aduerſum hoſtes in prælium corde pacifico. Vt numerẽtur dies noſtri, ſic oſtende,& ueniemus corde ſapienti.Septuaginta.Dexterã tuam ita notã fac,& eruditos corde in ſapientia.Quod Aquila,Symmachus & Quinta æditio ſic uerterunt: Dies noſtros ſic oſtẽde,ut ueniamus corde ſapiẽti.Errorq; perſpicuus, cur pro diebus, Septuaginta dexterã dixerint. יָמֵינוּ iamenu quippe uerbũ cõpoſitũ eſt:ſignificans dies noſtros:quod in ſingulari numero

A numero ſi ſcribatur,extrema litera quæ appellatur nun ן exprimit dexteram:ſicut eſt illud in nomine Beniamin,qui interpretatur,filius dextræ.Sín aũt ם habeat,diem uel dies ſonat.Eſt aũt ſenſus:numerum annorum dierumq; noſtrorũ, quibus in hoc ſeculo nos uiuere decreuiſti,oſtende nobis,ut præparemus nos aduentui tuo:& contempto errore mortaliũ,ad te pergere feſtinemus,cupiamusq; præſentiã tuam,& ad te feſtinemus corde ſapienti. Nihil enim ita decipit humanũ genus,q; dum ignorant ſpacia uitæ ſuę,longiorẽ ſibi ſeculi huius poſſeſſionem repromittunt. Vnde & illud egregie dictũ eſt:Nullũ tam ſenem eſſe & ſic decrepitæ ætatis,ut nó ſe adhuc uno plus anno uiuere ſuſpicet. Ad hunc ſenſum pertinet & illud quod dicitur:Memento mortis tuæ,& non peccabis. Qui enim ſe recordatur quotidie eſſe moriturum,cõtemnit præſentia,& ad futura feſtinat. Hoc eſt quod Dauid in alio precatur loco,dicens:Ne auferas me in dimidio dierum meorũ,priuſq; abeam & non ſubſiſtã,quod ita exponitur.Ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabã me uicturũ, ut poſſim peccata corrigere pœnitẽtia.Si enim hoc feceris,inuentus in delictis meis eſſe deſiſtã:nó quod ſpem reſurrectionis neget,ſed quod corã eo ſe neget poſſe ſubſiſtere:apud quẽ omnes qui in uitijs perſeuerant,pro nihilo reputantur. Vbi nos interpretati ſumus, eruditos corde in ſapientia,
7 alij tranſtulerunt cõpeditos,uerbi ambiguitate decepti. Si enim dicas πεπεδημένους cõpeditos:ſin aũt πεπαιδευμένους eruditos ſignificat. Reuertere domine uſq; quò,& exorabilis eſto ſuper ſeruos tuos.Septuaginta ſimiliter.Quia agimus pœnitentiã,& ſciẽtes uitæ noſtræ breuitatẽ,ad te corde ſapiẽti cupimus peruenire,& tu domine reuertere ad nos.Peccatis enim noſtris lõge receſſeras: & dimiſeras nos, ut ambularemus ſecundũ uoluntatẽ & cogitationes noſtras.Quod aũt infert,uſq; quò,illã habet intelligentiã, quam in duodecimo pſalmo diximus: Vſq; quò domine obliuiſceris me in finẽ? Qui enim in anguſtia cõſtitutus eſt,ferũ ei uidetur dei auxiliũ:& propterea impenſius deprecatur, ut cito adiutorẽ deũ ſentiat:& nequaq; iratũ iudicẽ,ſed placatũ. Imple nos matutina miſericordia tua:& laudabimus & lætabimur
B in cunctis diebus noſtris.Septuaginta.Repleti ſumus mane miſericordia tua,& exultauimus & delectati ſumus in omnibus diebus noſtris. In cũctis penè locis hanc habẽt Septuaginta conſuetudinẽ: ut quod apud Hebræos in futurũ ponitur, hoc illi quaſi iam factũ & præteritum referant. Hic ergo,nó ut illi uoluerunt dicunt ſe impletos eſſe matutina miſericordia dei atq; lętatos:alioqui ſi hoc factũ erat,quomodo poſtea deprecãtur & dicũt:Reſpice in ſeruos tuos & in opera tua:ſed totũ quod poſtulãt,ideo deprecantur, ut mereantur matutinã miſericordiam eius:quam cum fuerint aſſecuti, laudent deum atq; lætentur in cunctis diebus uitæ ſuæ. Videtur autẽ mihi reſurrectionis ſpem & æternæ uitæ præmia deprecari,dicens:Imple nos matutina miſericordia tua.Quod quidem & uiceſimiprimi pſalmi titulus ſonat:qui proprie ad myſterium domini & ad reſurrectionem eius pertinens, inſcribitur pro aſſumptione matutina. Lætifica nos pro diebus quibus nos afflixiſti, & annis quibus uidimus mala. Septuaginta:Lętati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti:annis quibus uidimus mala.Et Lazarus qui receperat mala in uita ſua,in ſinu Abrahę ęterno quieſcit gaudio.Mala aũt non ea appellat quæ contraria bonis ſunt, ſed pro afflictione ponit & anguſtijs: quibus malis & Sara afflixit Agar ancillam ſuam:& de quibus in euãgelio ſcribitur: Sufficit diei malicia ſua. Quanto igitur magis in hoc ſeculo, perſecutionibus, paupertate, inimicorum potentia uel morborum cruciatibus fuerimus afflicti; tanto poſt reſurrectionem in futuro maiora præmia conſequemur.Pulchre autẽ non dixit:ſuſtinuimus mala,ſed uidimus.Quis enim eſt homo qui uiuat & non uideat mortem? Quæ nõ tam ad diſſolutionem corporis referenda eſt, quàm ad multitudinem peccatorũ,iuxta quod dicitur:Anima quæ peccauerit,ipſa morietur.

Appareat apud ſeruos tuos opus tuum,& gloria tua ſuper filios eorum.Ergo in ſeruis ſuis ipſe dominus operatur opus ſuum.Nec propria qui poſtulat ſalute contentus eſt,ſed quærit gloriam filiorum:id eſt,ſeruorũ dei. Filios aũt non tam illos qui de eorũ ſtirpe generati ſunt, quàm diſcipulos debemus accipere:de quibus & Paulus loquebatur:Filioli mei quos iterum parturio. Vnde & Ioannes apoſtolus ſecundũ merita filiorum ſuorum profectuſq; operum

ſingulorum,ſcribit ad paruulos,ſcribit ad iuuenes,ſcribit ad patres. Et ſit decor domini dei c
noſtri ſuper nos,& opus manuũ noſtrarum fac ſtabile ſuper nos:& opus manuũ noſtrarum cõfirma.Septuaginta:Et ſit ſplendor domini dei noſtri ſuper nos:& opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos:& opus manuum noſtrarum dirige. Vbi ſunt qui liberi arbitrij ſibi poteſtate plaudentes, in eo putant ſe dei gratiam cõſecutos, ſi habeant poteſtatem faciendi uel non faciendi bona ſiue mala? Ecce hic Moyſes poſt reſurrectionem quam poſtulauerat, dicens:imple nos matutina miſericordia tua,& laudabimus & lætabimur in cunctis diebus noſtris:nequaquam ſe ſurrexiſſe contentus eſt, & æternæ uitæ præmia conſecutum: ſed poſtulat ut decor domini dei ſui ſit ſuper eos qui ſurrexerint,& ſplendeat in animabus cordibuſq; ſanctorum: & opera manuum eorum ipſe dirigat, faciatq; eſſe perpetua: ipſeq; confirmet quicquid in ſanctis uidetur boni. Sicut enim humilitas deprecantis meretur præmia: ita ſuperbia contemnentis, dei auxilio deſeretur.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

οἰκουμένη.) Id eſt,habitata,ab οἰκέομαι habitor,hanc dictionem fermè noſtri interpretes uertunt orbem terrarum. 1
Quæ nomine Petri apoſtoli inſcribitur.) Hic palam diuus Hieronymus indicat,ſe dubitaſſe de ſecunda Petri epiſtola propter ſtili diſſimilitudinẽ, quod excuſat alio in loco,ob mutatum interpretem accidiſſe. 2
Rhœbe diu.) His uerbis Mezentius dux alloquitur equum ſuum Rhœbum nomine,facturus impetũ in Aeneam apud Vergilium libro Aeneidos decimo. 3
προφωνεῖς. & nos in linguam noſt.) προφάν Græce eſt perperam uidere,quod accidit parum attente rem inſpicientibus,ſicut παραβλέπειν. Quaſi in ſermone loquens.) Nihil celerius,& nihil inanius oratione hominum.
Sicut aranea meditati ſunt.) Hunc locum uulgo deprauarant,Nam Græce eſt, ἐμιλέπαν, id eſt me- 4
ditabantur.Pro quo ſcriptum fuit meditabuntur. Venient dies maliciæ.) Hic quoq; maliciã accipit 5
pro afflictione. In hoc loco tametſi ſenſus fermè idem eſt, tamen uerba multũ diſſonãt à noſtra uulgata æditione. In Græco ſcriptũ eſt, παιδευθησόμεθα.) Nam παῖς puer,inde παιδεύω erudio ſiue corri- 6
pio & caſtigo:ſic enim eruditur pueri. Si enim dicas.) πεπεδημένος participiũ eſt à uerbo πεδέω, 7
id eſt compedibus uincio, πεπαιδευμένος participium eſt à παιδεύω, quod eſt erudio ſiue corripio.

DIVI HIERONYMI AD PRINCIPIAM VIRGINEM EXPLANATIO PSALMI QVADRAGESIMIQVARTI. D

SCio me Principia in Chriſto filia à pleriſq; reprehendi,quod interdum ſcribam ad mulieres,& fragiliorem ſexum maribus præferam.Et idcirco debeo primum obtrectatoribus meis reſpondere,& ſic uenire ad diſputatiunculã quam rogaſti. Si uiri de ſcripturis quærerent,mulieribus nõ loquerer.Si Barach ire ad prelium uoluiſſet,Debbora de uictis hoſtibus nõ triumphaſſet. Hieremias carcere clauditur,& quia periturus Iſrael uirum nõ receperat prophetantem, Olda eis mulier ſuſcitatur.Sacerdotes & phariſæi crucifigunt filiũ dei:& Maria magdalene plorat ad crucem,unguenta parat,quærit in tumulo,hortulanũ interrogat,dominum recognoſcit,pergit ad apoſtolos, repertum nunciat,Illi dubitant,iſta confidit. Vere πυργίτης, uere turris candoris & Libani,quæ proſpicit faciem Damaſci,ſanguinem uidelicet ſaluatoris ad ſacci pœnitentiam prouocantem. Defecerant Saræ muliebria,& ideo Abraham ei ſubijcitur, & dicitur ad eum: Omnia quæ dicit tibi Sara,audi uocem eius.Illi defecerant muliebria:tu nunq; habuiſti muliebria.Sexus deuoratur à uirgine,Chriſtũ portat in corpore.Iam poſſidet quod futura eſt. Rebecca pergit ad interrogandum deum:& ſua reſponſione condigna audit oracula. Duæ gentes in utero tuo, & duo populi de uentre tuo diuidentur.Illa duos generat diſſidentes: tu unum quotidie concipis,parturis,generas:unione fœcundum, maieſtate multiplicem, trinitate cõcordem. Maria ſoror Moyſi, uictorias domini canit, & Rachel Bethlehem noſtrã atq; Ephratan ſtirpe nominis ſui ſignat in poſteros.Filiæ Salphaad hæreditatẽ inter fratres merent accipere. Ruth & Heſter & Iudith tantæ gloriæ ſunt, ut ſacris uoluminibus nomina indiderint. Anna prophetiſſa generat filium leuitam,prophetã,iudicem,ſacro crine uenerabilem, & offert eum in tabernaculũ dei. Thecuitis mulier,regem Dauid interrogatione concludit, ænigmate docet, exemplo dei mitigat.Legimus & aliam ſapientem fœminã,quæ cum obſideretur ciuitas, & propter unũ eã perdere uellet dux exercitus Ioab,muroſq; ariete quateret, locuta eſt ad populum

A pulum in ſapientia ſua,& tantæ multitudinis periculum,muliebri autoritate ſedauit. Quid loquar de regina Saba,quæ uenit à finibus terræ audire ſapientiam Solomonis: & teſtimonio domini cõdemnatura eſt omnes uiros Hieruſalem? Eliſabeth utero prophetat & uoce. Anna filia Phanuelis in templo, templum efficitur dei:& quotidiano ieiunio, cœleſtem inuenit panem.Sequebantur mulieres ſaluatorem, & miniſtrabant ei de ſubſtantia ſua. Ille qui de quinq; panibus milia hominum,exceptis mulieribus & paruulis aluit, eſcas ſanctarum mulierum non recuſat accipere.Cum Samaritana loquitur ad puteum,& ſaturatus conuerſione credentis,cibos qui coempti fuerãt negligit. Apollo uirũ apoſtolicũ & in lege doctiſſimum, Aquila & Priſcilla erudiunt,& inſtruunt eũ de uia domini. Si doceri à fœmina nõ fuit turpe apoſtolo,mihi quare turpe ſit poſt uiros docere & fœminas? Hæc & iſtiuſmodi σεμνοτάτης filia perſtrinxi breuiter, ut nec te pœniteret ſexus tui,nec uiros nomẽ ſuũ erigeret:in quorum condemnationem,fœminarũ in ſcripturis ſanctis uita laudatur. Gaudeo & ueluti quodã tripudio effertur animus meus, cum in Babylone inuenitur Daniel, Ananias,Azarias,Miſael, O q̃ multi ſunt ſenes & iudices Iſrael, quos rex Babylonius frigit in ſartagine ſua. Quàm multæ Suſannæ, quod interpretatur lilium, quæ candore pudicitiæ ſponſo ſerta cõponunt, & coronam ſpineam mutant in gloriam triumphantis. Habes ibi in ſtudio ſcripturarum,& in ſanctimonia mentis & corporis Marcellam & Aſellam: quarum altera te per prata uirentia, & uarios diuinorum uoluminum flores ducat ad eum qui dicit in Cantico:Ego flos campi,& lilium conuallium: altera ipſa flos domini tecum mereatur audire: Vt lilium in medio ſpinarum,ſic proxima mea in medio filiarũ. Et quia de floribus & liliis loqui cœpimus,ſemperq; uirginitas floribus comparatur: opportunum mihi uidetur, ut ad florem Chriſti ſcribens, de multis floribus diſputem. Quadrageſimumquartum pſalmum legens,in titulo reperi: In finem pro his qui commutabuntur filiorum Core, intelligentiæ canticum pro dilecto, in Hebraico ſcriptum eſt, lamanazeah al ſoſannim libne Corah maſchil ſir iedidoth:
B לַמְנַצֵּחַ עַל שֹׁשַׁנִּים לִבְנֵי קֹרַח מַשְׂכִּיל שִׁיר יְדִידוֹת quod nos in Latinum uertimus, uictori pro liliis filiorum Core eruditionis canticum amantiſſimi. Symmachus more ſuo manifeſtius, triumphum pro floribus interpretatus eſt. Igitur שֹׁשַׁנִּים ſoſannim, uel pro his qui commutandi ſunt,uel in lilia transferẽ & flores:maſchil מַשְׂכִּיל quoq; & eruditionẽ & doctiſſimum ſonat שִׁיר ſir canticũ:iedidia יְדִידוֹת Solomonis eſt nomen,qui alio ſenſu pacificus appellatur. Quatuor aũt pſalmi, licet in poſteriori titulorũ parte diſſentiant,hoc principio prænotantur,quadrageſimuſquartus,quinquageſimuſnonus,ſexageſimuſoctauus,ſeptuageſimuſnonus,è quibus duo medij inſcribunt Dauid,primus & nouiſſimus filiorũ Core & Aſaph. De cũctis dicere nõ eſt huius temporis,quẽ cœpimus explicemus.Recte qui in ſeculorũ fine mutandi ſunt,de quibus Apoſtolus loquit:Omnes dormiemus,ſed nõ oẽs immutabimur:referuntur ad finem.Et hoc ipſum myſterium lectorem præparat ad intelligentiã ſpiritalẽ. Vbi enim ſimplex & apertus eſt ſenſus, quid neceſſe eſt audientem intelligentiæ præmonere, & dici ad eum,qui habet aures audiendi,audiat? Canticum quoq; canitur chariſſimo atq; dilecto,quia propter illum ueniet ſanctis promiſſa mutatio. Quæ quidem & in hac uita intelligi poteſt,quãdo exuimur ueteri homine & induimur nouo qui renouatur in cognitione ſecundum imaginem creatoris,& gloriam domini cõtemplantes, in eandem imaginẽ transformamur,quaſi à gloria in gloriã:nec eſt tempus ullũ quo nõ mutetur ſpiritus, præteritorũ obliuiſcens & in futurum ſe extendens,cũ interior noſter homo renouetur de die in diẽ,& immutabilis deus qui loquit per prophetã:Ego deus & nõ mutor:propter nos mutauerit faciẽ ſuam formamq; ſerui acceperit,& de Iudæa tranſmigrãs ad Philiſtĳm,qui interpretat poculo corruẽtes(inebriati enim fuerãt aureo calice Babylonis) primũ deriſus ſit propter ſtulticiã crucis, deinde ſuſceptus propter gloriã triũphorũ.Chariſſimus aũt ille eſt,de quo Eſaias canit:Cantabo canticũ dilecti uineæ.& euangeliũ:Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bẽne cõplacui,ipſum audite. Cui nõ unus ꝓpheta, ſed omnis chorus filiorũ Core nũc laudes canit.Qui ſint aũt filij Core,id eſt caluariæ,in quadrageſimoprimo pſalmo cõpetentius diſputat.Et ut

ſciamus

ſciamus textum cantici titulo conuenire, mutationem de alio ad aliud dicit, ut filia cui præci- c
pitur,ut antiqui parentis obliuiſcatur, regis ſe amplexibus paret. Victorem autem eum eſſe
qui dicit:Confidite, ego uici mundum, & ad quem iſta adoleſcentis oratio eſt: à te uictoria
& ſapientia & gloria,& ego tuus ſeruus:profecto nouit, qui domino uincẽte ſuperauit & eſt
particeps triumphorum eius:& qui immarceſcibilem glorię coronam,de candore bonorum
operum & de ueritate uirtutũ texuit ſaluatori.Eructauit cor meum uerbũ bonum. Pro quo
interpretatus eſt Symmachus,cõmotum eſt cor meum uerbo bono:indicans ad alterius ſer-
monẽ cor dicentis eſſe cõmotum,& ſpiritu ſancto futura Chriſti ſacramẽta pandente,etiam
hunc in eloquiũ prorupiſſe:ut quemadmodũ cæteri de aduentu eius locuti ſunt & iſte loque
retur.Ructus autem proprie dicitur digeſtio cibi, & concoctarũ eſcarum in uentum efflatio.
Quomodo enim iuxta qualitatẽ ciborũ de ſtomacho ructus erumpit, & boni uel mali odo-
ris flatus indicium eſt:ita interioris hominis cogitationes uerba proferunt, & ex abundantia
cordis os loquitur.Iuſtus comedens replet animã ſuã.Cumq; ſacris doctrinis fuerit ſatiatus
de boni cordis theſauro profert ea quæ bona ſunt, & cum Apoſtolo loquitur: An experi-
mentum quęritis eius,qui in me loquitur Chriſtus?Quidã ex perſona Chriſti,quidã ex per
ſona patris dictũ intelligi uolunt,quod ex imis uitalibus & cordis arcanis,uerbũ ſuum quod
in ſe erat ſemper protulerit:iuxta alterius pſalmi uaticiniũ: Ex utero ante luciferũ genui te: ut
quomodo uterus non ſignificat uterũ(neq; enim deus diuiditur in mẽbra,ſed eandẽ ſubſtan
tiam patris filijq; demõſtrat)ſic cor & uerbũ proferatur ex corde,ut patrẽ oſtendat & filium.
Et quod ſequitur. Dico ego opera mea regi:illi aptant intelligentiæ. Ipſe dixit & facta ſunt,
ipſe mãdauit & creata ſunt:quod dicente patre operatus ſit filius. Omnia enim quæcũq; pa-
ter facit,eadem & filiũ facere:ſimiliter & patrem manentẽ in eo operari cuncta per filiũ.Dico
ego opera mea regi.Propheticus chorus,Chriſti & eccleſiæ ſacramenta dicturus,ne carmine
uideatur indignus, & ob conſcientiã peccatorũ dicatur ei: Vt quid tu enarras iuſticias meas,
& aſſumis teſtamentũ meum per os tuum?opera ſua regi quem laudaturus eſt cõfitetur, ut d
uel ſi bona ſunt,ipſe ſuſcipiat,uel ſi mala ſunt,mundet,facitq; quod iuſſus eſt: Dic tu iniqui-
tates tuas ut iuſtificeris in ſermonibus tuis. Et, iuſtus accuſator ſui eſt in principio ſermonis.
Idioma aũt non ſolũ Hebraicæ,ſed & Latinæ linguæ eſt, pro ſyntagmatibus & ſcriptis opu
ſcula dicere.Ergo & iſte qui laudes cantaturus eſt domino, carmen ſuum & opuſculũ conſe-
crat ei:& pro muſis gentiliũ,ipſum inuocat in principio quem laudaturus eſt. Lingua mea
calamus ſcribæ,uelociter ſcribẽtis.Pro quo nos interpretati ſumus, Lingua mea ſtilus ſcribæ
uelocis. Extrema pars prologi eſt, & cum præcedentibus iunge quod ſequitur:Eructauit cor
meum in laudes dei. Sermonem bonũ & opuſcula mea quibus eum prædicaturus ſum, ipſi
potiſſimũ conſecraui.Debeo ergo & linguã meam quaſi ſtilum & calamũ præparare, ut per
illam in corde & auribus audientiũ ſcribat ſpiritus ſanctus. Meum enim eſt quaſi organum
præbere linguã: illius quaſi per organum ſonare quæ ſua ſunt. Stilus ſcribit in cera:calamus
uel in charta uel in membranis, aut in quacunq; materia quæ apta eſt ad ſcribendum. Mea
autem lingua in ſimilitudinem ſcribæ uelocis, quem notariũ poſſumus intelligere, quodam
ſignorum compendio, breuiatum euãgelij ſtrictumq; ſermonem exarauit in tabulis cordis
carnalibus. Si enim lex per manum mediatoris digito dei ſcripta eſt: & quod deſtructũ eſt,
glorificatum eſt:quanto magis euangelium quod manſurum eſt,per meam linguam ſcribe-
tur à ſpiritu ſancto:ut illius laudes,ad quẽ in Eſaia dicitur: Velociter ſpolia detrahe,cito præ-
dare,uelox in corde credentium ſermo deſcribat. Specioſus forma præ filijs hominum. In
Hebraico: Decore pulchrior es filijs hominũ. Finito procœmio, hinc narrationis exordium
eſt: & fit Apoſtropha ad ipſum amantiſſimum & dilectum & regem, cui dicentis opera con
ſecrata ſunt. Quæritur autem quomodo pulchrior ſit cunctis filijs hominũ: de quo legimus
in Eſaia: Vidimus eum,& non habebat ſpeciem neq; decorem, ſed erat ſpecies eius inhono-
rata & deficiens à filijs hominum. Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre infirmitatem,quia
auertit faciem ſuam. Nec ſtatim ſcriptura diſſonare uidetur: quia ibi ignobilitas corporis

propter

A propter flagella & ſputa & alapas & clauos,& iniurias patibuli commemoratur: hic pulchri/tudo uirtutum in ſacro & uenerando corpore:non quo diuinitas Chriſti hominibus compa rata non formoſior ſit, hæc enim non habet comparationem: ſed abſq; paſſionibus crucis, uniuerſis pulchrior eſt, uirgo de uirgine, qui non ex uoluntate uiri ſed ex deo natus eſt. Niſi enim habuiſſet & in uultu quiddam ſydereum,nunquam eum ſtatim ſecuti fuiſſent Apoſto li: nec qui ad comprehendendum eum uenerant corruiſſent. Deniq; & in præſenti teſtimo/nio, in quo ait: Homo in plaga poſitus & ſciens ferre infirmitatem, reddit cauſas quare iſta perpeſſus ſit. Quia auertit faciem ſuam: id eſt paululum diuinitate ſubtracta,corpus iniuriæ dereliquit. Quidam hunc uerſiculum ſuperioribus copulant: ut ſpecioſus forma præ filijs hominum,non ad ad Chriſtum ſed ad calamum referatur. Effuſa eſt gratia in labijs tuis, propterea benedixit te deus in æternum. In æditione uulgata pro benedixit,unxit legimus. Sed ſciendum quod error ſcriptorum,Septuaginta translatoribus non debeat imputari:qui hoc loco cum Hebraica ueritate cõcordant.Legentes illud, Ieſus proficiebat ætate & ſapien/tia & gratia apud deum & homines: & in alio loco: admirabantur ſuper uerbis gratiæ eius quæ egrediebantur de ore illius: & quod in poteſtate habebat ſermonem: intelligere poſ/ſumus,quo ſenſu dictum ſit:Effuſa eſt gratia in labijs tuis.Noe inuenit gratiam coram domi no in diebus ſuis,& Moyſes, & reliqui prophetarum. Sed omnis gratiæ multitudo in labijs ſaluatoris effuſa eſt:quæ in breui tempore totum impleuit orbem.Et ipſe tanquam ſponſus proceſſit de thalamo ſuo.A ſummo cœlo egreſſio eius:& occurſus illius uſq; ad ſummũ eius. Nam & ſancta Maria,quia conceperat eum,in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat cor poraliter,plena gratia ſalutatur. Et Apoſtolus ſciens prædicationem ſuam, non eloquentia ſeculari,ſed in uirtute dei,omnes mundi ſuperaſſe doctrinas, ait. Et ſermo meus & prædica/tio mea,non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ uerbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & uirtu/tis:ut ſit fides noſtra nõ in ſapientia hominum,ſed in uirtute dei.Secq; ipſum reprehendens,
B quia dixerat:Amplius autem omnibus laboraui:ſtatim intulit.Non autẽ ego,ſed gratia dei, quæ mecum eſt.Et rurſum: Quia gratia eius qui in me eſt,non fuit uacua. Proprie autem in ſaluatorem uerbũ effuſionis adiungitur,ut ſignificet gratiæ largitatem,ſecundũ illud: Effun/dam de ſpiritu meo ſuper omnẽ carnẽ. Et,charitas dei diffuſa eſt in cordibus ueſtris.Et nota quod omnium quæ dicuntur intelligentiam ad perſonã eius referat, qui aſſumptus ex Ma/ria eſt: quod propter gratiam labiorum in æternum benedictus eſſe dicatur: tale quid & A/poſtolo prædicante: Humiliauit ſe, factus obediens uſq; ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & deus illum exaltauit: & dedit illi nomen ſuper omne nomen. Sicut enim ibi forma ſerui, paſſionis iniuria eſt, & exaltatio nominisq; donatio ad patrem redit: ita hic effuſio gratiæ & benedictionis in ſempiternum, ad eum referenda eſt qui poteſt humiliari & creſcere. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime. Specie tua & pulchri/tudine tua. In Hebræo: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum fortiſſime. Gloria tua & decore tuo. Iſtum arbitror te locum optime intelligere, & accinctam Chriſti gladio milita/re. Vt autem ſcias ſemper uirginitatem gladiũ habere pudicitię,per quem truncat opera car/nis,& ſuperat uoluptates: gentilis quoq; error, deas uirgines finxit armatas. Accinxit & Pe/trus lumbos ſuos:& ardentem lucernam habuit in manibus ſuis. Quod autem femur ſigni/ficet opera nuptiarum,his breuiter exemplis doceberis. Abraham mittens ad uxorem quæ/rendam filio ſuo Iſaac, dicit maiori domus ſuæ: Pone manũ tuam ſuper femore meo: & ad/iurabo te per dominum deum cœli. Non dubium quin per eum qui de eius ſemine erat naſci turus.Iacob poſtquam luctatus eſt cum homine,qui ei apparuerat ad torrentem Iaboc,Me ſopotamia derelicta,& terram repromiſſionis ingrediens, nõ ante Iſrael ſortitus eſt nomen, quàm neruus femoris eius emarcuit, & ad filium loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neq; dux de femoribus eius. Et rurſum ipſe moriturus, Ioſeph adiurat in femore ſuo, ne eum in Aegypto ſepeliat. In Iudicum quoq; libro legimus: Gedeoni erant filij ſeptuagin/ta, qui egreſſi ſunt de femoribus eius. In cantico canticorum dicitur: Ecce lectulus Solo/

monis

monis,ſexaginta potentes in circuitu eius de potentibus Iſrael, omnes tenentes gladios, do/ C
ctí ad bellum: uir & gladius ſuper femur eius. Gloria ergo & decore ſuo, ſiue ſpecie & pul/
chritudine diuinitatis ſuæ,carnis opera mortificans:& natus ex uirgine,futuris uirginibus,uir
ginitatis princeps fuit. Et intende proſpere,procede & regna. Propter ueritatem & manſue
tudinem & iuſticiam,& deducet te mirabiliter dextera tua. In Hebræo: Decore tuo proſpe/
re aſcende: propter ueritatem & manſuetudinem iuſticiæ, & deducet te mirabiliter dextera
tua. Secundo ſcriptum eſt apud Hebræos,decore tuo, ne quis idipſum uitio librariorum re/
petitum putet.Et eſt figura quæ apud rhetores,repetitio nominatur.More ergo Panegyrici,
quo laudatores loquuntur ad eos quos præconijs efferũt,armatum cohortatur ad prælium:
ut ſemel arrepta bella non deſerat,& ſuper hoſtium ſtrages uictor incedens,prępareţ ſibi re
gnum in his,quos de diaboli eripiens poteſtate,ſuo copulauit imperio, & dicat: Ego autem
conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius. Nullicꝫ dubium,ueritatem, &
modeſtiam,& iuſticiam,Chriſtum appellari,qui dicit:Ego ſum uia, ueritas,& uita.Et,diſcite
à me:quia mitis ſum,& humilis corde. Et,qui factus eſt nobis à deo iuſticia, & redemptio &
ſanctitas.Hæc autem uniuerſa dicuntur in corpore,ut exigantur in membris.Victoria domi
ni, ſeruorum triumphus eſt. Magiſtri eruditio, diſcipulorum profectus. Et quod ſequitur:
Deducet te mirabiliter dextera tua: aut de ſignis quæ in euãgelio perpetrauit:aut προπικῶς
de cæde,quam exercuit in hoſtibus,ſentiendum eſt. Cor ſapientis in dextera, & cor ſtulti in
ſiniſtra eius. Chriſtus totus in dextris eſt:antichriſtus in ſiniſtris. Hebraica interpretatio di/
ſtat in uerbis,non diſtat in ſenſu. Sagittæ tuæ acutæ potentiſſime,populi ſub te cadent in
corda inimicorum regis.In Hebraico,abſqꝫ potentiſſime,reliqua ſimiliter.Et hic uerſiculus ti
bi potiſſimum aptus eſt,quæ iaculo domini uulnerata, cum ſponſa in cantico canis: Vulne/
rata charitate ego ſum. Nec mirum ſi ſponſus tuus habeat plures ſagittas: de quibus in cen/
teſimo decimonono pſalmo dicitur: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatorijs:
cum patris ipſe ſit iaculum:& loquatur in Eſaia:Poſuit me quaſi ſagittam electam: in phare/ D
tra ſua abſcondit me.His ſagittis & Cleophas in itinere cum altero uulneratus aiebat: Non/
ne cor noſtrum ardens erat in nobis dum loqueretur in uia, & aperiret nobis ſcripturas? Et
in alio loco legimus:Sicut ſagittæ in manu potentis,ita filij excuſſorum. His ſagittis totus or
bis uulneratus & captus eſt.Paulus ſagitta fuit domini:qui poſtquam ab Hieroſolymis uſqꝫ
ad Illyricum miſſus arcu domini, huc illucꝫ uolitauit, ad Hiſpanias ire feſtinat:ut uelox ſa/
gitta ſub pedibus domini ſui,Orientem Occidentemꝫ proſternat. Et quia plures ſunt po/
tentiſſimi regis inimici, qui uulnerati fuerant ignitis ſagittis diaboli, & quaſi ceruus ſpiculo
percuſſi in iecore,ſagittæ domini mittuntur ignitæ cum carbonibus deſolatorijs, ut quicquid
uitij in corde inimicorum regis fuerit,excoquant,& ſalutari igne ignem eijciant perditorem.

Sedes tua deus in ſeculum ſeculi,uirga directionis,uirga regni tui.Dilexiſti iuſticiã,& odi/
ſti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus oleo læticiæ præ conſortibus tuis. In He/
braico: Thronus tuus deus in ſeculum ſeculi,ſceptrum æquitatis,ſceptrum regni tui. Dilexi/
ſti iuſticiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te deus, deus tuus oleo exultationis præ
participibus tuis. Duas perſonas,eius qui unctus eſt dei,& qui unxit, intellige. Vnde & A/
quila eloim אלהים uerbum Hebraicum, non nominatiuo caſu, ſed uocatiuo interpretatur,
dicens θεὲ, & nos propter intelligentiam dee poſuimus, quod Latina lingua non recipit: ne
quis peruerſe putet deum dilecti & amantiſſimi & regis, bis patrem nominari. Quanquam
enim pater in filio,& filius in patre: & alterutrum ſibi & habitator & thronus ſint, tamen in
hoc loco ad regẽ qui deus eſt ſermo dirigitur: & dicitur ei quod imperiũ eius(hoc enim intel/
ligo thronum, iuxta illud quod ſcriptum eſt: De fructu uentris tui ponam ſuper thronum
tuum)finem nõ habeat: quod quidem & Mariæ nunciauit angelus: Dabit ei dominus deus
thronum Dauid patris ſui,& regnabit ſuper domum Iacob in ſecula,& regni eius non erit fi
nis.Nec putemus hoc illi eſſe cõtrarium,quod Apoſtolus ſcribens ad Corinthios ait, filium
deo traditurum regnum, & ſubijciendum ei qui ſibi ſubiecit omnia:ut ſit deus omnia in om/
nibus

A nibus. Non enim dixit, tradet patri,ut uideretur ſeparare filium, ſed tradet deo,hoc eſt, habitanti in aſſumptione corporis deo:ut ſit deus omnia in omnibus: & Chriſtus qui ante per paucas uirtutes erat in ſingulis,per omnes in omnibus commoretur.Sceptrum autem & uirgam inſigne eſſe regnantis,ipſe propheta ſignificat,dicens:Sceptrum æquitatis,ſceptrum regni tui.Quidam de Eſaia teſtimonium proferentes:Exiet uirga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: hominem qui eſt aſſumptus intelligunt,cui & deferatur imperium, & qui propter dilectam iuſticiam & exoſam iniquitatem regnare dicatur, & unctus eſſe oleo exultationis præ participibus ſuis: quaſi præmiũ charitatis, & odij iniquitatis, in unctione ſumpturus. Docemur autem in utraque parte & amoris & odij eſſe nobis ſemina, cum ipſe qui primitias maſſæ noſtrorum corporum leuauit ad cœlos, & iuſticiam dilexerit, & oderit iniquitatem. Vnde Dauid: Nónne odientes te domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam: perfecto odio oderam illos. Quod ſequitur: Vnxit te deus,deus tuus. Primum nomen dei uocatiuo caſu intelligendum eſt,ſequens nominatiuo:quod ſatis miror, cur Aquila non ut cœperat in primo uerſiculo uocatiuo caſu interpretatus ſit, ſed nominatiuo,bis nominans deum qui ſupradictũ unxerit deum. In hoc loco Photinus opprimitur,ſed Arius caput leuat, de euangelio proferens teſtimonium: Aſcendo ad patrem meum & patrem ueſtrum, deum meum & deum ueſtrum.Sed cum dilectum audiat eum,accinctũ gladio ſuper femur, & regnare propter ueritatem & manſuetudinem, ungi ob dilectam iuſticiam & exoſam iniquitatem,& unctum eſſe præ conſortibus ſuis:de quibus ſcriptum eſt: Participes Chriſti facti ſumus,ſi tamen principium ſubſtantiæ uſq; ad finem firmũ retineamus:miror cur ſolum deum dei ad calumniã uocet,quaſi uniuerſa quæ dicta ſunt, diuinitati uerbi & non humilitati hominis conueniant. Audiat Actus apoſtolorum: Ieſum Nazarenum quem unxit deus ſpiritu ſancto.Audiat euangelium:Spiritus ſanctus ueniet ſuper te,& uirtus altiſſimi obumbrabit tibi: propterea quod naſcetur ex te ſanctum, uocabitur filius dei. Ipſum dominum
B ſentiat intonantem:Spiritus domini ſuper me,eo quod unxerit me.Participes autem apoſtolos credentesq; ſignificat: quibus unctionis ſuæ uocabulum tribuit, ut ab uncto uocẽtur uncti,id eſt,à Chriſto Chriſtiani. Myrrha & gutta & caſia à ueſtimentis tuis à domibus eburneis,ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo. In Hebraico: Myrrha & ſtacte & caſia in cunctis ueſtimentis tuis de domibus eburneis, quibus lætificauerũt te filiæ regum in honore tuo.Præfatio ipſa te docuit,idcirco me hunc pſalmum explanare uoluiſſe:quia ad uirginem ſcribens, pro lilijs & floribus titulum reperi. Itaq; conſequenter & iſtos uerſiculos ad te referam, cui uolumen hoc ſcribitur:Mortificaſti membra tua ſuper terram,& quotidie Chriſto offers myrrham.Chriſti bonus odor es,& propterea ſtacten,id eſt,ſtillam uel guttam exhibes domino.Narrant & hi qui aromatum nouere uirtutes,ſtacten florem eſſe myrrhæ. Quod autem ſequitur caſia, eſt ipſa quæ ab alij σύριγξ, id eſt, fiſtula nuncupatur, uocalis in laudes dei,& omnes pituitas & rheumata uoluptatum ſuo calore excoquens. Vbi in noſtris codicibus ſcriptum eſt, gutta uel ſtacte, in Hebraico ahaloth אֲהָלוֹת legitur. Vnde & Nicodemus centum libras myrrhæ & aloes ad ſepeliendum dominum præparauit.Et ſponſus loquitur ad ſponſam: Myrrha & aloe cũ omnibus unguentis primis. Et illa reſpondet: Manus meæ ſtillauerunt myrrham:digiti mei myrrha pleni.Proijce & tu mortis opera, Chriſto in baptiſmate conſepulta: & huic mundo mortua eſto, & nihil aliud niſi de cœleſtibus cogitans, loquere ad ſponſum tuum: Manus meæ ſtillauerunt myrrham, digiti mei myrrha pleni. Legimus & unguentum ſacerdotale, cuius & Dauid meminit: Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbã, barbam Aaron, quod deſcendit in oram ueſtimenti eius.In quo cũ cæteris aromatibus miſcetur & ſtacte.Offerunt & Magi myrrhã.Et in præſenti loco, initium ueſtimentorum Chriſti, eſt ſuſcipere mortem illius, & in ſua carne monſtrare. Hæc indumenta para ſpõſo tuo: his à te ueſtibus comptus incedat.Cumq; ei huiuſcemodi texueris ueſtimenta, efficieris ipſa templum dei, & lætificabis eum de domibus eburneis: ſiue ut melius in Hebraico ſcribitur, de templo uendentium, & laudes domino canes:

totaq́ ſeculo mortua, angelorum imitaberis choros. Ebur enim & dentes, inſigne eſſe mor- C
tis & uocis, ipſa nominum natura teſtatur. Et conſequenter adiunctum eſt: Ex quibus de-
lectauerunt te filiæ regum in honore tuo. Rex regum & dominus dominantium ſponſus
tuus eſt, Reges iſti qui ſub tanto rege ſunt reguli, patres tui ſunt, qui te euangelica genuere
doctrina. Horum tu filia, honorificas in omnibus ueſtimentis & odoribus bonis & tem-
plo eburneo eum, cui ſupra dictum eſt: Effuſa eſt gratia in labijs tuis. Et: Accingere gladio
tuo ſuper femut tuum potentiſſime, Et: Sagittæ tuæ acutæ. Et: Thronus tuus deus in ſecu-
lum ſeculi. Pro eo quod nos tranſtulimus domibus eburneis, quia in Græco ſcriptum eſt
ἀπὸ βαρίων ἐλεφαντίνων, quidam Latinorum ob uerbi ambiguitatem, à grauibus interpre
tati ſunt: cum βαρὺς uerbum ſit ὠὴχώριον Palæſtinæ, & uſq́ hodie domus ex omni par-
te concluſæ & in modum ædificatæ turrium ac mœnium publicorum, βαρεῖς appellentur.
Aſtitit regina à dextris tuis in ueſtitu deaurato. Quodq́ ſequitur: Circundata uarietate: ex-
cepta æditione uulgata, nullus interpretum tranſtulit. In Hebraico: Stetit coniunx in dexte
ra tua in diademate aureo. Vbi nos cõiugem uertimus, ibi apud Hebræos legitur ſegol שֵׁגַל
Pro quo Aquila συγκοίτιν, id eſt, concubinam. Symmachus & Quinta æditio παλλακὴν,
id eſt, pellicem. Septuaginta, Theodotion & Sexta, reginam interpretati ſunt. Deinde ubi
ego poſui, in diademate aureo, Symmachus tranſtulit, in auro primo. Aquila, Quinta &
Sexta æditio, in tinctura uel in auro ophir. Quæ filiæ regum ſunt, & in ſponſi parantur am
plexus, per myrrham & guttam & caſiam & domos eburneas delectant eum, cuius thronus
in ſeculum ſeculi eſt. Quæ autem iam ſuper petram Chriſtum ſtabili radice fundata eſt ca-
tholica eccleſia, una columba, perfecta & proxima, ſtat à dextris, & nihil in ſe ſiniſtrum ha-
bet. Stat in ueſtibus deauratis, de ſermonibus ſcripturarum ad ſenſum tranſiens, & cunctis
plena uirtutibus: ſiue ut nos tranſtulimus, in diademate aureo. Eſt enim regina, regnatq́
cum rege: cuius filias poſſumus intelligere, & in commune credentium animas, & proprie
uirginum choros. Ophir genus auri eſt, uel à loco Indiæ, uel à colore nomine indito. Se- D
ptem quippe apud Hebræos auri uocabula ſunt. Vxorem quoq́ & concubinam intelliga-
mus de cantico Solomonis: quæ ſine ſponſo ſuo uel marito dormire non poteſt. Audi filia
& uide & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui, & concu-
piſcet rex decorem tuum: quoniam ipſe eſt dominus deus tuus, & adorabunt eum. In He-
braico: Audi filia & uide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populi tui & domus patris tui,
& cõcupiſcet rex decorem tuum: quia ipſe eſt dominus tuus, & adora eum. Hucuſq́ per pro-
phetæ linguam, quam calamo ſcribenti uelociter comparat, loquitur ſpiritus ſanctus, ipſum
regem & bellatorem & deum ſponſumq́ compellans. Hinc perſona patris inducitur loquen
tis ad ſponſam filij ſui, & cohortantis eam, ut ueteris gentilitatis & idololatriæ errore con-
tempto, primum his quæ dicantur attendat, & propter quod de alienigena filia nominetur:
deinde uideat uel ipſa quæ dicuntur, uel uniuerſam conditionem: ex uiſibilibus intelligens
inuiſibilia, & ex creaturis ſentiens creatorem: & diligenter inclinet aurem ſuam, ut quæ dicun
tur, memoriter teneat. Cumq́ audierit, uiderit & inclinauerit aurem ſuam, totamq́ ſe doctri
næ tradiderit, & eorum intelligentiæ quæ dicuntur, obliuiſcatur primum populum ſuum: &
cum Abraham de Chaldæa egrediens, relinquat terram natiuitatis & cognationis ſuæ. Ne-
mo dubitat patrem noſtrum antequam adoptaremur à deo, fuiſſe diabolum, unde ſaluator
ait: Vos ex patre diabolo nati eſtis. Cum ergo, ait, antiqui patris fueris oblita, & talẽ te exhi-
bueris, depoſitis priſtinis ſordibus, ut ſuper fratruelem dealbata conſcendas, & quam poſſit
diligere filius meus, tunc concupiſcet rex decorem tuum. Et ne putes unum eſſe de turba, à
quo amanda es, ipſe eſt rex tuus & dominus tuus. Quia uero interdum qui reges & domini
ſunt, ſunt quidem poteſtate reges & domini: tamen eiuſdem naturæ, cuius ſunt illi, in quos
dominantur & regnant: indico tibi quod & deus tuus ſit, & debeas adorare eum. Septua-
ginta interpretes non dixerunt, & adorabis eum, ſed adorabunt eum: ut ſit ſenſus: Iſte qui
te amaturus eſt, qui tuam pulchritudinem dilecturus, deus eſt, & adorandus ab omnibus.

Quod

A Quod de ecclesia ex gentibus congregata exposuimus, unusquisq; ad seipsum referat animamq; credentis, quod prioribus uitijs derelictis, adoptetur in filiam: inclinet aurem suam, obliuiscatur ueteris conuersationis: & cum Apostolo dimittat mortuorum patrem, & talem se præbeat, qui ametur à rege. Ipse est enim dominus eius, cui flectere debeat genu: & deposita superbia, iugum humilitatis assumere. Interrogemus Iudæos, quæ sit ista filia, ad quam loquitur deus: Non dubito quin synagogam respondeant. Et quomodo dicitur synagogæ & Israelitico populo: Dimitte populum tuum, & domum patris tui? Nunquid derelinquet gentem Hebræam & Abraham antiquum patrem? Si dixerint de uocatione significari Abraham, qua Chaldæos reliquerit: quis est iste rex, qui amaturus est decorem Abraham? Certe alius est qui loquitur: Audi filia: & alius de quo loquitur: concupiscet rex decorem tuum. Qui alius non solum rex, sed & dominus & deus est, qui adorandus est. Filiæ Tyri in muneribus uultum tuum deprecabuntur diuites plebis. In Hebræo est: O filia fortissimi, in muneribus faciem tuam deprecabũtur diuites populi. Verbum Hebraicum sor צר quod in Ezechiele iuxta Septuaginta legimus, interpretari potest & Tyrus & tribulatio, & fortissimus, siue fortissima: & silex, id est, lapis durissimus. Vnde in præsenti loco error ortus est. Aquila enim & Septuaginta & Theodotion & Quinta æditio, Tyrum interpretati sunt. Sexta uerbum Hebraicum posuit sor צר, Symmachus κραταιὸν id est fortissimam. Nos idipsum ad deum retulimus: ut illa cui supra dixerat: Audi filia & uide: filia fortissimi nuncupetur. Aut certe ipsa fortissima sit, quia imitata est fortem patrem, cuius uultum in diuersis muneribus deprecabuntur diuites plebis. Diuites in cunctis operibus bonis & scientia: siue qui diuites putantur in hoc seculo, sapientes huius mundi, & philosophorum disciplinis eruditi. Vel quod melius est, qui antea diuites fuerant, habentes eloquia dei & testamenta & Prophetas, id est, de populo Israel. Vt enim ante saluatoris aduentum, hi qui de Tyro erãt, hoc est de populo gentium, & proselyti esse cupiebant, deprecabantur diuitem populum
B Israel, & per eos introducebantur in templum: sic post aduentum domini, quicunq; ex Israel credere uoluerint: diuites quondam familiaritate & protectione dei uenient ad filiam Tyri: & offerentes uaria dona uirtutum & confessionis in Christum, deprecabuntur eam, ut salutem quam perdiderunt in Iudæa, inueniant in gentibus. Omnes gloriæ eius, gloriæ filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta uarietatibus. In Hebræo. Omnis gloria filiæ regis intrinsecus, fasciis aureis uestita est. Pro eo quod in Septuaginta scriptum est ἔσωθεν; & nos uel ab intus, uel intrinsecus interpretati sumus: in quibusdam exemplaribus inuenitur ἀπὸ γνωσεων, quod cogitationes sonat. Ex quo ostenditur, omnem gloriam ecclesiæ, cui supra dictum est: Audi filia & uide, & ò filia Tyri, & nunc appellatur filia regis, esse intrinsecus & in cogitationibus, id est in interiori homine, & in circumcisione non manufacta, sed spiritu habente conscientiæ fiduciam apud deum, & tota pulchritudine posita magis in sensuum nomine, quàm in flore uerborum. Quomodo autem in stamine, ex quo dependent fimbriæ, subtegmen intexitur, & tota uestimenti uirtus in stamine est: ita in uarijs sensibus scripturarum, in quibus uestis ecclesiæ omnis intexitur, miscentur aliqua de natura, de moribus: & hoc ipsum significat uestis Aaron auro, purpura, cocco, byssо, hyacinthoq; contexta, quam fecerunt mulieres, quibus deus ad texendum dedit sapientiam. Et ut intelligere possimus omnem ornatum filiæ regis intrinsecus, ipsa loquitur in Cantico: Introduxit me rex in cubiculum suum, in quo clauso ostio labiorum, deum patrem iubemur orare. In nono quoq; psalmo, cuius titulus inscribitur, pro absconditis filij. Variam habuit & Ioseph tunicam, quam ei texuit mater ecclesia. De his fimbrijs saluatoris ἁιμορροούσα unam tetigit, & sanata est. Quod autem in Hebraico scribitur, fasciis aureis uestita est, idipsum significat quod supra. Omnis gloria filiæ regis intrinsecus, fasciis sensuum diuinorum, inferiora membra obuoluuntur ecclesiæ, & tota uteri tegitur ambitio. Harum fasciarum non potest obliuisci sponsa, secundum Hieremiam, quæ mammas ligant, & pectus in quo cogitationes sunt protegunt. Adducentur regi uirgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur

in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis. Iuxta Septuaginta prior uerſiculus adhuc de filiæ canitur ornatu: ſequens ad ipſum ſponſum regemq; dirigitur. Porrò iuxta Hebraicum, totum ad ſponſam dicitur uſq; ad eum locum, ubi ſcriptum eſt: Pones eos principes in uniuerſa terra. Et legitur: In ſcutulatis ducentur ad regem, uirgines ſequentur eam, amicæ eius ducentur illuc, ducentur in lætitia & exultatione, ingredientur thalamum regis. Multam eſſe diſtantiam animarum in Chriſto credentium, demonſtrat canticum canticorum, in quo ſcriptum eſt: Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & aduleſcentulæ quarum non eſt numerus. Vna eſt columba mea, perfecta mea, proxima mea, de qua dicitur: Viderunt eam filiæ & beatificant eam reginæ & cõcubinæ, & laudant eam. Quæ ergo perfecta eſt & ſancta corpore & ſpiritu, & columba & proxima meretur uocari. Hæc eſt filia, de qua ſupra dictum eſt: Aſtitit regina à dextris tuis in ueſtitu deaurato. Quæ autem ſupergreſſæ ſunt ſex dies mundi, & futura regna ſuſpirant, reginæ appellantur. Si qua uero circunciſionem quidem habet octauæ diei, ſed adhuc non uenit ad nuptias, hæc concubina uocitatur. Diuerſa autem multitudo credentium, quæ necdum poteſt ſponſi copulari amplexibus, nec de eo liberos parere, aduleſcentula dicitur. Ego puto de iſtis uirginibus quæ ſequuntur eccleſiam, & in primo ponuntur gradu, & te eſſe & omnes, qui in uirginitate corporis & animæ perſeuerant. Proximas autem & amicas, uiduas eſſe & in matrimonio continentes: quæ omnes cum lætitia & exultatione ducuntur ad templum & in thalamum regis. In templum quaſi ſacerdotes dei: in thalamum quaſi ſponſæ regis & ſponſi. Hoc templum & Ioannes uidit in Apocalypſi, & propheta deſiderat. Vnam, inquit, petij à domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo domini, omnibus diebus uitæ meæ. Et iterum: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et in alio loco: Quia tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, uſq; ad domum dei: in uoce exultationis & confeſſionis, ſonitu feſta celebrantium. Scutulata autem quibus ſponſo ſuo regina componitur, ipſa ſunt, quæ in Septuaginta legimus circumamicta uarietate. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. In Hebraico: Pro patribus tuis erunt tibi filij, pones eos principes in uniuerſa terra. Et ex patris perſona nequaquam de filia, ſed rurſus ad filiam ſermo intelligi poteſt: & ex ſpiritus ſancti, & ex filiorum Core. Si ergo ad filiam ſponſam ſermo dirigitur, ſponſa autẽ de nationibus congregata eſt, cui ſupra dicitur: obliuiſcere populum tuum & domum patris tui: debemus ſponſam patris noſſe, ut conſequenter nouerimus & filios. Pro patribus tuis, de quibus in Hieremia loquuta eſt: Quàm falſa poſſederunt patres noſtri idola, & non eſt in eis qui pluat. Pro Platone & pro cæteris diuerſorum dogmatum & errorum magiſtris, nati ſunt tibi filij: quos conſtituiſti principes tuos, & feciſti in populis præceptores. Vel certe aliter: O eccleſia, filij tui quos genuiſti tibi, uertentur in patres tuos, cum de diſcipulis eos feceris magiſtros, & in ſacerdotali gradu omnium teſtimonio collocaueris. Sin autem patres eccleſiæ intelligimus Abraham, Iſaac, & Iacob, & reliquos patriarchas: filios, qui ei in patrum honore ſunt nati, apoſtolos intelligamus: qui miſſi ſunt à domino prædicare uſque ad extremum terræ, & baptizare credentes in nomine trinitatis. Sed quæritur quomodo eccleſia de gentibus patres habere poſſit, Abraham, Iſaac & Iacob, cum ei ſupra dictum ſit: Obliuiſcere populum tuum & domum patris tui. Legamus euangelium: Nolite dicere patrem habemus Abraham: potens eſt deus de lapidibus iſtis, hoc eſt, de duro corde gentilium, ſuſcitare filios Abrahæ. Et in alio loco: Si filij eſſetis Abrahæ, opera Abrahæ faceretis. Et in Geneſi ad ipſum Abraham loquitur deus: In ſemine tuo, inquit, benedicentur omnes gentes. Sicut enim ille in præputio ex fide iuſtificatus eſt, ita & nos iuſtificabimur in eadem fide, ſi habuerimus fidem & opera patris noſtri Abraham. Poteſt hoc ipſum ad ſaluatorem dici, uel à patre uel à prophetali choro & ſpiritu ſancto. Pro patribus tuis, ſtirpe uidelicet Iudæorum, qui te reliquerunt & negauerunt, nati ſunt tibi filij apoſtoli & de nationibus credentes, quos conſtituiſti principes in uniuerſa terra. Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione. Propterea populi

A puli confitebuntur tibi in æternum, & in ſeculum ſeculi. In Hebraico: Recordabor nominis tui in omni generatione & generatione. Propterea confitebuntur tibi populi in ſeculum & in æternum. Quod nos interpretati ſumus, confitebuntur tibi, Symmachus tranſtulit: laudabunt te. Regina quæ ſteterat à dextris tuis in ueſtitu deaurato, & iuſſa fuerat obliuiſci populi & domus patris ſui: & iterum illi dictum erat: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram: intelligens quanta decoranda ſit gloria, & quibus præmijs ſubleuanda, conuertit ad ſponſam uoces ſuas: & pollicetur recordaturam ſe ſemper nominis ſponſi, in omni generatione & generatione. Quod promiſit, uidemus expletum. Ipſa Chriſtiana, nobis omnibus Chriſtianorum nomen impoſuit: nomen nouum, in quo benedicentur omnes familiæ gentium. Recordatur autem non in una generatione, ſed in omnibus: uel cunctas ſignificans nationes, uel duas generationes, Iudæorum atq; gentilium. Et quia hoc parum eſt, ſi in duabus generationibus nominis domini recordetur, propterea populi qui in eccleſia fuerint, confitebuntur & laudabunt dominum in æternum & in ſeculum ſeculi. Quando & tu ò filia Principia, ſanctorum mixta choro, inter uirgines duceris ad regem, & ex domibus eburneis delectabis ſponſum in honore tuo: tunc recordare & mei, qui huius pſalmi tibi domino reuelante intelligentiam tribui, & dicito: Memor ero nominis tui: ut quæ partem intellexiſti carminis, ſi uita comes fuerit, & totum Canticum canticorum intelligas.

SEQVENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 QVod Aquila interpretatus eſt ἄρτον ἀλαπονημάτων, id eſt panem elaborationum.) A ἀλαπονέω quod eſt elaboro. Symmachus, ἄρτον κακοπαθούμενον.) Id eſt, panem ærumnoſum ſiue afflictum. Nam κακοπαθεῖν eſt affligi & malis affici. Sexta πλάνης, id eſt erroris.) A πλανάομαι erro, unde & Planetæ uocantur. De Aquila ſi, τὰ πονήματα.) Conjcio legendũ ἀλαπονήματα, id eſt elaborationes. At noſtra uulgata æditio habet, ἄρτον ὀδυνῆς, id eſt, panem
2 doloris. Atq; ita Hieronymus interpretatus eſt iuxta Hebraicam ueritatem. Sexta ek &.) Hunc lo-
B cum in omnibus codicibus reperi deprauatum. Verum ita legendum eſt, ἐξηκονημένοι, quod nos dicere poſſumus exacuti. Senſusq; manifeſtus eſt, adoleſcentiæ populos, intelligi Chriſtianos. Sic habebãt exemplaria. Quod nos dicere poſſumus exacuti ſenſus. Ex quo manifeſtum eſt, adoleſcentiæ populos intelligi Chriſtianos. Vulgaris æditio noſtra habet, ἐκπεπινάγμένων, id eſt, excuſſorum. Hieronymus
3 iuxta ueritatem Hebraicam uertit filij iuuentutis. Ambiguitate decepti.) καρπὸς Græcis duo ſignificat, fructum, & uolam, hoc eſt, cauum manus. Furtiuis, ut aiunt.) Quas Plinius ſucciſiuas uocat

HIERON. AD MARCELLAM PSALMI CXXVI. EXPOSITIO

BEatus Pamphilus martyr, cuius uitam Euſebius Cæſarienſis epiſcopus tribus fermè uoluminibus explicauit, cum Demetrium Phalereum & Piſiſtratum in ſacræ bibliothecæ ſtudio uellet æquare: imagineſq; ingeniorum, quæ uera ſunt & æterna monumenta, toto orbe perquireret: tunc uel maxime Origenis libros impenſius proſequutus, Cæſarienſi eccleſiæ dedicauit: quam ex parte corruptã, Acacius dehinc & Euzoius eiuſdem eccleſiæ ſacerdotes in membranis inſtaurare conati ſunt. Hic cum multa repererit, & inuentorum nobis indicem dereliquerit, centeſimi uigeſimiſexti pſalmi commentarium, & phe literæ tractum, ex eo quod non inſcripſit, confeſſus eſt nõ repertum: non quod talis tantusq; uir (Adamantium dicimus) aliquid præterierit, ſed quo negligentia poſterorum ad noſtram uſq; memoriam non durarit. Hoc ideo dixi, ut quia de eodem pſalmo mihi propoſuiſti, qui eſſet panis doloris, in eo quod dicitur: Vanum uobis eſt ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris: oſtenderem me de Origenis commentarijs quid ſenſerit non habere. Vnde ad Hebræum recurrens, inueni pro pane doloris ſcriptum, lehem haazabim לֶחֶם הָעֲצַבִּים quod Aquila interpretatus eſt,
1 ἄρτον ἀλαπονημάτων, id eſt, panem elaborationum. Symmachus ἄρτον κακοπαθούμενον quod exponitur, panem ærumnoſum. Quinta æditio & Theodotion (qui in cæteris cum Septuaginta translatoribus facit) panem idolorum. Sexta πλάνης, id eſt, erroris. Nec miran-dum eſt de Aquila, ſi ἀλαπονήματα pro idolis ponat, cum opera manuum hominis ſint, & prophetice populus arguatur ad templum diluculo fruſtra conſurgere, & poſt quietem ad

sanctuarium festinare,cum idola,dei honore uenerentur: secundum quod Ezechiel scripsit, c
in ipso templo sacrificare idolis sacerdotes. Vt autem plenius adducaris, pro dolore in He/
bræo idola posita, hoc ipsum uerbum, hoc est, azabim עֲצַבִּים etiam in centesimo decimo/
tertio psalmo scriptum est, Septuaginta quoq; idola transtulerunt. Nam & in eo loco ubi
legimus: idola gentium, argentum & aurum opera manuum hominum: in Hebræo habe/
tur,azabehem עֲצַבֵּיהֶם quod Aquila interpretatur elaborationes eorum. Vnde cum ita ue/
ritas se habeat, non frustra quidam doloris panem, aut hæreticorum intelligunt sacramen/
ta,aut uitæ istius miserabilis & ærumnosæ interpretantur laborem, apud quam in sudore fa
ciei comedimus panem nostrum: & inter spinas & tribulos, breuis uitæ alimenta nascuntur.

Illud quoq; de eodem psalmo interrogare dignata es: Qui sint filij excussorum. Miror te
in Hilarij cõmentarijs non legisse,excussorum filios,credentium populos interpretari: quod
scilicet apostolos illo nomine putauerit appellatos, quibus in euangelijs sit præceptum: in
quamcunq; ciuitatem introierint, & non fuerint recepti, excutere puluerem pedum suorum
in testimonium non credentium:licet tu argute precaueris, non posse apostolos sub nomine
excussorum intelligi,cum sit aliud excutientium,aliud excussorum:quia excutientes sunt,qui
excutiant:excussi uero,qui ab alijs excutiantur: & incongruum esse excussos apostolos acci/
pi, qui magis excutientes debuerint appellari. Quid igitur faciam? Tantum uirum & tem/
poribus suis disertissimum reprehendere non audeo: qui & confessionis suæ merito, & ui/
tæ industria, & eloquentiæ claritate, ubicunq; Romanum nomen est prædicatur: nisi quod
non eius culpæ ascribendum est, qui Hebræi sermonis ignarus fuit, Græcarum quoque lite/
rarum quandam aurulam ceperat, sed Heliodori presbyteri quo ille familiariter usus est,
eaq; quæ intelligere non poterat,quomodo ab Origene essent dicta quærebat.Qui quia in
hoc psalmo commentarium Origenis inuenire non potuit, opinionem magis insinuare
suam, quàm insciti am uoluit confiteri. Quam ille sumptam claro sermone disseruit, & alie/
num errorem disertius exequutus est. Restat igitur ut rursum ad fontem sermonis recurra/ D
mus Hebræi,& uideamus quomodo scriptum sit. Vbi nos habemus, sicut filij excussorum:
ibi legitur, chen bene hanurim כִּי בְנֵי הַנְּעוּרִים quod Aquila interpretatus est,sicut filij pu/
bertatum. Symmachus & Theodotio, sicut filij iuuentutis. Sexta ὑκονηθϙύτ@ νοῦ, quod 2
nos dicere possumus, exacuti sensus. Ex quo manifestum est, adolescentiæ populos intel/
ligi Christianos, secundum illud exemplum, quòd deus suos sanctos in modum arcus &
sagittarum dicatur extendere: ut in propheta Zacharia: Quoniam extendi te mihi Iuda ut
arcum. Et saluator de semetipso:Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua absco
dit me. Deniq; in sequenti uersu, exceptis Septuaginta, qui aliter transtulerunt, & in He/
bræo, & in cunctis æditionibus ita reperi: Beatus uir qui repleuit pharetram suam ex ipsis:
ut quia metaphoram semel sumpserat ex sagittis, & in pharetra quoq; translatio seruare/
tur. Excussos autem & consuetudo sermonis humani, uegetos & robustos & expeditos uo/
cat: & ipsi Septuaginta interpretes in Esdræ libro, pro iuuenibus transtulerunt: in quo ita
scribitur:Et factum est die illa, medij excussorum faciebant opus,& medij eorum habebant
hastas & scuta & arcus & thoraces, & principes post omnem domum Iuda, ædificantium
in muro. Ex quo animaduertimus, & in præsenti loco pro adolescentibus atq; puberibus,
excussos positos: non ut ille opinatus est pro apostolis, qui excussi à pedum excussione di/
cantur. Legi & cuiusdam librum, & elegantem in eo sensum reperi, excussos Iudæos dici à
templo,& lege & gratia domini,pro eo quod est reprobos: & eorũ esse filios apostolos, qui
ex ipsorum semine procreentur,& in similitudinem sagittarum manu domini contineantur.
In sequenti quoq; psalmo Heliodorus magis quàm noster Hilarius errauit, qui de eo loco,
in quo scriptum est: Labores fructuum tuorum manducabis, uaria opinatus, asseruit magis
stare sententiam,si scribatur:fructus laborum aliquem mãducare, & non labores fructuum.
Vnde spiritualem intelligentiam debere perquiri, & ex hac occasione longam ingrediens di
sputationem,tanta operositate quod uolebat intelligi,usus est persuadendi, quanta semper

falsitas

A falsitas indiget,ut uera uideatur:cum in hoc loco non Septuaginta interpretes, sed Latini de
3 Græco uerbi ambiguitate decepti,καρπὸς fructus magis quàm manus interpretati sint,cum καρπὶ manus quoq; dicãtur:quod Hebræo ponitur caphecho כַּפֵּיהֶן. Et Symmachus Quin taq; æditio transtulerunt manuum tuarum, ut ambiguitatem prioris sermonis effugerent. Cum hæc furtiuis,ut aiunt,operis ad lucubratiunculam uelox notarij manus me dictante signaret,& plura dicere cogitarem,iam fermè quarta hora noctis excesserat,& repente stimulis quibusdam stomachi suscitatus,in orationem prorupi: ut saltem reliquo horarum spacio, subrepente somno,frustraretur infirmitas.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Exponit primam Esaiæ uisionem:uidi dominum sedentem &c. & nonnulla de morte Oziæ regis.

SCHOLIVM

1 Et præteritorum libris.) Latine signauit quos nos Græce dicimus Paralipomenon.
2 Quod proprie in deo ponitur.) Id est, παραγράμματον.
3 Ex adytis.) Adyta dicuntur occulta,quæ non liceat subire prophanis,Græca dictio est.
4 Et excipientis.) Excipientem uocat notarium,qui ceratis tabellis notabat,quod dictabatur.

HIERONYMVS DAMASO



T factum est anno,quo mortuus est Ozias rex: Vidi dominũ sedentem super thronum excelsum & eleuatum &c.Antequã de uisione dicamus, pertractandum uidetur quis sit Ozias,quot annis regnauerit, qui ei in cęteris gẽtibus sint
1 coæui.Et de persona quidem, sicut in regnorum & præteritorũ libris legimus, fuit uir iustus,& fecit rectum in conspectu domini,ædificans templum,aquæ ductum fabricans,offerens uasa, & pro hoc merito aduersarios superans:quodq; maximum pietatis indicium est,habens multos in suo imperio prophetas.Hic quàm diu uixit Zacharias sacerdos, cognomento intelligens,placuit deo, & cum omni ueneratione delubrum eius ingressus est. Postquam uero Zacharias obijt,uolens per se offerre donaria, sacerdotalem ordinem non
B tam pie quàm audacter inuasit: & reclamantibus leuitis & sacerdotibus cæteris: Nónne tu es Ozias rex,& non sacerdos? audire noluit, statimq; lepra perfusus in fronte est,iuxta prophetæ uocem,dicentis:Imple domine facies eorum ignominia. Quam corporis partem, sacerdos auri lamina protegebat, quam in Ezechiel dominus iubet tau literæ impressione signari: de qua Dauid exultauit, dicens: Signatum est super nos lumen uultus tui domine. In qua Allophylus procax, fundæ lapidis ictu interijt. Regnauit autem Ozias annis quinquagintaduobus,quo tempore apud Latinos Amulius,apud Athenienses Agamestor undecim annis imperabat. Post cuius mortem Esaias propheta hanc uisionem (quam explanare nunc nitimur) uidit, id est, eo anno quo Romulus Romani imperij conditor natus est: sicut manifestum esse poterit his,qui uoluerint legere temporum librum, quem nos in Latinam linguam ex Græco sermone transtulimus. Sequitur:Et factum est in anno,quo mortuus est Ozias rex: uidi dominum sedentem super thronũ excelsum & eleuatum. Præmissa historia,spiritalis sequitur intellectus,cuius causa historia ipsa replicata est. Viuente leproso rege,&(quantum in se est) sacerdotium dissipante,Esaias uisionem uidere nõ potuit.Quàm diu ille regnum tenuit in Iudæa,propheta oculos non leuauit ad cœlum. Non ei sunt reserata cœlestia,non apparuit dominus sabaoth,nec in mysterio fidei,ter sancti nomen auditum est. Quando uero ille mortuus est, uniuersa quæ subsequens sermo monstrauit, aperto sese lumine prodiderunt. Tale quiddam & in Exodo scriptum est, dum Pharao uixit, populus Israel ex luti & lateris palearumq; opere pressus, non suspirauit ad dominum. Dum ille regnauit,nemo quæsiuit deum patrum, Abraham, Isaac & Iacob. Quando uero ille mortuus est,suspirauerunt filij Israel, ut scriptura dicit: Et ascendit clamor eorum ad dominum: cum utiq; iuxta historiam,tunc magis gaudere debuerint, & ante suspirare dum uiueret Pharao. Ezechiel quoq; prophetante, Phaltias filius Banaiæ occubuit, & post pessimi ducis interitum:Cecidi,inquit,super faciem meam,& clamaui uoce magna,& dixi: Heu mihi,heu mihi Adonai domine, consummationem tu facis reliquiarum Israel? Si ergo intelligas in Ozia

& Pharaone & Phaltia,& cæteris iſtiuſmodi contrarias fortitudines, uidebis quomodo illis c
uiuentibus nullus noſtrũ uideat,ac ſuſpiret,& in pœnitentiam corruat.Non regnet(ait Apo
ſtolus)peccatum in mortali ueſtro corpore.Regnante peccato, Aegyptijs extruimus ciuita-
tes,in cinere uerſamur & ſordibus:pro frumẽto paleas,pro ſolida petra,luti opera ſectamur.
Sequitur: Vidi dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum. Vidit & Daniel
ſedentem dominum,ſed nõ ſuper thronum excelſum & eleuatum. Pollicetur & alibi uox di-
uina,dicens: Veniam & ſedebo, & iudicabo populum in ualle Ioſaphat, quod interpretatur
domini iudicium.Qui peccator eſt,& mei ſimilis, uidet dominũ ſedentem in ualle Ioſaphat:
non in colle,non in monte,ſed in ualle,& in ualle iudicij. Qui uero iuſtus & Eſaiæ ſimilis eſt,
uidet illum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatũ. Vt autem & aliud inferam, quan-
do eum mente pertracto regnare in thronis, dominationibus,angelis,cæterisq; uirtutibus,
uideo excelſum thronum eius.Quando autem conſidero quomodo genus diſpenſet huma
num,& pro noſtra ſalute ſæpe deſcendere dicatur ad terras, uideo humilem & proximũ ter-
ræ thronum eius. Sequitur: Vidi dominum ſedentem ſuper thronũ excelſum & eleuatum,
& plena erat domus maieſtate eius, & Seraphim ſtabant in circũitu eius. Quidam ante me
tam Græci quàm Latini,hunc locum exponentes:dominum ſuper thronũ ſedentem, deum
patrem:& duo Seraphim,quæ ex utraq; parte ſtantia prædicantur,dominũ noſtrum Ieſum
Chriſtum,& ſpiritum ſanctum interpretati ſunt.Quorum ego autoritati, quamuis ſint eru-
ditiſſimi,non aſſentior.Multo ſiquidem melius eſt uera ruſtice, quàm falſa diſerte proferre:
maxime cum Ioannes euangeliſta in hac eadem uiſione, non deum patrem, ſed Chriſtum
ſcribat eſſe conſpectum.Nam cum de incredulitate diceret Iudæorum,ſtatim cauſas incredu
litatis expoſuit:dicens:Et ideo non poterant credere in eum,quia dixit Eſaias:Aure audietis,
& non intelligetis:& cernẽtes aſpicietis,& non uidebitis.Hæc autem dixit, quando uidit glo-
riam unigeniti, & teſtificatus eſt de eo. In præſenti ergo uolumine Eſaiæ ab eo qui ſedet in
throno iubetur,ut dicat:Aure audietis,& non intelligetis.Qui autem hæc iubet (ut Euange- D
liſta intelligit)Chriſtus eſt:unde nunc colligitur non poſſe Seraphim Chriſtũ intelligi, cum
Chriſtus ſit ipſe qui ſedeat.Et licet in Actis apoſtolorum aduerſus Iudæos inter ſe diſſiden-
tes,Paulus dicat:Bene ſpiritus ſanctus loquutus eſt per Eſaiam prophetã ad patres noſtros,
dicens: Vade ad populum iſtum,& dic:Aure audietis,& non intelligetis, & uidentes uidebi-
tis,& non perſpicietis: Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus ſuis grauiter audie-
runt,& oculos ſuos clauſerunt:ne quando uideant oculis,& auribus audiant, & corde intelli-
gant,& conuertantur ad me,& ſanem illos:mihi tamen perſonæ diuerſitas non facit quæſtio
nem,cum ſciam & Chriſtum & ſpiritum ſanctum unius eſſe ſubſtantiæ: nec alia ſpiritus uer-
ba eſſe,quàm filij:nec aliud filium iuſſiſſe,quàm ſpiritũ. Sequitur: Et plena erat domus ma-
ieſtate eius.Domus dei quæ ſurſum eſt,gloria plena conſpicitur:hæc uero quæ deorſum eſt,
neſcio an plena ſit gloria:niſi fortè ſecundum ſenſum pſalmiſtæ dicentis:Domini eſt terra &
plenitudo eius: nos quoque dicamus eos eſſe in terra plenos gloria, qui poſſint dicere: nos
omnes ex plenitudine eius accepimus.Iſtam domũ ſapientes mulieres ædificant, & inſipien-
tes diſſipãt manibus.De iſta & Eſaias loquit: Et erit in nouiſſimis diebus præparatus mons
domus domini in ſummis mõtibus,& eleuabitur ſuper colles.Hæc eſt domus, de qua & ali-
bi ſupradictus Paulus ſacrata uoce teſtatur:Et Moyſes quidẽ fidelis in tota domo eius,qua-
ſi famulus in teſtimoniũ eorum, quæ dicenda erant.Chriſtus autem ut filius ſuper domum
eius,cuius domus ſumus nos:ſi tamen principium ſubſtantiæ eius uſq; ad finem firmum te-
neamus.De hac & ad Timotheum loquitur: Hæc autẽ ſcribo, ut ſcias quemadmodũ opor-
teat te conuerſari in domo dei,quæ eſt eccleſia. Sequitur: Et Seraphim ſtabant in circumi-
tu eius,ſex alæ uni,& ſex alæ alteri: & duabus quidem uelabant faciem, & duabus uelabant
pedes,& duabus uolabant,& clamabant alter ad alterum,& dicebant:Sanctus,ſanctus, ſan-
ctus dominus deus ſabaoth,plena eſt uniuerſa terra gloria eius.Volumus ſcire quæ ſint Se
raphim ſtantia in circũitu dei:quæ ſex alæ unius,& ſimul iunctæ duodecim: quomodo dua-
bus

A bus uelent faciem,& duabus pedes,& duabus uolent, cum ſuperius in circumitu dei ſtare di-
cantur: aut quomodo ſtent in circũitu, cum duo ſint,& alibi uolent: quid ſit illud quod alter
ad alterum clamitent,& ter ſanctum nomen ingeminent:uel quomodo ſuperius domus ple
na gloria,& nunc terra eſſe dicatur. Quæ cum non minimum puluerem moueant,& prima
ſtatim fronte difficultatem interpretationis obijciant, in cõmune dominum deprecemur:ut
mihi quoq; de altari carbo mittatur,ut omni peccatorum ſorde deterſa, primum poſſim dei
ſacramenta conſpicere,dehinc enarrare quæ uidero.Seraphim ſicut in interpretatione nomi
num Hebræorum inuenimus,ardor aut incendium,aut principium oris eorum,interpretan-
tur.Quærimus quid ſit hoc incendium?Saluator ait:Ignem ueni mittere in terram,& quàm
uolo ut ardeat.Duobus diſcipulis,quibus in itinere dominus ſcripturas aperuerat, à Moyſe
& omnibus prophetis incipiens,poſtquam reſerati ſunt oculi eorum, cognoſcentes eum,di-
xerunt ad alterutrum: Nónne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, &
aperiret nobis ſcripturas?Et in Deuteronomio,deus ipſe ignis ſcribitur eſſe conſumens: & in
Ezechiele quoq;, à renibus uſq; ad pedes uidetur eſſe igneus: & eloquia domini eloquia ca-
ſta,argentum igne examinatum,probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Et multa alia quæ
ſi de omnibus ſcripturis uoluero replicare,perlongum eſt. Ergo quærimus ubi ſit hoc incen-
dium ſalutare: nulli dubium quin in ſacris uoluminibus, ex quorum lectione uniuerſa ho-
minum uitia purgantur.De eo uero quod ſequitur:principium oris eorum,quomodo poſſit
ad ſcripturas referri: uereor ne ſi dicere cœperimus,non tam interpretari,quàm uim ſcriptu-
ris inferre uideamur.Initium oris & communis eloquij,& hoc omne quod loquimur Hebræ
am linguam, qua uetus teſtamentum ſcriptum eſt,uniuerſa antiquitas tradidit. Poſtquam
uero in fabricatione turris per offenſam dei,linguarum diuerſitas attributa eſt, tunc ſermo-
nis uarietas in omnes diſperſa eſt nationes.Igitur & incendium & initiũ oris, in duobus ani-
maduertitur teſtamentis:quæ circa deum ſtare,non mirum eſt, cum per ea dominus ipſe di-
B ſcatur. Sex alæ uni, & ſex alæ alteri: Victorinus noſter duodecim apoſtolos interpretatus
eſt. Nos poſſumus & duodecim lapides altaris, quos ferrum non tetigit,& duodecim gem-
mas, ex quibus ſacerdotis diadema conſtructum eſt accipere, quos & Ezechiel memorat,
& Apocalypſis non tacet: quorum quid uerum ſit,deus uiderit: quid ueriſimile,in ſequenti-
bus exponemus. Sequitur: Et duabus quidem uelabant faciem, & duabus uelabant pe-
des,& duabus uolabãt. Velabant faciem non ſuam,ſed dei. Quis enim eius poteſt ſcire prin-
cipium,qui antequam iſtum conderet mundum, interim fuerit in æternitate, quando thro-
nos,dominationes,poteſtates,angelos,totumq; miniſterium cœleſte condiderit? Sequitur:
Et duabus uelabant pedes, non ſuos, ſed dei. Extrema quippe eius ſcire quis poteſt? quid
poſt cõſummationem ſeculi ſit futurum, quid poſtquam genus hominum fuerit iudicatum,
quæ ſequatur uita? an rurſum alia ſit futura terra: & poſt tranſitionem,alia rurſum elemen-
ta, uel alius mundus ſolq; condendus ſit? Priora annunciate mihi, & nouiſſima quæ futura
ſunt,& dicam quia dij eſtis,ait Eſaias,ſignificans neminem poſſe,quid ante mundum fuerit,
& quid poſt mundum futurum ſit,enarrare. Et duabus uolabant. Media tantum cognoſci-
mus, quæ ex ſcripturarum nobis lectione panduntur: quando mundus factus ſit, quando
plaſmatus homo, quando diluuium, quando lex data ſit:ut ex uno homine uniuerſa terra-
rum ſpacia cõpleta ſint:& in extremo tempore,dei filius pro noſtra ſalute ſumpſerit carnem.
Cætera uero quæ diximus,iſta duo Seraphim in facie pedibusq; texerunt.Et clamabant al-
ter ad alterum. Pulchre poſitũ eſt,alter ad alterũ:quicquid enim in ueteri legimus teſtamen-
to,hoc idem in euangelio reperimus: & quod in euangelio fuerit lectitatum, hoc ex ueteris
teſtamenti autoritate deducitur:nihil in eis diſſonũ,nihil diuerſum eſt.Et dicebant:Sanctus,
ſanctus,ſanctus dominus deus ſabaoth.In ambobus teſtamentis trinitas prędicatur.Quod
autem ſabaoth & ſaluator noſter eſſe dicatur, accipe exemplum in uiceſimotertio pſalmo:
Virtutes quæ domino miniſtrabant, ad cœleſtes alias fortitudines proclamabant, ut pan-
dant ianuam domino reuertenti: Tollite portas principes ueſtras: ſiue ut Aquila interpre-

tatus

tatur,attollite portæ capita uestra,& introibit rex glorię.Rursum illę quem indutũ carne con c
spiciunt,nouo mysterio stupefactæ interrogant:Quis est iste rex gloriæ?accipiuntq; respon
sum: dominus uirtutum ipse est rex gloriæ. Quod in Hebræo scribitur, dominus sabaoth.
Sciendumq; quia ubicunq; Septuaginta interpretes,dominum uirtutum & dominum om
nipotentem expresserũt,in Hebręo sit positũ,dominus sabaoth,quod interpretatur Aquila,
dominus militiarum. Dominus quoq; ipse hic quatuor literarũ est,quod proprie in deo po 2
nitur, iod ה he ו ה iod ה he, id est, duabus ia, quæ duplicata ineffabile illud & gloriosum
dei nomen efficiunt. Plena est uniuersa terra gloria eius. Hoc adhuc à Seraphim dicitur de
aduentu domini saluatoris,quomodo in omnem terram prædicatio illius porrigatur:& apo
stolorum sonus,mundi limites penetret.Sequitur:Et eleuatum est superliminare à uoce qua
clamabant.Legimus in ueteri testamento, quod semper dominus Moysi & Aaron ad osti
um tabernaculi sit loquutus,quasi ante euangelium necdum eos in sancta sanctorum intro
duxerit: sicut dei ecclesia postea introducta est,dicens: Introduxit me rex in cubiculum su
um.Quãdo ergo dominus noster descendit ad terras,superliminare illud,id est,quasi quod
dam obstaculum intrare cupientibus, sublatum est: & uniuersus hic mundus fumo imple
tus est, id est, gloria dei. Vbi autem in Latino eleuatum legimus, in Græco sublatum poni
tur. Sed quia uerbi ambiguitas utroq; modo interpretari potest: nostri eleuatum,interpre
tati sunt pro ablato. Et domus impleta est fumo. Deus, ut supra diximus, ignis est: hic cum
in Sina monte descendisset ad Moysen,ad aduentum eius uidebantur lampades discurren
tes, & plenus omnis mons fumo. Vnde in psalmis dicitur: Qui tangit montes & fumigant.
Ex igne ergo,quoniam totam substantiam capere non possumus, leuior quædam in uniuer
sum mundum,&(ut ita dicam)rarior fumi natura dispergitur,quam nos capientes,dicamus:
Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et: Nunc uidemus per speculum in æni
gmate.Et Seraphim stabant in circumitu eius,sex alæ uni,& sex alæ alteri. Quidam Græco
rum in scripturis apprime eruditus, Seraphim uirtutes quasdam in cœlis esse exposuit,quæ d
ante tribunal dei assistentes laudent eum, & in diuersa ministeria mittantur, maximeq; ad
eos qui purgatione indigent,& ob pristina peccata,aliqua ex parte supplicijs purgari meren
tur. Quod autem sublatum est,inquit,superliminare, & domus impleta est fumo, signum
est templi Iudaici destruendi,& incendendæ uniuersæ Hierusalem, quam uidemus nunc de
structam. Nonnulli uero in superioribus consentientes, in extrema parte dissentiunt. Nam
superliminare sublatum illo tempore prædicant,quando uelum templi scissum est,& uniuer
sa domus Israel, erroris nube confusa: quando Iosephus refert sacerdotes ex adytis templi, 3
uirtutum cœlestium audisse uocem, transeamus ex his sedibus. Est uir quidam à quo ego
plura didicisse me gaudeo, & qui Hebræum sermonem ita elimarit, ut inter scribas eorum
Chaldæus existimetur. Is longe alia uia ingressus est:Ait enim nullũ prophetarũ extra Esai
am uidisse Seraphim circa deum stantia,& ne ipsa quidem Seraphim alibi lectitari. Dehinc
consummationis & captiuitatis Hierusalem,quæ sub Nabuchodonosor facta est, signũ esse
præmissum.Ab Ozia quippe sub quo orsus est prophetare, usq; ad Sedechiam qui extre
mus regnauit,& qui cæcus in Babylonem ductus est, fuisse reges undecim,& duodecimum
Godoliam:quem constituerat rex Babylonis super terram,quem interfecit Ismael filius Na
thanael inter medias epulas reliquiarum, patriæ parricida: & has esse duodecim alas,è qui
bus quatuor faciem suam uelent, sicut in nonnullis exemplaribus inuenitur,quatuor uolent,
quatuor pedes contegant. Ex his quippe duodecim regibus tantum quatuor iustos fuisse,
Oziam,Ioathan,Ezechiam & Iosiam,qui sublimes per singulas captiuitates audeant glori
ficare deum: Sanctus, sanctus,sanctus dominus deus sabaoth. Reliquos uero propter pec
cata sua uelare faciem:& alios qui in captiuitatem ducti sunt,pedum uelare uestigia. Super
liminare uero sublatum,& domum impletam fumo,sicut supra diximus, euersionem Hieru
salem & incendium templi exposuit.Et quia semel eius cœpi referre sentẽtiam,etiam ea quæ
necdum à me sunt tacta, contingamus. Forcipem de qua altaris carbo comprehensus est &

labia

A labia purgata, propriam Esaiæ asseruit passionem, qui sub Manasse interfectus est rege: & tunc uere purgatis labijs dixit ad dominum: Ecce ego, mitte me, & dixi: O miser ego, quoniam compunctus sum. Donec Osias uiuit, non intelligis ò Esaia te esse miserum, non cõpungeris, non moueris: sed quando ille mortuus est, tunc animaduertis, non munda habere te labia, tunc indignum cognoscis te esse uisione dei. Vtinam autem & ego compungar, & post compunctionem, dei uisione dignus efficiar: cum sim homo, & non munda labia habeam, & in medio quoq; populi immunda labia habentis habitem. Esaias ut iustus tantum in sermone peccauerat: ideo sola labia habebat immunda, non conscientiã. Ego uero quia & oculis uideo ad concupiscendum, & manu scandalizor & pede, & omnium membrorum parte delinquo, habeo omnia immunda: & quia semel spiritu baptizatus, rursum tunicam pollui, secundi baptismatis purgatione, id est ignis, indigeo. Non sunt, ut quidam putant, in scripturis uerba simplicia, plurimum in his absconditũ est. Aliud litera, aliud mysticus sermo significat. Ecce dominus in euangelio cingitur linteo, peluem ad lauandum discipulorum pedes præparat, serui fungitur ministerio: esto ut doceat humilitatẽ, ut nobis inuicẽ ministremus. non abnuo, non recuso. Quid est quod Petro recusanti dicit: Nisi lauero pedes tuos, non habebis partem mecum? Et ille respondit: Domine, non solum pedes, sed & manus & caput. Ascensurus ergo dominus ad cœlum, quia apostoli ut homines terræ insistentes, adhuc habebant peccatorum sordibus pedes pollutos, uult eos à delictis penitus liberare, ut eis possit prophetalis sermo congruere: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem: & imitari ualeant ecclesiæ uerba, dicentis: Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos: ut etiam si quis post resurrectionem postea his adhæserit puluis, in impiam eum excutiant ciuitatem, in testimonium laboris: quod eò usq; pro omnium salute contenderint, facti Iudæis ut Iudæi, gentibus ut gentiles, ut etiam propria uestigia aliqua ex parte polluerint. Igitur ut ad propositum reuertamur. Sicut apostoli purgatione indigebant pedum: sic Esaias qui tantum in sermone
B peccauerat, labia habebat immunda: & quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem, non corripuerat, nec iuxta Eliæ exemplum libera uoce impium designarat, labia habebat immunda. In medio quoque populi immunda labia habentis habitem. Esaias qui compunctus est, & se miserum contestatur, purgatione dignus efficitur. Populus uero non solum non agens pœnitentiam, sed ne sciens quidem quia labia habebat immunda, purgationis remedium non meretur. Prouidendum igitur sub hoc exemplo, non solum ut ipsi simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur: quia hoc in peccati ac miseriæ parte ducit propheta. Sequitur: Et regem dominũ sabaoth ego uidi. Aiunt Iudæi Esaiam à maioribus suis idcirco interemptum: quia cum Moyses posteriora dei uiderit, hic dominum sabaoth oculis carnalibus uidisse se scribat: super hoc deo dicẽte: Nemo faciem meã uidebit & uiuet. Quos si interrogemus, quomodo se deus in lege alijs prophetis in uisione & somno dicat ostendi, Moysi uero facie ad faciem colloqui: & quomodo stet illa sententia, Nemo faciem meam uidebit & uiuet, cum facie ad faciem se ad Moysen locutum esse fateatur: Respondebunt utique: iuxta possibilitatem humanam deum uisum, non ut est, sed ut uoluit se uideri. quibus & nos dicimus, eodem modo ab Esaia esse uisum, restante summa ut Moyses deum aut uiderit, aut non uiderit. Si uidit, uidit ergo & Esaias, qui uidisse se dicens, impie est interfectus à uobis, quia deus uideri potest. Si non uidit, interficite & Moysen cum Esaia, quia eiusdem mendacij reus est, dicens se uidisse eum, qui uideri nõ potest. Quencũq; in expositione eius loci super Moysen habuerint intellectum, etiam nos ad Esaiæ temperabimus uisionem. Sequitur: Et missum est ad me unum de Seraphim, & in manu sua habebat carbonem, quem forcipe sumpserat de altari, & tetigit os meum & dixit: Ecce tetigi hoc labia tua, & abstulit iniquitates tuas, & peccata tua purgauit. Secundum omnes æditiones, quas supra exposuimus, siue duo testamẽta intelligere uolueris, siue aliquas apparitrices in cœlestibus uirtutes, siue in signum captiuitatis futuræ umbram quandam ueritatis futuræ præfiguratam, hunc accipe Seraphim. Nos quia primam sententiã sequimur, euangelicum testamentũ missum

asserimus

asserimus ad prophetã:quod habens in se utraq; mandata,id est, & sua & ueteris testamen/ c
ti,ignitum sermonem dei,duplici præceptorum acie comprehendit:& tactis labijs, quicquid
fuerat ignorantiæ,hoc siquidem nos labia interpretamur immunda, purgationis suæ pepu/
lit ueritate.Hanc forcipem Iacob in scala conspicit:hic est gladius bis acutus: hæc duo minu/
ta, quæ mulier mittit in dona dei: hic stater duos denarios habens, qui in ore piscis repertus,
pro domino & Petro redditur:hac duplici forcipe quæ unionis retinetur uirtute, carbo com/
prehensus mittitur ad prophetam,quem in centesimodecimonono psalmo (cum propheta
deum rogaret, dicens: Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa: &
post interrogationem spiritus sancti:Quid detur tibi,aut quid apponatur tibi ad linguã do/
losam,dictũ est:Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs) scimus prophetæ esse
concessum. Vere quippe desolatorius carbo,qui linguam puram facit à peccato, sermo diui/
nus est:de quo & in Esaia dicitur:Habes carbones ignis,sedebis super eos, hi erunt tibi in ad
iutorium.Sequitur:Et audiui uocem domini dicẽtis,quem mittam, & quis ibit ad populum
istum?Et dixi:Ecce ego,mitte me.Et ait: Vade & dic populo huic:Aure audietis,& non intel/
ligetis.Interrogantis sunt uerba domini non iubentis, quem debeat mittere,& quis iturus sit
ad populum. cui facilis propheta respondet: Ecce ego, mitte me.& post pollicitationem iu/
betur,ut dicat: Vade & dic populo huic: Aure audietis,& nõ intelligetis, & cernentes aspicie/
tis,& non uidebitis: & cætera quæ ipsius prophetiæ sermo contexit. Audiui ego in hoc loco
non paruam Hebræi mei disputationem,cuius pauca ponam, ut sensum hominis aduertas.
Aiebat,de Moyse & Esaia, quis melius fecerit, requiramus. Vtrúm ne Moyses qui cũ à deo
mitteretur ad populum ait:Precor domine non sum dignus:& rursum,prouide alium quem
mittas:An Esaias:qui cum non fuisset electus,ultro se obtulit,dicens:Ecce ego,mitte me.Nec
ignoro,dicebat,periculosum esse de sanctorũ meritis disputare,& aliquid uel minus uel plus
differere uelle,de eo quem dominus coronauit:sed quia ipse dixit:Quęrite & inuenietis,pul/
sate & aperietur uobis:etiã nos,non ut de aliquo detrahamus, sed ut scripturæ sensum scien/ D
tes ad eius nos dirigamus exempla,debemus inquirere quod potest facere quæstionẽ. Qui
Moysi,inquit,assertor est,humilitatem eius prędicat ac mansuetudinem,quod se indignum
iudicãs ministerio dei,maior effectus sit.Esaias uero,quia ultro se obtulit,incipiẽs propheta
re,à maledictis cœpit:Aure audietis,& nõ intelligetis &c. Ob quod inde multa mala perpes/
sus, & ab omni populo pro insano habitus, cum iterum ei uox diuina dixisset, clama: sciens
quid superiori facilitate seipsum offerens pertulisset,nõ ait:Ecce ego,mitte me,sed interroga/
uit quid illud esset quod clamare deberet,& dixit. Quid clamabo? Cui simile est illud in Hie
remia:Accipe calicem meri huius de manu mea,& potionabis omnes gentes,ad quas ego te
mittam,& bibent & uoment,& insanient,& cadent à facie gladij, quem mittam in medio eo
rum. Quod cum audisset propheta,non renuit:non secundum exemplum Moysi dixit: pre/
cor domine non sum dignus, prouide alium quem mittas: sed amator populi sui, & putans
quia ex potu calicis inimicæ gentes interficerentur & ruerent, calicem meri libenter accepit,
non intelligens in omnibus gentibus etiam Hierusalem comprehendi.Denicq; inter cæteras
nationes: Et accepi, ait, calicem de manu domini, & potionaui omnes gentes, ad quas mi/
sit me dominus,& Hierusalem & ciuitates Iuda, & reges eius & principes eius,ad ponendas
eas in desolationem, & in inuium & sibilationem. Pro qua prophetia,licet in pleriscq; codici/
bus ordo sit peruersus, quid in alio loco dicat ausculta. Seduxisti me domine, & seductus
sum,tenuisti me & posuisti,factus sum in derisum tota die, exiui in subsannationem.Et econ
trario qui assertor est Esaiæ(dicebat)illa proferet:prophetam,non tam sui merito, quàm mi/
sericordia dei confisum,postquam à Seraphim audierat, ecce tetigi hoc labia tua, & abstulit
iniquitates tuas,& peccata tua purgat:ocio noluisse torpere,sed ultro in ministeriũ dei, quasi
à peccatis liberũ,zelo se obtulisse fidei.Moysen uero quia secularibus eruditus fuerat discipli
nis, & interfecto Aegyptio conscientia eius aliqua ex parte sorduerat, unde & uox ad eum
de rubo facta sit,dicens: Ne accesseris huc,solue calciamenta de pedibus tuis, locus enim in

quo

A quo ſtas, terra ſancta eſt: & ſcierat ſibi aduerſus magos & aduerſus Pharaonem peſſimũ re/
gem futurum eſſe certamen, ſe excuſaſſe dicentem: Precor domine non ſum dignus: pro quo
in Hebræo legitur, non habeo labia circunciſa, Septuaginta interpretibus potius quæ dixi
uerbum de uerbo exprimentibus. Ex quo manifeſte poſſit intelligi, Eſaiam recte poſt circun
ciſa labia, in dei ſe obtuliſſe miniſteriũ, & Moyſen adhuc incircunciſis labijs tam grande mi/
niſterium recuſaſſe. Aure audietis, & non intelligetis: & cernentes aſpicietis, & non uidebitis.
Totus hic locus ſicut ſaluator dicit in euangelio, ad id pertinet tempus, quo ipſe eſt dignatus
deſcendere ad terras, & ſigna Iudæis non intelligentibus perpetrauit. Et quoniam uſq; ad fi/
4 nem capituli, explanatio multiplex ſequitur: & excipientis iam explicuimus ceras: hucuſq; di
ctaſſe ſufficiat: quia & oratio, quæ non propriæ manus ſtilo expolitur, cum per ſe inculta eſt,
tum multo moleſtior fit, ſi tædium ſui prolixitate congeminet: ut oculorum dolore cruciati,
auribus tantum ſtudeamus & lingua.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Explicat myſterium Seraphim & calculi candentis, quam ſumpſit angelus de altari ex uiſione Eſaię
prophetæ.

SCHOLIVM

1 Τὸ πνεῦμα.) Id eſt, ſpiritus, à πνέω ſpiro. Quam idioma.) ἰδίωμα, proprietas. Omni puritate le
uiſſimi.) Ego hic, uel refragãtibus exemplaribus, omni parte lego, pro omni puritate: leuiſſimi autem
per u non per n, ut legunt complures. Eſt autem ſuperlatiuum à leuis prima producta, quod ſignificat,
id quod eſt minime aſperũ. Calculus igitur omni ex parte leuis eſt, ut elabatur, nec teneri queat. ἄν/
2 θραξ.) Anthrax Græce carbo eſt, ἀνθράκιον, carbunculus. Quas Iudæi ἀδυτερώσεις.) Id eſt, ſecun/
darias traditiones, quemadmodum alibi oſtendimus, & ἀδυτερεῖν ſecundare, hoc eſt eiuſmodi ſecun
daria tradere.

HIERONYMVS AD DAMASVM PAPAM

B Septuaginta: Et miſſum eſt ad me unum de Seraphim, Aquila & Theodotion,
& uolauit ad me unũ de Seraphim. Quotidie ad nos mittitur Seraphim, quo/
tidie ingemiſcentium atq; dicentium: O miſer ego, quoniam compunctus ſum,
ora purgantur: & cum à peccatis fuerint liberati, præparant ſe miniſterio dei.
Quod autem cæteri interpretes pro, miſſum eſſe, uolare dixerint: intellige uelocem diuini ſer
monis aduentũ ſuper eos, qui digni ſocietate illius iudicãtur. In genere quoq; diuerſitas eſt.
Septuaginta, Aquila, & Theodotion, Seraphim neutro genere tranſtulerunt, Symmachus
maſculino. Nec putandum ſexum eſſe in uirtutibus dei, cum etiam ipſe ſpiritus ſanctus ſe/
cundum proprietates linguæ Hebrææ, fœminino genere proferatur Ruha רוּחַ Græce neu
1 tro τὸ πνεῦμα, Latine maſculino, ſpiritus. Ex quo intelligendum eſt, quando de ſuperioribus
diſputatur, & maſculinum aliquid ſeu fœmininum ponitur, nõ tam ſexum ſignificari, quàm
idioma ſonare linguæ. Siquidem ipſe deus inuiſibilis & incorruptibilis, omnibus penè lin/
guis profertur genere maſculino: cum in eum non cadat ſexus. Illorum quoq;, pius licet, atta/
men coarguendus error, qui in orationibus & oblationibus ſuis audent dicere: Qui ſedet ſu/
per Cherubim, & Seraphim. Nam & ſuper Cherubim ſedere deum, ſcriptum eſt, ut ibi: Qui
ſedes ſuper Cherubim, oſtendere. Super Seraphim uero ſedere deum, nulla ſcriptura com/
memorat, & ne ipſa quidem Seraphim, circa deum ſtantia, excepto præſenti loco, in ſcriptu/
ris ſanctis omnibus inuenimus. Septuaginta: Et in manu habebat carbonem, quem forcipe
acceperat de altari, & tetigit os meum. Aquila & Theodotion: Et in manu eius calculus in for
cipe, quem acceperat de altari, & tetigit os meum. Symmachus: Et in manu eius calculus in
forcipibus, quem ſumpſerat de altari, & detulit ad os meum. Quantum ad hiſtoriam perti/
net, uidetur deus ſedere in templo Hieruſalem, & ante eum de altari, ſecundum Septuagin/
ta, ad Eſaiam carbo deferri: de altari uero incenſi ſiue holocauſtorum. Quantum autem ad
myſticos intellectus, ille ei ignis mittitur, quem Hieremias ferre non poterat: qui cum animæ
noſtræ arcana penetrarit, ita nos diſſoluit, ita à ueteri homine in nouum excoquit: ut in illam
uocem poſſimus erumpere: Viuo autem iam non ego, ſed gratia dei quæ in me eſt. Forcipes

quoq; ſecundum interpretes cæteros,licet in ſacerdotali ſemper ſupellectile fuerint, diuerſas c
gratias debemus accipere,quibus multifarie, & multis modis,olim deus patribus noſtris lo-
cutus eſt in prophetis. Quia in Hebræo pro carbone, calculus legitur, cæteris quoq; ſuper
hoc conſonantibus:uidetur mihi ſermo diuinus calculi appellatione ſignari. Sicut enim cal-
culus genus eſt lapidis duriſſimi & rotundi & omni puritate leuiſſimi:ita ſermo dei,qui neq;
hæreticorum, neq; omnium aduerſariorum poteſt contradictionibus cedere: calculus di-
citur.De hoc calculo Sephora filium circuncidit:& Ieſus populum purgat à uitijs: & in Apo
calypſi dominus pollicetur uincentibus,ut accipiant calculum & ſcribatur ſuper eum nomen
nouum. Videntur autem mihi & Septuaginta in eo quod ἄνθρακα tranſtulerunt, idem ſen-
ſiſſe quod cæteri. ἄνθραξ quippe quem nos carbunculũ interpretamur, genus eſt lapidis ful-
gidi atq; nitentis:quẽ etiã in duodecim lapidibus inuenimus.Siue igitur calculũ ſiue carbun-
culum lapidem accipimus, in calculo diuini ſermonis ueritas & rigor, in carbunculo lucens
doctrina & manifeſta monſtratur. Eloquia enim domini,eloquia caſta,argentum igne pro-
batum terræ,purgatum ſeptuplum.Et alibi:Mandatum domini lucidum,illuminans oculos.
Quod autem ait,in manu habebat carbonem: manum intelligamus operationem:ut ibi,In
manu linguæ, mors & uita:& in pſalmo: Cadent in manu gladij. Aut certe uere manus ap-
paruit: ut per ſimilitudinem humanæ formæ, dum manus cernitur porrigentis, propheta
non timeat: iuxta quod & ipſum deũ & angelos in humanas uidimus ſe mutaſſe formas, ut
metus uidentibus demeretur. Septuaginta: Et dixit, ecce tetigi hoc labia tua, & auferet
iniquitates tuas & peccata tua purgabit. Aquila:Ecce tetigit hic labia tua, & recedet iniquitas
tua, & peccatum tuum propitiabitur. Cæteri interpretes in Aquilæ uerba conſentiunt, Pri-
mum neceſſe eſt, ut labia noſtra tangantur: deinde cum tacta fuerint, fugetur iniquitas: &
cum iniquitas fuerit effugata, propicietur dominus: quia apud ipſum eſt propiciatio: & ſe-
cundum Apoſtolum: Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris. Purgatis autem peccatis no-
ſtris, audiemus uocem domini dicentis: quem mittam? Et reſpondebimus: Ecce ego, mitte d
me. Septuaginta:Et audiui uocem domini dicentis,quem mittam, & quis ibit ad populum
iſtum? Aquila, Theodotion & Symmachus: Et audiui uocem domini dicentis: quem mit-
tam? & quis ibit nobis? De cõparatione Eſaiæ & Moyſi,quomodo alius miniſterium recu-
ſarit, alius ultro ſe offerens dura perpeſſus ſit, in alio loco diſputabimus. Sed ne uideremur
aliquid præteriſſe eorũ, quas Iudæi uocant διατρώσεις, & in quibus uniuerſam ſcientiam 2
ponunt:nunc breuiter illud attingimus, quare in Hebræo ſit poſitũ, & quis ibit nobis? Sicut
enim in Geneſi dicitur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã: ita & hic
puto dictum,& quis ibit nobis? Nobis autem quibus alijs exiſtimandum eſt,niſi patri & fi-
lio & ſpiritui ſancto, quibus uadit quicunq; eorum obſequitur uoluntati? Et in eo quidem
quod unius loquentis perſona proponitur,diuinitatis eſt unitas.In eo uero quod dicitur no-
bis,perſonarum diuerſitas indicatur. Legimus in canticis canticorum uocem ſponſi dicentis
ad ſponſam. Surge ueni proxima mea, ſponſa mea,columba mea:quia ecce hyems tranſijt,
pluuia abijt ſibi. Quando enim anima in cogitatione tranquillitatem ſentit, quando ſupra
petram fundata eſt, & fides eius alta radice fixa eſt: uniuerſi tentationum fluctus, ſibi per-
tranſeunt,& ei non pertranſeunt,qui tentatur.Notandum autem quomodo ad id quod do-
minus dixerat, quem mittam, & quis ibit nobis: propheta ex parte reſponderit: Ecce ego,
mitte me:& de ſequenti tacuerit, intelligens nullum hominem dignum eſſe, qui deo perge-
ret,& omne iter ſuum eius faceret eſſe qui mitteret.Quam humilitatem dominus aduertens,
quod ſe ſecundis putaret indignum,imperauit ſequentia,dicens: Vade. Septuaginta:Et di-
xit:Ecce ego ſum,mitte me.Aquila & Theodotion:Ecce adſum,mitte me.Symmachus:Ecce
mitte me.Deus qui uocat ea quæ non ſunt quaſi ſint,& qui dixit:Ecce ſum qui ſum: Et alibi:
Qui eſt, miſit me: quoſcunq; uocauerit, ſtatim facit ſubſiſtere: quod ſatis claret exemplis in
uiuente Matthæo euangeliſta,& in Lazaro quatriduano iam mortuo:qui ſtatim ut ſunt uo-
cati à domino, & ille ſepulchrum auaritiæ reliquit, & ille ſuæ mortis. Quoniam omnia quæ
abſq;

A abſq; eo ſunt,non ſunt. Vnde propheta purgatus à uitijs auſus eſt dicere:Ecce ego ſum: licet in Latinis codicibus propter interpretum uarietatem, ſum,non ſit appoſitum . Quidam obſeruandum putant , ad quos prophetas mittentis , aut miſſi ſermo dicatur , quod eſt Græce apoſtolus . Et hanc eſſe differentiam uolunt , ut quicunq; mittantur , & prophetæ ſint pariter & apoſtoli:ad quos uero mittentis ſermo non ponitur, tantum prophetæ ſint, quod ego ſuperfluum puto. Et quia ſemel ad tractatum iſtius uocabuli uenimus,ſciendum, Silam collegam Pauli lingua Hebræa apoſtolũ dici : qui cum eo nonnullas epiſtolas ſcribit. Et uitioſe Syluanus legitur pro Sila: cum Syluanũ in apoſtolorũ actis non legamus.

DAMASVS HIERONYMO

COmmentaria cum legerem Græco Latinoq; ſermone in euangeliorũ interpretatione,à noſtris,id eſt,orthodoxis uiris olim ac nuper ſcripta , de eo quod legitur,oſanna filio Dauid : non ſolum diuerſa , ſed etiam contraria ſibimet proferunt.Dilectionis tuæ eſt,ut ardẽti illo ſtrenuitatis ingenio, abciſis opinionibus, ambiguitatibusq; ſcrupuloſis,quid ſe habeat apud Hebræos uiuo ſenſu ſcribas,ut de hoc ſicut de multis,tibi curæ noſtræ in Chriſto Ieſu gratias referant.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Quoniam uocem Hebraicam , Oſanna Euangeliſtæ reliquerunt , & celebres alioqui ſcriptores uehementer cæcutierunt ob linguarum imperitiam , Hieronymus à Damaſo Romano pontifice conſultus ſuper hac re,explicat.

HIERONYMVS DAMASO PAPAE

MVlti ſuper hoc ſermone diuerſa finxerũt,è quibus noſter Hilarius in commentarijs Matthæi,ita poſuit: Oſanna Hebraico ſermone ſignificat redemptio domus Dauid . Primum redemptio lingua Hebræa פְּרוּת pheduth interpretatur . Deinde domus beth בֵּית Dauid uero in hoc loco non eſſe nomen inſertum,omnibus patet.Alij opinati ſunt Oſanna gloriam dici.Porrò gloria cabod כָּבוֹד appellatur.Nonnulli gratiam,cum gratia תּוֹדָה thoda,ſiue hanna חַנָּא nuncupetur . Reſtat ergo ut omiſſis opinionum riuulis,ad ipſum fontem: unde ab euangeliſtis ſumptum eſt , recurramus.Nam quomodo illud neq; in Græcis , neq; in Latinis codicibus poſſumus inuenire, ut compleretur id quod dictum eſt per prophetas:Quoniam Nazareus uocabitur:Et illud:Ex Aegypto uocaui filium meum:ita & nunc ex Hebręis codicibus ueritas exprimenda eſt: unde in hanc uocem uulgus & maxime conſona inter ſe paruulorum turba,proruperit, dicente Matthæo:Turbæ autem quæ præcedebant,& quæ ſequebantur,clamabant dicentes:Oſanna filio Dauid:benedictus qui uenit in nomine domini, oſanna in excelſis . Marcus uero ita poſuit : Clamabant dicentes, oſanna,benedictus qui uenit in nomine domini : benedictum quod uenit in nomine domini regnum patris noſtri Dauid, oſanna in excelſis. Ioannes quoque pari uoce conſentit: Et clamabant, oſanna, benedictus qui uenit in nomine domini rex Iſrael. Solus Lucas uerbum oſanna non poſuit : in reliqua interpretationis parte conſentiens . Benedictus qui uenit rex in nomine domini , pax in cœlo , & gloria in excelſis . Igitur ut diximus ipſa Hebræa uerba ponenda ſunt , & omnium interpretum opinio digerenda, quo facilius quid ſuper hoc ſentiendum ſit: ex retrectatione cunctorum ipſe ſibi lector quid ſequatur inueniat . In centeſimo decimoſeptimo pſalmo , ubi nos legimus: O domine ſaluum me fac , ô domine bene proſperare : Benedictus qui uenit in nomine domini : In Hebræo legit:Anna adonai oſianna, anna adonai hazelihanna : baruch habba baſem adonai אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא ׃ בָּרוּךְ הַבָּא בְּשֵׁם יְהוָה Quod Aquila,Symmachus, Theodotion, & Quinta æditio , ne quid in Latino mutare uideamur, ita exprimũt: ὦ κύριε σῶσον δή,ὦ κύριε εὐόδωσον δή,εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος,ἐν ὀνόματι κυρίου. Sola ſexta ęditio cum interpretibus ſeptuaginta,ita cõgruit:ut ubi cęteri poſuerũt ὦ δή illi ſcripſerint ὦ. Et quia oſianna,quod nos corrupte propter ignorantiam,dicimus, oſanna,ſaluifica, ſiue ſaluum fac

exprimatur,omnium interpretatione ſignatum eſt.Nũc illud in cura eſt, quid ſine adiectio/ c
ne ſaluandi, ſolus anna ſermo ſignificet. Sciendumq;, quod in hoc loco ter dicatur anna,& primum quidem ac ſecundũ hic eiſdem literis ſcribitur, aleph, nun, he. Tertium uero, heth, nun,he.Symmachus igitur qui in centeſimo decimoſeptimo pſalmo cum omnium interpre tatione conſenſerat,ut nobis manifeſtiorem tribueret intellectum,in centeſimo decimoquar to pſalmo,ubi dicitur: O domine libera animã meam:ita interpretatus eſt: obſecro domine libera animam meam. Vbi autem Septuaginta ὦ, & ille obſecro tranſtulit, Aquila & cæte/ ris æditionibus ὡσὰν interpretantibus, in Hebræo ſcribitur anna. Verum ita ut in principio aleph habeat,non heth,Ex quo animaduertimus, ſi ex aleph ſcribatur anna, ſignificari ob/ ſecro. Si autem ex heth, eſſe coniunctionem,ſiue interiectionem: quæ apud Græcos poni/ tur σχετλιαστικῶς. Cuius interpretationem latinus ſermo non exprimit. Sed quoniam 5
hæ minutiæ & iſtiuſmodi diſputationis arcanum propter barbariem linguæ pariter ac litera rum,legenti moleſtiam tribuunt,ad explanandi compendium uenio:ut dicam de centeſimo decimo ſeptimo pſalmo,qui manifeſte de Chriſto prophetat, & in ſynagogis Iudæorũ cre/ berrime legebatur, unde & populis notior erat, hos uerſus eſſe aſſumptos,quod ille qui re/ promittebatur de genere Dauid,uenerit ſaluaturus Iſrael,dicente Dauid:Lapidem quem re probauerunt ædificantes,hic factus eſt in caput anguli.A domino factus eſt hic,& eſt mira/ 6
bilis in oculis noſtris. Hæc eſt dies quam fecit dominus, exultemus & lætemur in ea. O do mine ſaluum me fac,ô domine bene proſperare:benedictus qui uenit in nomine domini.Be nediximus uobis de domo domini,deus dominus & illuxit nobis. Vnde & euangeliſtarum ſcriptura commemorat phariſæos & ſcribas ſuper hoc indignatione commotos, quòd uide/ rent populum pſalmi prophetiam ſuper Chriſto intelligere completam, & clamantes pue/ ros,oſanna filio Dauid,dixiſſe ei: Audis quid iſti loquũtur? Et Ieſum reſpõdiſſe: Nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem: centeſimum decimumſepti/ mum pſalmum, octaui pſalmi aſſertione firmantem. Et de eo quidem quod facile exprimi 8
poterat:Benedictus qui uenit in nomine domini,omnium euangeliſtarum ſcriptura conſen/ tit.De uerbo autem oſianna,quia in Græcum non poterant transferre ſermonem: ſicut in al/ leluia & in amen,& in pleriſq; factum uidemus, ipſum Hebræum poſuerunt dicentes oſian/ na.Lucas igitur qui inter omnes euangeliſtas Græci ſermonis eruditiſſimus fuit,quippe me/ dicus,& qui euangeliũ Græcis ſcripſerit, quia ſe uidit proprietatem ſermonis transferre non poſſe,melius arbitratus eſt tacere,quàm id ponere quod legenti faceret quæſtionẽ.Ad ſum/ mam,ſicuti nos in lingua Latina habemus interiectiones quaſdam, ut inſultando dicamus, uah,& in admirando,papæ,& in dolendo,heu:& quando ſilentium uolumus imperare,ſtri ctis dentibus ſpiritũ coartamus & cogimus, inſonando ſcilicet ſibilum: ita & Hebræi inter reliquas proprietates linguæ ſuæ habent interiectionem, ut quando uolunt dominum de/ precari,ponant uerbum petentis affectu,& dicant: Anna domine, quod Septuaginta dixe/ runt,ô domine.Hoſiath,ergo ſaluifica interpretatur.Anna interiectio deprecantis eſt.Si ex duobus his uelis compoſitum uerbum facere, dices, hoſianna, ſiue(ut nos loquimur) oſan/ na,media uocali litera eliſa:ſicuti facere ſolemus in uerſibus Vergilij,quando pro, Méne in/ cœpto deſiſtere uictam:ſcandimus, Men incœpto. Aleph nanq; litera prima uerbi ſequen/ tis,extremam uerbi prioris iod inueniens, excluſit. Quapropter ut ad quæſtionis originem reuertamur:ubi nos legimus in Latino,O domine ſaluum me fac,ô domine bene complace: benedictus qui uenit in nomine domini,iuxta Hebræum ſenſum legere poſſumus, obſecro domine ſaluum fac, obſecro domine proſperare. Benedictus qui uenit in nomine domini. Saluum autem fac dicitur,ut ſubaudiamus populum tuum Iſrael,ſiue generaliter mundum. Deniq; Matthæus qui euangelium Hebræo ſermone cõſcripſit,ita poſuit הוֹשִׁיעָה נָּא בַּרְמִיּוֹת 7
oſanna berama,id eſt,oſanna in excelſis,quod ſaluatore naſcente,ſalus in cœlum uſq;,id eſt, etiam ad excelſa peruenerit,pace facta,non ſolum in terra,ſed & in cœlo:ut iam dici aliquan do ceſſaret: Inebriatus eſt gladius meus in cœlo. Hæc interim iuxta mediocritatem ſenſus

mei

A mei breuiter ſtrictimq; dictaui. Cæterum ſciat beatitudo tua in iſtiuſmodi diſputationibus moleſtiam in legendo non debere ſubrepere: quia facile & nos potuimus aliquid ementiri, quod ex una uoce ſolueret quęſtionem, ſicut & cæteros feciſſe mõſtrauimus: ſed magis conuenit, ob ueritatem laborare pauliſper, & peregrino aurem accommodare ſermoni, quàm de aliena lingua fictam falſámue referre ſententiam.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 PRimum redemptio.) Palàm reiecit interpretamentum Hilarij, uiri alioquin & eloquentis & eruditi, Græci pariter ac Latini ſermonis gnari. Verum quoniam Hebraice prorſus neſciebat, apparet ab Hebræo quopiam irriſum fuiſſe, qui ſciſcitanti, quid ſignificaret hęc uox oſanna, reſponderit redemptio domus Dauid, cum nihil huiuſmodi ſonet apud Hebræos, quibus redemptio dicitur, pheduth פדות & beth, בית domus. Porrò cum Dauid nomen proprium ſit, quod in aliena quoq; lingua maneat, palàm eſt in hac dictione oſanna, nuſquã eſſe Dauid. Errat hic conſimili errore diuus Ambroſius. Neq; multo tolerabilius lapſi ſunt, qui dixerunt, oſanna ſignificare gloriam, cum Hebræi gloriam appellent, cabod כבוד Rurſum qui putarunt ſignificare gratiam, cum ea dicatur thoda תודה ſiue חנה hanna. Vnde negat operæpreciũ referre, quid quiſq; ſuper hac re ſenſerit. At theologi nonnulli qui de filiationibus diſputant, nihil ad rem exiſtimant pertinere, uocem quam in euãgelio Chriſti legimus, & toties canimus in templis, intelligere quid ſibi uelit, perinde quaſi grammaticum ſit hoc & humile, parumq; dignum theologo. At non puduit tantum pontificem hoc ab Hieronymo diſcere. Quanq; ſcriptura, quam hodie uidemus in libris Hebræorum, nonnihil uariat ab his quę diuus Hieronymus tradit de uerbis oſianna. In his em̃ hiſce literis ſcribũtur הושיעה נא

2 Quoniam Nazareus uocabitur.) Ita Matthæus capite ſecũdo: Vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetas, quoniam Nazareus uocabitur. Hieronymus negat id uſquã in certo reperiri loco, niſi quod Nazareus apud Hebræos ſignificat ſanctum, & paſſim in diuinis literis Chriſtus prædicatur ſanctus. niſi quis malit ad Eſaiam referre qui ſcripſit: Exiet uirga de radice Ieſſe, & Nazareus de radice eius aſcendet. Sic enim quidam interpretati ſunt, ut admonet Hieronymus, undecimum huius prophetæ caput enarrans.

3 Ex Aegypto uocaui filium.) De quo mox docebit. Pax in terra.) Sic pleriq; codices habebant, ſed uetuſtiſſimi habent, pax in cœlo, conſentientes cum Græcis, εἰρήνη ἐν οὐρανῷ. In Hebræo legitur.) Nempe in pſalmo centeſimo decimoſeptimo, cuius initiũ: Cõfitemini domino quoB niam bonus, qui uocem continet eccleſiæ Chriſtum magnificantis pro redemptione fidelium. Porrò Hebræa ſic habent: אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא ׃ ברוך הבא בשם יהוה quæ quidem Latine propemodum ita ſonant: Obſecro domine, ſalua obſecro, obſecro domine, proſperare obſecro, Benedictus qui uenit in nomine domini. O domine ſaluum me fac.) Græca ſic habent in æditione uulgata apud Græcos, quam opinor Septuaginta, ὦ κύριε σῶσον δή, ὦ κύριε εὐόδωσον δή, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος, ἐν ὀνόματι κυρίου, id eſt, ô domine ſerua iam, ô domine proſpera iam. Benedictus ueniens in nomine domini. Sic enim ad uerbum uertimus. Noſtri interpretes omiſerunt δή, tanquã conIunctionem expletiuam, tamen habet urgens quiddam apud Græcos, quaſi Latine dicas, tandem aut denique. Porrò εὐόδωσον, compoſitum eſt à proſperitate uiæ. Nam ὁδὸς uia, εὖ bene, inde εὐοδόω: unde & Latini proſperitatem ſucceſſum uocant, & procedere proſpere agere. Item in primo pſalmo. Et

4 quæcunq; faciet proſperabuntur, uerbum eſt εὐοδωθήσονται, id eſt, proſperum iter habebũt. Vt ubi

5 cæteri poſuerunt ὡσὰν.) Alij codices habent ὠὰ, quæ uidetur exultantis interiectio. Quæ apud Græcos ponitur.) Hic locus in omnibus exemplaribus ita deprauatus eſt, ut non poſſim liquido conijcere. Quanquam ex elementorum ueſtigijs ita legendum arbitror. ἱκέσιως ὡς ἄναξ, id eſt, deprecationis, ut ἄναξ, quæ uox apud Græcos aliquando eſt obſecrantis, præſertim apud poetas. Verum hanc coniecturam meam protinus reijciat, qui probabilius aliquid inuenerit. Quidam aſſcripſerat poſt uerbum, ponitur χειτλιασϊκῶς, magis ſuam, ut opinor, coniecturam, quàm exemplaria ſecutus. A do-

6 mino factum eſt hoc.) Animaduerte manifeſtam huius loci depraUationem. Nam & Græca pſalmorum æditio ſic habet, & antiqua Hieronymi exemplaria conſentiunt. A domino factus eſt hic, ut ſubaudias angulum, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ, id eſt, hic factus eſt in caput anguli. A domino factus eſt hic, & eſt mirabilis in oculis noſtris. Nec pronomẽ αὕτη referri poteſt ad lapidem, cum lapis ſit maſculini generis, angulus fœminini generis, cuius & αὕτη. Niſi

7 forte iuxta proprietatem ſermonis Hebraici fœmininũ genus poſitum eſt uice neutri. Deniq; Matthæus.) Ex hoc loco colligitur argumẽtum, Matthæum Hebraice ſcripſiſſe ſuum euangelium: ex quo & Hieronymus ipſa Hebraica ponit. Quanquam mirum eſt hoc euangelium nõ extare. Magis autem mirum, quod eius teſtimonium non adducat & aliàs, quum res efflagitat & illius autoritatem.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Exponit Parabolam euãgelicam de filio prodigo & filio frugi. Eſt alter libellus eiuſdem argumenti, ſed falſo inſcriptus Hieronymo, cum reperies in ſuo tomo.

SCHOLIA C

Καὶ λιμὸς ἰσχυρὸς κατὰ τὴν χώραν ἐκείνην.) Id est, diuisit illis substantiã, siue victum, siue uitam. Nam βίος hæc omnia significat. Fames autem.) Hic quoq; locus in omnibus est deprauatus, quem non absq; labore, 1
multa collatione restitui. Legendum est autem ad hunc modum, Fames autem μετὰ ἐκτάσεως ἰσχυρὸς, 2
id est, fames cum intentione ualida. Sentit autem Hieronymus, non simpliciter dictum esse famem, sed cum exaggeratione, ualidã famem, hoc enim addit Lucas ἰσχυρὸς. Vni de principibus.) Nescio an memoria lapsus sit Hieronymus, Nam Lucę xvij, nulla est mentio de principibus, sed de ciuibus. Græce πολιτῶν. Nisi forte ciuem diuitem & administrantem rempublicam dixit principem. Nam olim opifices nec habebantur pro ciuibus, nec ad reipublicæ administrationem admittebantur. Ad manducandum idolothica.) Ita legitur uulgò etiam in templis, sed deprauate, cum legi debeat εἰδωλόθυτα, id 3
est, idolis immolata. ab εἴδωλον simulacrum, & θύω sacrifico.

HIERONYMVS DAMASO

BEatitudinis tuæ interrogatio disputatio fuit: & sic quæsisse, quærendo uiam est dedisse quæsitis. Sapienter quippe interroganti, sapientia reputabitur. Ais, quis est iste in euangelio pater, qui duobus filijs substantiam diuidit? Qui duo filij? Qui maior? qúiue minor? Quomodo minor acceptam substantiam, cum meretricibus dissipat? Fame facta, à principe regionis præponitur porcis, siliquas comedit, ad patrem redit, Accipit anulum & stolam, & immolatur ei uitulus saginatus. Quis sit maior frater, & quomodo de agro ueniens, susceptioni fratris inuideat, & cætera quæ in euangelio plenius explicantur. Addis insuper: Scio multos in hac lectione diuersa dixisse: & fratrem maiorem, Iudæum: minorem existimasse gentilem populum. Sed quæro, quomodo Iudaico populo possit aptari: Ecce tot annis seruiui tibi, & nunquam mandatum tuum præterij, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer? Et illud: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Si autem, ut ais, de iusto & peccatore uoluerimus esse parabolam, iusto non poterit conuenire, ut de salute alterius & maxime fratris cõtristetur. Si enim inuidia diaboli, mors introiuit in orbem terrarum, & imitantur eum qui sunt ex parte eius, nunquid personæ iusti tam immanis inuidia poterit coaptari, ut foris steterit, & clementissimo patri D
rigidus obstiterit, solusq; liuore cruciatus, lætitiæ domus interesse noluerit? Itaq; sicut in cæteris parabolis, quæ non sunt à saluatore dissertæ, quã ob causam dictæ sint, solemus inquirere: ita & in hac facere debemus: quare dominus in istiusmodi uerba proruperit: & ob quam interrogationem, responsionis similitudo prolata sit. Scribæ & pharisæi murmurabant, dicentes: Quare hic peccatores recipit & uescitur cũ eis? Superior quippe sermo præmiserat: Erant autem accedentes ad eum publicani & peccatores, uolentes audire eum. Itaq; hinc omnis inuidia, cur quos legis præcepta damnarent, eorum confabulationem atq; cõuiuium, dominus non uitaret. Et hæc Lucas. Cæterum Matthæus ita loquitur: Cum autem discumberet in domo: ecce multi peccatores & publicani uenientes recumbebãt cum Iesu, & cum discipulis eius. Quod uidentes Pharisæi, dicebãt discipulis eius, quare cum peccatoribus & publicanis manducat magister uester? Qui audiens dixit: Non necesse habent sani medico, sed male habentes. Euntes autem discite quid sit, misericordiam uolo, & non sacrificium: non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Marcus quoq; in eadem uerba consentit. Igitur ut diximus omnis ex lege quæstio nascebatur. Lex quippe iusticiæ tenax, clementiã non habebat: sed quicunq; adulter, homicida, fraudator, & ut breuiter dicam mortali crimine tenebatur, nulla uenia pœnitentiæ laxabatur à crimine, oculum pro oculo, dentem pro dente, animam pro anima iubebantur exoluere. Omnes itaq; declinauerant, simul inutiles facti erant: non erat qui faceret bonum, non erat usq; ad unũ. Vbi autem abundauit peccatũ, superabundauit gratia. Et misit deus filiũ suum factũ ex muliere, qui destructo medio pariete, fecit utraq; unũ, & austeritatem legis, euangelij gratia temperauit. Vnde & Paulus ad ecclesias scribens: Gratia uobis, inquit, & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo: gratia, quæ non ex merito retributa, sed ex donante cõcessa est. Pax uero qua reconciliati deo sumus, habentes propiciatorem dominum nostrum Iesum Christũ, qui donauit nobis delicta nostra, & deleuit chirographũ mortis, quod erat cõtra nos, affigens illud cruci, & principatus & potestates

fecit

A fecit oſtentui, triumphans eas in ligno. Quæ autem maior poteſt eſſe clementia, quàm ut filius dei, hominis filius naſceretur? decem menſium faſtidia ſuſtineret? partus expectaret aduentum, inuolueretur pannis, ſubijceretur parentibus? per ſingulas adoleret ætates? & poſt contumelias uocum, alapas & flagella, crucis quoq; pro nobis fieret maledictum, ut nos à maledicto legis abſolueret, patri factus obediens uſq; ad mortem: & id opere complere, quod ante ex perſona mediatoris fuerat deprecatus, dicens: Pater uolo, quomodo ego & tu unum ſumus, ita & iſti in nobis unum ſint? Ergo quia ad hoc uenerat, ut quod erat impoſſibile legis, quia nemo ex ea iuſtificabatur, ineffabili miſericordia uinceret, publicanos & peccatores ad pœnitentiam prouocabat: conuiuium quoq; eorum expetens, ut in conuiuio docerentur: ſicut manifeſtum eſſe poterit ei, qui euangelia ſollicita mente perlegerit: quomodo & cibus eius & potus & deambulatio, & uniuerſa quæ geſſit in corpore, ſaluté hominum procurarint. Hoc uidentes ſcribæ & phariſæi, aduerſus legem eum facere dicebant. Ecce homo uorax & uini potator, amicus publicanorum & peccatorum. Nam ante reprehenderant quare curaret in ſabbatis. Dominus ergo, ut hanc eorum accuſationem clementi ratione ſuperaret, treis parabolas propoſuit: è quibus una eſt, nonaginta nouem ouium in montibus relictarum & unius perditæ, quæ paſtoris humeris eſt reducta. Alia drachmæ, quam mulier accenſo lumine requiſiuit, & inuenta ea, uicinas ad læticiam conuocauit, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Tertia uero duorum filiorum, de qua ut diſputarem pauca iuſſiſti. Et de oue quidem ac drachma, licet ad unum pertineant intellectum, non eſt iſtius temporis diſputatio: hoc tantum dixiſſe ſufficiat: ob id has parabolas eſſe propoſitas, ut quomodo ibi in inuẽtione pecoris & drachmæ, lætitia eſt angelorum & circa manentium uicinarum: ſic in publicanorum peccatorumq; pœnitentia, omnium debere eſſe lætitiam, quibus non eſt neceſſaria pœnitentia. Vnde uehementer admiror Tertullianum in eo libro, quem de pudicitia aduerſum pœnitentiam ſcri-
B pſit, & ſententiam ueterem, noua opinione diſſoluit: hoc uoluiſſe ſentire, quod publicani & peccatores, qui cum domino ueſcebantur, ethnici fuerint, dicente ſcriptura: non erit uectigal pendens ex Iſrael: quaſi uero & Matthæus non ex circumciſione fuerit publicanus: & ille qui cum phariſæo in templo orans, oculos ad cœlum non audebat erigere, non ex Iſrael fuerit publicanus: aut non Lucas memoret: Et omnis populus audiens & publicani iuſtificauerunt deum, baptizati baptiſmo Ioannis. Aut cuiquam credibile poſſit uideri ethnicum templum ingreſſum, aut dominum cum ethnicis habuiſſe conuiuium, cum id maxime caueret, ne legem ſoluere uideretur: & primum uenit ad oues perditas domus Iſrael: Chananeæ quoque deprecanti pro ſalute filiæ reſponderit: Non oportet tollere panem filiorum, & dare eum canibus. Et alibi diſcipulis præceperit: In uiam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis. Ex quibus omnibus edocemur, in publicanis, non tam gentilium, quàm generaliter omnium peccatorum, id eſt, qui erant & de gentibus, & de Iudæis, accipi poſſe perſonas. Ille autem qui iuxta inſanas & blaſphemas fœminas ſuas id dogmatis defendebat, quo Chriſtianos nollet recipere pœnitentes, fruſtra argumentatus eſt publicanos Iudæos non fuiſſe, ut in perſona eorum gentilium tantum populus poſſit intelligi. Itaque ne longum faciam, ipſa euangelij uerba proponam: & in modum commentarij, quid mihi uideatur, ad ſingula quæque ſubnectam. Homo quidam habebat duos filios. Hominem deum dici, multis teſtimonijs approbatur: ut ibi: Duorum hominum teſtimonium uerum eſt. Ego de me teſtimonium dico, & qui me miſit pater. In alia parabola paſtor, in alia paterfamilias nuncupatur: in alia uineam locat, in alia inuitat ad nuptias: & diuerſis ſimilitudinibus, rem ſignificat eandem: ut Iudæorum reprobet ſuperbiam, & in communi omnium peccatorum ſiue gentilium ſiue Iſraelitarum pœnitentiam probet. Quod autem ait, duos filios: omnes pene ſcripturæ de duorum uocatione populorum plenæ ſunt ſacramentis. Et dixit illi adoleſcentior: Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit. Subſtantia dei eſt, omne quod uiuimus, ſapimus, co-

gitamus,in uerba prorumpimus. Hæc deus æqualiter uniuerſis & in commune largitus eſt, C
euangeliſta dicente: Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc
mundum. Iſte eſt dexter oculus, qui à ſcandalis obſeruandus eſt: hæc lucerna corporis:hoc
talentum quod non eſt in ſudario colligandum, id eſt, delicate ocioſeq; tractandum: nec
in terra defodiendum, terrenis ſcilicet cogitationibus obſcurandum. Qui diuiſit eis ſub-
ſtantiam. Significantius in Græco legitur καὶ διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον, id eſt, dedit eis libe- 1
rum arbitrium,dedit mentis proprię libertatem,& ut uiueret unuſquiſq; non ex imperio dei,
ſed obſequio ſuo: id eſt, non ex neceſſitate, ſed ex uoluntate: ut uirtus haberet locum, ut à
cæteris animantibus diſtaremus, dum ad exemplum dei, permiſſum eſt nobis facere quod
uelimus. Vnde & in peccatores æquum iudicium, & in ſanctos aut iuſtos iuſtum præmium
retribuetur. Et non poſt multos dies, collectis omnibus adoleſcentior filius peregre profe-
ctus eſt in regionem longinquam. Si deus cœlum tenet palmo & terram pugillo: & Hiere-
mias dicit: Deus appropinquans, & non deus de longinquo: per Dauid quoq;, quia nul-
lus abſq; eo locus ſit, prædicatur: quomodo filius peregre proficiſcitur, & à patre diſcedit?
Sciendum igitur, non locorum ſpaciis, ſed affectu, aut eſſe nos cum deo, aut ab eo diſcede-
re. Quomodo enim ad diſcipulos loquitur: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſq;
ad conſummationem ſeculi: ita ad eos qui ſui iactantiā præferunt, & eſſe cum domino non
merentur,dicit: Diſcedite à me,non noui uos qui operamini iniquitatem. Receſſit ergo iu-
nior filius cum uniuerſa ſubſtantia à patre, & peregre profectus eſt. Et Cain egreſſus à facie
domini,habitauit in terra Naid:quod interpretatur,fluctuatio. Quicunq; à deo recedit, ſta-
tim ſeculi fluctibus quatitur & mouentur pedes eius. Nam poſtquam moti ſunt homines
ab oriente, & à uero lumine receſſerunt: tunc aduerſus deum impietatis ſuæ ædificauere tur-
rim: tunc dogmatum ſuperbias confinxerunt, uolentes curioſitate non licita in ipſius cœli
alta penetrare.Et uocatus eſt locus iſte Babel, id eſt, confuſio. Et ibi diſſipauit ſubſtantiam
ſuam,uiuens luxurioſe. Luxuria eſt inimica deo,inimica uirtutibus: perdit omnem ſubſtan- D
tiam patris, & ad præſens uoluptate deliniens, futuram non ſinit cogitare paupertatem.

Cumq; conſumpſiſſet omnia, facta eſt fames ualida per regionem illam. Acceperat à pa-
tre facultates,ut inuiſibilia eius per ea quæ erāt uiſibilia cognoſceret,& ex pulchritudine crea-
turarum conſequenter intelligeret creatorem. Qui ueritatem in iniuſticia detinens, & pro
deo idola colens, naturæ bona uniuerſa conſumpſit: & conſumptis omnibus, cœpit egere
uirtutibus,derelicto fonte uirtutum. Facta eſt fames ualida per regionem illam. Omnis lo-
cus quem patre incolimus abſente,famis,penuriæ & egeſtatis eſt.Fames autem μετὰ ἰκανά- 2
σεως ἰσχυρός. Hæc eſt regio, de qua dicitur per prophetam: Qui habitatis in regione um-
bræ mortis, lux fulgebit ſuper uos. At contra eſt alia regio,quam poſſeſſuri ſumus mundo
corde atq; puro uiuentes,quam ſanctus Dauid deſiderat,dicens: Credo uidere bona domi-
ni in terra uiuentium.Et ipſe cœpit egere,& abijt, & coniunxit ſe uni de principibus regionis
illius.Deſerto nutricio,qui ad primam uocem bona ei fuerat cuncta largitus,iunxit ſe princi-
pi huius mundi,id eſt,diabolo rectori tenebrarum: Quem nunc inimicum hominem, nunc
iudicem iniquitatis,nunc draconem, nunc ſatan,nunc malleum, nunc perdicem, nunc belial,
nunc rugientem leonem, nunc leuiathan,nunc thaninim,nunc behemoth,& multis alijs uo-
cabulis ſcriptura cognominat.Quod autem ait,uni de principibus:plures eſſe intelligendum
eſt,qui per iſtum uolitent aerem:& diuerſorum fraude uitiorum,genus hominum ſuæ ſubij
ciant ſeruituti. Qui miſit illum in agrum ſuum, ut paſceret porcos. Porcus animal immun-
dum eſt,quod cœno & ſordibus delectatur. Talis eſt dæmonum multitudo, quæ per idola
manufacta, cruore pecudum & uictimis paſcitur: & nouiſſime ſaginatiore quadam hoſtia,
ipſius hominis morte ſaturatur.Miſit ergo eum in poſſeſſionem ſuam.id eſt,ſuum efficit eſſe
famulum,ut paſceret porcos, immolās ei animam ſuam. Et cupiebat implere uentrem ſuum
de ſiliquis porcorum, & nemo illi dabat.Id quod in Ezechiele, cum increpatione dicitur ad
Hieruſalem: Et factum eſt in te peruerſum ultra mulieres quæ ante fornicationem tuam &

poſt te

A post te sunt fornicatæ,in eo quod dedisti mercedes,& mercedes tibi non sunt datæ:uidemus in filio minore completum. Substantiam suam in regione principis perdidit:& post perditas facultates,missus ad porcos, egestate contabuit. Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria, fornicatio,& uniuersa uitia. Hæc blanda sunt & lasciua, & sensus uoluptate demulcent: statimq; ut apparuerint,ad usum sui prouocant. Quibus ideo luxuriosus adolescens non poterat saturari, quia semper uoluptas famem sui habet, & transacta non satiat:& satanas cum aliquem sua arte deceperit, & proprium ei imposuerit iugum, ultra ad abundantiam uitiorum non procurat,sciens esse iam mortuum:sicuti multos idololatras uidemus panis miseria & egestate confectos.Hi sunt in quibus propheticus sermo completur:Omnibus meretricibus dantur mercedes:tu autem dedisti mercedem omnibus amatoribus tuis,& non accepisti mercedes.Possumus autem & aliter siliquas interpretari.Dæmonum cibus est carmina poetarum, secularis sapientia, rhetoricorum pompa uerborum. Hæc sua omnes suauitate delectant: & dum aures uersibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoq; penetrant, & pectoris interna deuinciunt.Verum ubi cum summo studio fuerint ac labore perlecta,nihil aliud,nisi inanem sonum & sermonum strepitum, suis lectoribus tribuunt:nulla ibi saturitas ueritatis, nulla refectio iusticiæ reperitur. Studiosi earum in fame ueri & uirtutum penuria perseuerant.Huius sapientiæ typus,& in Deuteronomio sub mulieris captiuæ figura describitur: de qua diuina uox præcipit: ut si Israelites eam habere uoluerit uxorem, caluitium ei faciat,ungues præsecet, & pilos auferat: & cum munda fuerit effecta, tunc transeat in uictoris amplexus. Hæc si secundum literam intelligimus, nónne ridicula sunt? Itáque & nos facere solemus,quando philosophos legimus,quando in manus nostras libri ueniunt sapientiæ secularis:si quid in eis utile reperimus,ad nostrum dogma conuertimus:si quid uero superfluum, de idolis, de amore,de cura secularium rerum,hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in unguium morem ferro acutissimo desecamus. Vnde & Apostolus prohibet,
B ne in idolio quis recumbat,dicens:Videte autem,ne hæc licentia uestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis uiderit eum qui habet scientiam in idolio recumbentem, nónne conscien-
3 tia eius cum sit infirma,ædificabitur ad manducãdum idolothyta, & peribit qui infirmus est in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Nónne tibi uidetur sub alijs uerbis dicere:ne legas philosophos,oratores,poetas, nec in eorum lectione requiescas? Nec nobis blandiamur, si in eis quæ sunt scripta non credimus, cum aliorum conscientia uulneretur,& putemur probare,quæ dũ legimus non reprobamus. Alioqui quale erit,ut existimemus Apostolum eius qui uescebatur in idolio conscientiam comprobasse: & eum dixisse perfectum, quem sciret de idolothytis manducare? Absit ut de ore Christiano sonet, Iuppiter omnipotens,& me Hercule,& me Castor, & cætera magis portenta quàm numina. At nunc etiam sacerdotes dei, omissis euangelijs & prophetis uidemus comœdias legere: amatoria Bucolicorum uersuum uerba canere: tenere Vergilium: & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere uoluptatis. Cauendum igitur, si captiuam uelimus habere uxorem, ne in idolio recumbamus:aut si certe fuerimus eius amore decepti, mundemus eam, & omni sordium errore purgemus:ne scandalum patiatur frater pro quo Christus mortuus est, cum in ore Christiani carmina in idolorum laudem composita audierit personare. In se autem conuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Mercenarios secundum alium intellectum eos animaduertimus ex Iudæis, qui ob præsentia tantum bona, legis præcepta custodiunt. Hi iusti sunt & misericordes, non ob ipsam iusticiam, & ob ipsum misericordiæ bonum, sed ut à deo terrenæ felicitatis & longæ uitæ præmium consequantur. Qui autem ista desiderat, merito compellitur ad obsequium præceptorum, ne eorum præuaricatione quæ iussa sunt careat concupitis. Porrò ubi metus est, non est dilectio. Perfecta quippe dilectio foras mittit timorem. Nam qui diligit, non ideo imperata custodit,quia aut timore pœnarum,aut præmij auiditate cõpellitur: sed quia hoc ipsum quod à deo iubetur,est optimum.Sensus itaq; iste est.Quanti ex Iudæis ob præ-

sentia

ſentia tantum bona à dei obſequio non recedunt,& ego egeſtate conficior. Surgens ibo ad c
patrem meum.Pulchre ait, ſurgens: patre quippe abſente, non ſteterat. Peccatorum iacere, iuſtorum ſtare eſt.Ad Moyſen dicitur: Tu uero hic ſta mecum. Et in centeſimotriceſimoter tio pſalmo:Ecce nunc benedicite dominum omnes ſerui domini, qui ſtatis in domo domini. Ad benedictionem domini ſtantes propheta in domo domini cohortatur.Et dicam illi:Pa/ter peccaui in cœlum & coram te,iam nō ſum dignus uocari filius tuus.Peccauerat in cœlum, qui Hieruſalem cœleſtem reliquerat matrem.Peccauerat coram patre,qui conditore deſerto fuerat ligna ueneratus.Non erat dignus uocari filius dei,qui ſeruus eſſe maluerat idolorum. Omnis enim qui facit peccatum, de diabolo patre natus eſt. Fac me ſicut unum de mercen/ narijs tuis.Fac me,inquit,ſicut unum ex Iudęis,qui te ob præſentium tantum rerum promiſ/ ſa uenerantur. Recipe filium pœnitentem, qui mercennarijs tuis peccantibus ſæpiſſime pe/ perciſti.Et uenit uſq; ad patrem ſuum. Venimus ad patrem,quando recedimus à porcorum paſtione,ſecundum illud:Statim ut conuerſus ingemueris, ſaluus eris. Cumq; adhuc longe eſſet,uidit eum pater eius,& miſericordia motus eſt. Antequam dignis operibus,& uera pœ nitentia ad patrem rediret antiquum, deus apud quem cuncta futura iam facta ſunt, & qui eſt omnium præſcius futurorum,ad eius præcurrit aduentum:& per uerbum ſuum,quod car nem ſumpſit ex uirgine:reditum filij ſui iunioris anticipat. Et præcurrens incubuit ſuper col/ lum ipſius.Ante uenit ad terras,quàm ille domū confeſſionis intraret. Incubuit ſuper collum ipſius,id eſt corpus ſumpſit humanum.Et ſicuti Ioannes ſuper pectus Ieſu recubuit:qui ſecre torum eius effectus eſt particeps:ita & iugum ſuum leue, id eſt mandatorum ſuorum facilia præcepta,ex gratia magis quàm ex merito ſuper iuniorem filium collocauit.Et oſculatus eſt eum:iuxta illud quod in Cantico canticorum eccleſia de ſponſi precatur aduentu:Oſculetur me oſculo oris ſui.Nolo mihi dicens per Moyſen,nolo per prophetas loquatur:ipſe meum corpus aſſumat,ipſe me oſculetur in carne: ut & illud quoq; quod in Eſaia ſcriptum eſt, huic ſententiæ coaptemus.Si quæris,quære, & ad me habita in ſaltu. Et ibi quippe flens eccleſia d
clamare iubetur ex Seir,quia Seir piloſus & hiſpidus interpretatur: ut & antiquū gentilium ſignificet errorem: illa pari ſimilitudine reſpondente: Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſa/ lem. Dixit autem illi filius:Pater, peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus uocari filius tuus. Dicit ſe non eſſe dignum filium nuncupari: & tamen ex naturæ uoce, ex illa ſub/ ſtantia,quam illi pater fuerat aliquando largitus,in nomen trepidus ueritatis erumpit.Pater, inquiens,peccaui in cœlum.Fruſtra igitur quidam argumentantur,nomen patris in ſanctos tantummodo conuenire, cum etiam deum patrem uocet, qui ſe filij nomine confitetur indi/ gnum:niſi forte ideo patrem audet uocare,quia plena mente conuerſus eſt.Dixit autem pa/ ter ad pueros ſuos: Celerius proferte ſtolam priorem, & induite eum: ſtolam quam Adam peccando perdiderat: ſtolam quæ in alia parabola indumentum dicitur nuptiale, id eſt ue/ ſtem ſpiritus ſancti: quam qui non habuerit,non poteſt regis intereſſe conuiuio. Et date an/ nulum in manu illius:ſignaculum ſimilitudinis Chriſti, ſecundum illud:In quem credentes, ſignati eſtis ſpiritu repromiſſionis ſancto. Et ad principem dicitur Tyri, qui ſimilitudinem conditoris amiſerat: Tu ſignaculum ſimilitudinis, & corona decoris, in delitijs paradiſi dei natus es. Eſaias quoq; de hoc ſignaculo loquitur: Tunc manifeſti erunt qui ſignantur. Hoc ſignaculum in manu datur,quando opera iuſticiæ ſcriptura ſignificat,ut ibi: Factum eſt uer/ bum domini in manu Aggæi prophetæ,dicētis ad Hieruſalem:Ornaui te,inquit,ornamen/ to,& impoſui tibi armillas circa manus tuas:Rurſum ad eum qui indutus eſt podere,alius lo cus ſignaculi demonſtratur: Pertranſi per mediam Hieruſalem, & da ſignaculum in fronti/ bus uirorum gementium & dolentiū in omnibus iniquitatibus, quæ fiunt in medio eorum. Quare? ut poſtea poſſint dicere:Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui domine.Et calcia/ mentum in pedibus eius.Sponſi quippe perdiderat dignitatem,& nudis pedibus paſca cele brare non poterat.Hæc ſunt calciamenta,de quibus dominus ait:Et calciaui te hyacintho.Et calciamenta in pedibus eius: necubi coluber inſidians, plantam ingredientis inuaderet: & ſu/

per ſcorpiones

A per ſcorpiones & ſerpentes ſecurius ambularet, ut præpararetur ad euangelium pacis: iam non gradiens ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum: & dictum ei propheticum conueniret: Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Et afferte uitulum ſaginatum, & occidite & manducemus & epulemur, quoniam hic filius meus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Vitulus ſaginatus qui ad pœnitentiæ immolatur ſalutem, ipſe ſaluator eſt, cuius quotidie carne paſcimur, cruore potamur. Fidelis mecum lector intelligis, quia pinguedine ſaturati, in ructum laudis eius erumpimus, dicentes: Eructauit cor meum uerbum bonum, dico ego opera mea regi: licet quidam ſuperſtitioſe magis quàm uere, non conſiderantes textum pſalmi, ex patris perſona arbitrentur hoc intelligi. Quod autem ait, epulemur, quoniam hic filius meus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus eſt, ad eundem parabolæ ſuperioris pertinet ſenſum, in qua dicitur: Sic dico uobis, quia gaudium erit coram angelis dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Et cœperunt epulari. Hoc conuiuium quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit: ſemper Chriſtus credentibus immolatur. Erat autem filius illius ſenior in agro. Hucuſq; de perſona filij iunioris diſputatum eſt: quem ſecundum præſentem parabolam, in publicanis & peccatoribus, qui à domino ad pœnitentiam prouocabantur, debemus accipere: ſecundum myſticos autem intellectus, de futura quoq; uocatione gentium prophetari. Nunc ad ſeniorem filium ſermo tranſgreditur, quem multi ſimpliciter ad omnium ſanctorum perſonam, multi proprie ad Iudæos referunt. Et de ſanctis quidem non difficilis interpretatio eſt, in eo quod dicitur, nunquam mandatum tuum præteriui: licet illud uideatur obſiſtere, quod reuerſioni fratris inuideat. In Iudæos autem cum liuor in fratris ſalute conueniat: hoc repugnat, quod nunquam ſe dicat eius præteriſſe mandatum: de quibus quid nobis uideatur, ſuis in locis conabimur explanare. Erat autem filius illius ſenior in agro, in terrenis operibus labore deſudans, longe à gratia ſpiritus ſancti, & à cõſilio patris extorris. Hic eſt qui ait, Agrum emi, &
B neceſſe habeo exire & uidere illum, rogo te habe me excuſatum. Hic qui iuga boum emit quinq;: & legis onere depreſſus, terrenorũ ſenſuum uoluptate perfruitur. Hic qui uxore ducta, ire ad nuptias non poteſt: & effectus caro, nequaquam unum poteſt eſſe cum ſpiritu. In huius perſona etiam illius parabolæ operarij congruunt, in qua prima, tertia, ſexta, nona hora, id eſt, uocationibus uarijs mittuntur ad uineam, & indignantur ſibi undecimæ horæ operarios coæquari. Et cum ueniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum. Illud quod in quodam pſalmo ſuperſcribitur pro mahalath, huic ſenſui cõuenit. Siquidem mahalath chorus in unum concinens dicitur. Male autem quidam de Latinis, ſymphoniam putant eſſe genus organi, cum concors in dei laudibus concentus, hoc uocabulo ſignificetur. συμφωνία quippe conſonantia exprimitur in Latino. Et uocauit unum de pueris, & interrogauit quid nam eſſent hæc. Et nunc interrogat Iſrael, quare deus in gentiũ aſſumptione lætetur: & æmulatione cruciatus, paternam ſcire non poteſt uoluntatem. Qui ait illi, quoniam frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum ſaginatũ, quoniam incolumen illum recepit. Cauſa lætitiæ, quod pari in dei laudes toto orbe uoce concinitur, ſalus eſt gentium, ſalus eſt peccatorum: lætantur angeli, omnis in gaudium creatura cõſentit, & de ſolo dicitur Iſrael: Iratus autem noluit intrare. Iraſcitur ſe abſente fratrem eſſe ſuſceptum: iraſcitur eum uiuere, quem putabat extinctum: & nunc foris ſtat Iſrael, & nunc diſcipulis euangelia in eccleſia audientibus, mater eius & fratres foris ſtant quærentes eum. Egreſſus aũt pater illius cœpit rogare eum. Quàm benignus & clemens pater. Rogat filium, ut lætitiæ domus particeps fiat: rogat autem per apoſtolos, rogat per euãgelij prædicatores. E quibus Paulus ait: Precamur pro Chriſto, reconciliamini deo. Et alibi: Vobis oportebat primum annunciare uerbum dei: ſed quia repuliſtis illud, & indignos uos iudicaſtis æternæ uitæ, ecce conuertimur ad gentes.

Ipſe autẽ reſpondens, ait patri ſuo: Ecce tot annis ſeruio tibi. Pater ſupplex ad concordiam deprecatur: ille iuſticiam quæ in lege eſt ſequens, dei iuſticiæ non ſubijcitur. Porrò quæ maior iuſtitia dei, quàm ignoſcere pœnitentibus, filium ſuſcipere redeuntẽ? Ecce tot annis ſeruio tibi, &

tibi,& nunquam mandatum tuum præteriui: quasi hoc ipsum non sit præterire mandatum, c
saluti alterius inuidere,ante deum se iactare iusticiæ, cum nemo coràm eo mundus sit. Quis enim lætabitur castum se habere cor, ne si unius quidem diei fuerit? Dauid confitetur: In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis concepit me mater mea. Et in alio loco: Si iniquitatem attendis domine, quis sustinebit? Et hic dicit nunquam se præterisse mandatum, toties ob idololatriam captiuitatibus traditus. Ecce tot annis seruio tibi, & nunquam mandatum tuum pręteriui. Hoc est quod Paulus apostolus loquitur: Quid ergo dicemus? quia gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam, quæ ex fide est. Israel uero sectando legem iusticiæ, ad legem iusticiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus legis. Potest ergo & ex eius persona dici, qui iuxta eundem Apostolum in iustícia, quæ ex lege est, sine reprehensione uersatus sit: licet mihi uideatur magis se iactare Iudæus, quàm uera dicere: ad exemplum illius pharisæi, dicentis: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, sicut & hic publicanus. Oro te, nónne tibi uidetur ea quæ ille de publicano dixerat, dicere iste de fratre? Hic est qui comedit omnem substantiam suam, uiuēs cum meretricibus. Ad id autem, quod ait: Mandatum tuum nunquam præteriui, patris sermo non congruit: Non enim cōfirmauit uera esse quæ dixerat filius, sed irascentem, alia ratione compescuit: fili tu semper mecum es. Nunquid, ait, bene quidem dicis, & feciſti cuncta quæ iusseram? Sed mecum es, inquit, semper. Mecum es lege qua stringeris: mecum es, dum mihi & in captiuitatibus erudiris: mecum es, non quia præcepta mea compleueris, sed quod te in longam regionem abire non passus sum: mecū es ad extremum, secundum illud quod locutus sum ad Dauid: Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint, si iusticias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, uisitabo in uirga iniquitates eorum, & in flagellis iniusticias eorum: misericordiam autem meam non auferam ab eis. Quo testimonio, & id in quo filius senior gloriatur falsum esse conuincitur, dum in dei iudicijs non ambulat, & eius mandata nō facit. Et quomodo ista D
non faciens, cum patre semper fuisse dicitur? Dum peccans uisitatur in uirga, & uisitato misericordia non negatur. Nec mirandum patri eum ausum fuisse mentiri, qui fratri potuit inuidere: maxime cum in die iudicij quidam impudentius mentiantur, dicentes: Nónne in nomine tuo comedimus & bibimus, & uirtutes multas fecimus, dęmonia eiecimus? Quid uero sit, & omnia mea tua sunt, suo loco cōgruentius explicabitur. Et nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Tantus, inquit, Israel sanguis effusus est, tot hominū cæsa sunt milia: & nullus eorum nostræ extitit salutis redemptor. Ipse Iosias qui placuit in conspectu tuo: & nuper Machabæi, qui pro tua hæreditate pugnabant, contra fas sanctitatis hostium gladijs interempti sunt, & nullius cruor nobis reddidit libertatem. Ecce adhuc Romano imperio subiacemus, non propheta, non sacerdos, non iustus quisquam immolatus est pro nobis. Et pro luxurioso filio, id est, pro gentibus, pro peccatoribus, totius creaturæ gloriosus sanguis effusus est. Cumq; merentibus minora non dederis, immeritis maiora tribuisti. Nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Erras Israel: dic potius, ut tecum epularer. Aut potest esse tibi aliqua iucunditas, nisi patre tecum celebrante conuiuium? Saltem exemplo docere præsenti. Reuerso filiō iuniore, & pater lætatur & pueri. Manducemus, ait, & epulemur, non manducate & epulamini. At tu ea mente qua inuides fratri, qua à patris recedis aspectu & semper in agro es: nunc quoq; uis, eo absente inire cōuiuium. Nunquam dedisti mihi hædum. Nunquam pater deteriora dat munera: habes uitulum immolatum: ingredere, manduca cum fratre. Quid hædum quæris, cui agnus est missus? Et ne simules te nescire quod missus est, Ioannes tibi cum in eremo demonstrauit: Ecce agnus dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et pater quidem quasi clemens & pœnitentiā tribuens, te hortatur ad uitulum, non immolans hædum quem stare scit ad siniſtram. Tu uero in fine seculi, ipse tibi es hædum immolaturus Antichristum: & cum amicis tuis, spiritibus immundis eius carne saturandus, expleto uaticinio. Tu confregisti caput draconis magni: dedisti eum escam

populis

A populis Aethiopum. Cum autem filius tuus hic qui deuorauit omnem ſubſtantiam ſuam uiuens cum meretricibus uenit, occidiſti ei uitulum ſaginatum. Confitetur & nunc Iſrael ſaginatum uitulum fuiſſe qui cæſus eſt: intelligunt uenisse Chriſtum, ſed torquentur inuidia: & nolunt fratre non pereunte, ſaluari. Ipſe autem dixit illi: Fili tu ſemper mecum es, & mea omnia tua ſunt. Filium uocat, licet intrare nolentem. Quomodo autem dei omnia Iudæorum ſunt? Nunquid angeli, throni, dominationes cæteræq; uirtutes? Omnia ergo intelligamus, legem, prophetas, eloquia diuina. Hæc ei dedit, ut in lege eius meditaretur die ac nocte, ſecundum illum canonem quem ſæpe expoſuimus ſcripturarum. Omnia non ad totum referenda eſſe, ſed ad partem maximam, ut ibi: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Et alibi: Omnes qui uenerunt ante me, fures fuerunt & latrones. Et Paulus ad Corinthios: Omnibus, inquit, omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem. Et ad Philippenſes: Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non ea quæ ſunt Ieſu Chriſti. Quanquam nihil unquam illi negaſſe credendum ſit, quem ad uituli hortatur eſum. Epulari nos oportet & gaudere, quoniam hic frater tuus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Confidamus igitur & nos uiuere poſſe per pœnitentiam, qui fueramus mortui per delicta. Et hic quidem ipſe filius reuertitur: in ſuperioribus uero, in oue ſcilicet & in drachma, quod errauerat affertur, & quod perierat inuenitur: & ſimili tres parabolæ fine clauduntur, dum in iſta ponitur, perierat & inuentus eſt: ut intelligamus diuerſis ſimilitudinibus, de eadem peccatorum ſuſceptione ſignatum. Et hæc quidem in ethnici perſona dicta ſint & Iudæi. Videamus autem quomodo ſuper ſancto generaliter & peccatore, parabola iſta poſſit intelligi. Et de cæteris quin iuſto conueniat, non ambigitur. Illud eſt, in quo legenti ſcrupulus commouetur, cur iuſtus ſaluti peccatoris inuideat: & intantum iracundia repleatur, ut nec fratris miſericordia, nec patris precibus, nec totius domus iucunditate ſuperetur. Ad quod breuiter reſpon-
B debimus: Omnem mundi iſtius iuſticiam, ad dei comparationem non eſſe iuſticiam. Quomodo enim ex peccatis Hieruſalem, Sodoma iuſtificatur: non quod ipſa ſit iuſta, ſed quod maioribus delictis fiant minora delicta: ita & hominum omnium uniuerſa iuſticia non eſt deo collata iuſticia. Denique Paulus qui dixerat: Quotquot ergo perfecti ſumus hoc ſapimus: in alio loco confitetur & clamitat. O profundum diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius & ininueſtigabiles uiæ eius? Et alibi, ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: Et nunc uidemus per ſpeculum in ænigmate. Et ad Romanos: miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Ex quibus omnibus edocemur, dei ſolius perfectam eſſe iuſticiam, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper iuſtos & iniuſtos: dat pluuiam ſerotinam & matutinam, merentibus pariter & non merentibus: qui de uicis, angulis, & plateis inuitat ad nuptias: & deintus quoſdam, iam quaſi ſecuros expellit foras. Et ouem quę ad exemplum filij pœnitentis ipſa redire non poterat, uel nolebat, quærit, & inuenit: & inuentam ſuis humeris reportat. Multum enim errando laborauerat. Vt autem doceamur in ſanctos quoq; cadere poſſe inuidiam, & ſoli deo puram clementiam derelinqui: filiorum Zebedæi conſideremus exemplum: pro quibus cum mater mota pietatis affectu, nimis grandia poſtulaſſet: reliqui decem diſcipuli indignati ſunt. Et Ieſus aduocans eos dixit: Scitis quia principes gentium dominantur eorum: & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eis. Non ita erit inter uos, ſed quicunq; uoluerit inter uos maior eſſe, ſit ueſter miniſter: & quicunq; ueſtrum uoluerit inter uos eſſe primus, ſit ueſter ſeruus: quoniã filius hominis non uenit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Nulli periculoſum, nulli uideatur eſſe blaſphemum: quod & in apoſtolos inuidiæ malum diximus potuiſſe ſubrepere, cum etiam de angelis hoc dictum putemus. Sydera quippe non ſunt munda in conſpectu eius, & contra angelos ſuos peruerſum quid intellexit. Et in pſalmis dicitur: Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Non ait, non iuſtificabitur omnis homo ſed omnis uiuens, id eſt, non euangeliſta, non apoſtolus, non propheta. Ad maiora conſcendo, non angeli, non throni, non dominationes, non poteſtates, cæteraq; uirtutes. Solus de-

us est, in quem peccatum non cadit: cætera cum sint liberi arbitrij, iuxta quod & homo ad imaginem & similitudinem dei factus est, in utranq; partem possunt suam flectere uoluntatem. Quod si hac sententia non adduceris, saltem illius autoritate parabolæ commouere, in qua per totum diem operarij mittuntur ad uineam, & in prima hora uocantur Adam, Abel, Seth: in tertia, Noe, in sexta Abraham: in nona Moyses: in undecima gentium populus, cui dicitur: Quid hic statis tota die ociosi? Et illi responderunt: nemo nos conduxit. Quod autem extrema hora, nostri sit saluatoris aduentus, testis est Ioannes apostolus, dicens: Fratres, nouissima hora est. Etenim sicut audistis, quia antichristus uenit: nunc antichristi multi facti sunt, propter quod cognoscimus, quia nouissima hora est. Si hæc displicet interpretatio, sequor quocunque duxeris: ita tamen ut eos qui uocati sunt primi, iustos esse fatearis. Quod cum obtinuero, illud inferam: & quomodo iusti murmurauerunt aduersum patremfamilias, dicentes, hi nouissimi uenerunt, & una hora fecerunt: æquales illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus? Videntur quidem iuste dicere, non æqualem debere esse mercedem eius, qui prima hora ad noctem usque sudauerit, & eius qui una hora sit in labore uersatus. Sed ista iustitia habet in se liuorem, cum alterius inuideat felicitati. Denique & dominus oculum in eis arguit inuidentem, dicens: Amice an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Vnde & ab Apostolo, solus iustus, solus dicitur immortalis: non quod angeli sint iniusti & mortales, sed quod ipse sit immortalis & iustus: cui collata uniuersa iusticia, iniquitas inuenitur. Vt autem in hac eadem parabola, quam nunc proposuimus, iniusticiam intelligas conductorum, attende paulisper. Qui prima hora conductus est, plus meretur ab eo qui hora tertia missus est ad uineam: rursum horæ tertiæ operarius, sextæ horæ operarium antecedit: & sextæ horæ, & nonæ horæ, uincit operarium. Quomodo igitur nouissimo omnes inuident, & eandem inter se iusticiam non requirunt? Tu qui hora nona conductus es, cur inuides ei qui undecima hora est missus in uineam? Quodcunque responderis, quamuis diuersum asserueris laborem, ut & præmium maius in diuerso labore merearis: eidem apud sextum sententiæ subiacebis. Et tu qui hora sexta conductus es, nouissimo inuides, cur tecum denarium, id est æqualem consequatur salutem: licet salutis pro labore diuersa sit gloria, eadem de te potest tertius dicere: & de tertio rursum primus. Verum ipsi inter se ob non æqualem laborem & uocationis spacia diuersa, æquale præmium libenter accipiunt: in nouissimo tantum operario, id est in gentium salute discordant: & domino iniuriam faciunt, & sub omnibus parabolis arguuntur inuidiæ. Non ambigo quin inculta tibi nostræ paruitatis uideatur oratio, sed sæpe causatus sum, expoliri non posse sermonem, nisi quem propria manus limauerit. Itaq; ignosce dolentibus oculis, id est ignosce dictanti, maxime cum in ecclesiasticis rebus non quærantur uerba, sed sensus: id est, panibus sit uita sustentanda, non siliquis.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Amandus presbyter proposuerat per literas treis quæstiones, simulq; de sororis statu consuluit. Ad singula respondet diuus Hieronymus.

HIERONYMVS AMANDO.

BReuis epistola, longas non ualet explanare quæstiones, & in arctum multa cõcludens, stringere uerbis, quod sensibus dilatatum est. Interrogas, quid significet illud in euangelio iuxta Matthæum: Nolite solliciti esse de crastino. Sufficit enim diei malicia sua. Crastinum, in scripturis sanctis, futurum tempus significat: sicut & Iacob in Genesi loquitur: Exaudiet me cras iusticia mea. Et ubi altare extruitur à duabus tribubus Ruben & Gad & dimidia tribu Manasse, & à cũcto Israele ad eas legatio mittitur: cum Phinees pontifici respondissent, idcirco se altare fecisse, ne cras filijs suis colendi deum possessio denegaretur. Et multa istiusmodi in ueteri reperies instrumento. Qui ergo de futuris nos cogitare prohibuit, concessit de præsentibus, propter humanæ uitæ fragilitatem. Quod autem adijcit, sufficit diei malicia sua: hoc modo intellige. Sufficit nobis de præsentibus

A sentibus huius seculi cogitare ãnguſtijs. Quid neceſſe eſt ſenſum ad incerta & futura extẽdere, quæ aut conſequi non poſſumus, aut forſitan cito inuenta perdamus? ηακία enim quam Latinus uertit in maliciam, apud Græcos duo ſignificat, & maliciam & afflictionem, quam ηάκωσιμ Græci dicunt: & hic magis pro malicia transferri debuit, afflictio. Quod ſi cõtentio ſe quis ducitur, nolens ηακίαν afflictionem ſonare & anguſtias, ſed maliciam: illo ſenſu explanandum eſt, quo mundus in maligno, hoc eſt in malo poſitus ſit: & in dominica oratione dicimus: Libera nos à malo: ut ſufficiat nobis contra maliciam huius ſeculi præſens habere certamen. In ſecundo quæſiſti loco, de beati apoſtoli Pauli prima ad Corinthios epiſtola, in qua loquitur: Omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus eſt. Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Legamus ergo paulò ſuperius, & ſic ad hæc uerba ueniamus, ne dè extremis partibus, & ut ita dicam, cauda capituli, totam ſententiam noſſe cupiamus. Corpus, inquit, non fornicationi, ſed domino, & dominus corpori. Deus aũt qui dominum ſuſcitauit, & nos cum illo ſuſcitabit per uirtutem ſuam. Neſcitis quia corpora ueſtra membra Chriſti ſunt? Tollẽs ergo membra Chriſti, faciã membra meretricis? Abſit. An neſcitis, quia qui cõiungit ſe meretrici, unum corpus eſt? Erunt enim, inquit, duo in carnẽ unam. Qui autem coniungit ſe domino, unus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Omne peccatum quod cunq; fecerit homo, extra corpus eſt. Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Et reliqua. Sanctus Apoſtolus contra luxuriam diſputans, & in ſuperioribus dicens: Eſcæ uentri & uenter eſcis: deus autẽ & hunc & illas deſtruet, conſequenter uenit ad fornicationem. Etenim luxuria mater libidinis eſt, uentremq; diſtentum cibo, & uini potionibus irrigatũ, uoluptas genitaliũ ſequitur: atq;, ut alibi dictum eſt, pro membrorum ordine, ordo uitiorum eſt. Omne itaq; peccatum, uerbi gratia, furtum, homicidium, rapina, periurium, & cætera his ſimilia, poſt factum pœnitudinem habent: & licet inuitet lucrum, tamen mordet cõſcientia. Vo-
B luptas ſola ac libido, etiam in ipſo tempore pœnitendi, præteritos ſtimulos patitur, & titillationem carnis, & incentiua peccati: ut per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rurſum ſit materia delinquendi. Aliter. Cætera peccata forinſecus ſunt. Quicquid enim egerimus, in alios agimus: fornicatio nõ ſolum conſciẽtiam fornicantis, ſed & corpus maculat: ac ſecundum ſententiam domini qua ait: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carnem unam, etiam ipſe cum meretrice unum corpus efficitur: & peccat in corpus ſuum, dum templum Chriſti, facit corpus eſſe meretricis. Dicamus & aliter, ne ullam Græcorum ſententiam præterire uideamur. Aliud eſt peccare per corpus, aliud in corpore. Furtum, homicidium, & cætera abſq; fornicatione peccata, manu adminiſtramus extrinſecus: Fornicatio ſola intrinſecus in corpore noſtro exercetur à nobis, non per corpus in alios: & per, præpoſitio miniſterium habet: in, autem in ſe paſſionem. Sunt qui ita ediſſerant, quod ſecundum ſcripturam uxor uiri corpus ſit, & quicunq; fuerit fornicatus, peccet in corpus ſuum, hoc eſt in uxorem, dum eam ſua fornicatione commaculat, & facit eam non peccantem, ſua commixtione peccare. Tertia, id eſt extrema, propoſitio tua fuit de eadem Apoſtoli epiſtola: ubi de reſurrectione diſputans, uenit ad eum locum, in quo ſcriptum eſt: Oportet enim eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ſuis. Omnia enim ſubiecta ſunt ſub pedibus eius. Nouiſſime autem & inimica deſtruetur mors. Cum autem dixerit, quia omnia ſubiecta ſunt ei: haud dubiũ quin præter eum qui ſubiecit ei omnia. Cum uero ſubiecta ei fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui ſibi ſubiecit omnia, ut ſit deus omnia in omnibus. Et miror te hoc à me quærere uoluiſſe, cum ſanctus Hilarius Pictauienſis epiſcopus, undecimum librum contra Arianos hac quæſtione & ſolutione compleuerit. Tamen pauca ſaltem dicamus. Omne in hoc ſcandalum eſt, quare filius patri ſubiectus eſſe dicatur. Quid eſt turpius ſiue inferius, patri ſubijci, quod ſæpe pietatis eſt, ut in pſalmo ſcribitur: Nonne deo ſubiecta erit anima mea: an crucifigi, & maledictum crucis fieri? Maledictus enim omnis qui pendet in ligno. Qui ergo pro nobis maledictum factus eſt, ut nos de maledictione liberaret, miraris ſi pro nobis ſubiectus ſit, ut nos patri fa-

ciat esse subiectos,dicens in euangelio:Nemo uadit ad patrem,nisi per me:& cum exaltatus c
fuero à terra,omnia traham ad me:Christus in his qui fideles sunt subiectus est patri, quia omnes credẽtes,imò omne hominum genus,corporis ipsius membra reputantur.In his aũt qui increduli sunt, id est Iudæis & ethnicis & hæreticis, insubiectus esse dicitur, quia pars membrorum eius non est subiecta fidei. In fine autem mundi cum omnia membra regnantem uiderint Christum,id est caput suum, etiam ipsa subiũcientur Christo, id est capiti suo, ut omne Christi corpus subiũciatur deo & patri: ut sit deus omnia in omnibus. Non ait, ut sit pater omnia in omnibus,sed ut sit deus:quod proprium nomẽ est trinitatis:& tam ad patrem,quàm ad filium & spiritum sanctum referri potest,ut humanitas subiũciatur diuinitati. Humanitatem hoc loco dicimus,non mansuetudinem & clementiam, quam Græci φιλανθρωπίαν uocãt,sed omne hominum genus.Porrò quod ait,ut sit omnia in omnibus,hoc sensu accipiendum est.Dominus atq; saluator noster nunc omnia non est in omnibus,sed pars in singulis.Verbi gratia: In Solomone sapientia, in Dauid bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus, in Ioanne uirginitas, in cæteris cætera. Cum autem rerum omnium finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes uirtutes habeant:ut sit Christus totus in cũctis. Reperi iunctam epistolæ & commentariolo tuo breuem chartulam,in qua hæc indita ferebantur. Quærendum ab eo,id est,à me:utrum mulier relicto uiro adultero,& sodomita, & alio per uim accepto,possit absq; pœnitentia communicare ecclesiæ,uiuente adhuc eo quem prius reliquerat. Quod legens,illius uersiculi recordatus sum: Ad excusandas excusationes in peccatis. Omnes enim homines uitijs nostris fauemus,& quod propria facimus uoluntate, ad naturæ referimus necessitatem. Quomodo si dicat adolescẽs:uim patior,corporis me ad libidinem ardor impellit: ipsa organa membrorum genitalium,& compositio corporis,fœmineos quærit amplexus.Et rursum homicida:in egestate,inquit,eram,indigebam cibo, tegmen corporis non habebam:ideo alienum sanguinem fudi,ne ipse fame & frigore morerer. Responde itaq; sorori,quæ à nobis super suo statu quærit,non nostram, sed Apostoli sententiam. An D
ignoratis fratres,sciẽtibus enim legem loquor,quoniam lex dominatur homini, quãto tempore uiuit? Mulier enim quæ sub uiro est,uiuente uiro astricta est legi.Quod si mortuus fuerit uir eius,liberata est à lege uiri. Ergo uiuente uiro,adultera erit, si duxerit alterum uirum. Et in alio loco: Mulier alligata est, quanto tempore uiuit uir eius. Si autẽ dormierit uir eius, liberata est: cui uult nubat, tantum in domino. Omnes igitur causationes apostolus amputans,apertissime definiuit:uiuẽte uiro adulteram esse mulierem,si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris uiolẽtiam,matris persuasionem,patris autoritatem, propinquorum cateruam,seruorum insidias atq; contemptũ, damna rei familiaris. Quàmdiu uiuit uir,licet adulter sit,licet sodomita,licet flagitijs omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus,maritus eius reputatur,cui alterũ uirũ accipere nõ licet.Nec apostolus hæc propria autoritate decernit,sed Christo in se loquẽte,Christi uerba secutus est, qui ait in euãgelio. Qui dimittit uxorẽ suam,excepta causa fornicationis,facit eam mœchari: & qui dimissam acceperit,adulter est.Animaduerte quid dicat: Qui dimissam acceperit,adulter est:siue ipsa dimiserit uirum siue à uiro dimissa sit,adulter est qui eam acceperit. Vnde & apostoli grauem coniugij sarcinam intelligentes: Si ita est, inquiunt, non expedit homini uxorem accipere. Ad quos dominus: Qui potest,inquit,capere, capiat. Statimq; sub exemplo trium eunuchorũ, uirginitatis infert beatitudinem,quæ nulla carnis lege tenetur.Neq; satis animaduertere potui:quid sit quod dicere uoluit,alio uiro per uim accepto.Quid est,per uim accepto? Congregata uidelicet multitudine, nolentem rapuit: & quare postea raptorem rapta non dimisit? Legat libros Moysi,& inueniet desponsatam uiro,si in ciuitate fuerit oppressa,& non clamauerit, putari quasi adulteram. Si autem in agro oppressa sit, innoxiam esse à scelere, & uiolentum legibus subiacere. Ergo & ista soror,quæ,ut dicit, uim passa est, ut alteri iungeretur: si uult corpus Christi accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiam: ita duntaxat,ut

secundo

A secundo uiro qui non appellatur uir sed adulter,à tempore pœnitentiæ nõ copuletur. Quod si ei durum uidetur,& semel dilectum nõ potest derelinquere,nec præferre dominum uoluptati,audiat Apostolum conclamantem: Non potestis calicem domini bibere, & calicẽ dæmoniorum,Non potestis mensæ domini communicare,& mensæ dæmoniorum. Et in alio loco: Quæ communicatio luci ac tenebris? Qui consensus Christo,& Belial? Rem nouam loquor:imò non nouam,sed ueterem:quæ ueteris testamenti autoritate firmatur. Si reliquerit secundum uirum, & reconciliari uoluerit priori,non potest. Scriptum est enim in Deuteronomio: Si acceperit homo uxorem,& habuerit eam: & non inuenerit gratiam in conspectu eius propter aliquam fœditatem,scribet libellum repudij, & dabit in manus eius:& dimittet eam de domõ sua. Cumq; egressa alterum maritum duxerit:& ille quoq; oderit eam: dederitq; ei libellum repudij,& dimiserit de domo sua,uel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem:quia polluta est, & abominabilis facta est coràm domino. Nec peccare facias terram tuam:quam dominus deus tuus tradidit tibi possidendam. Vnde obsecro te,ut consoleris eam: imò prouoces ad salutem. Putridæ carnes ferro indigent & cauterio:nec est medicinę culpa,sed uulneris:cum clementi crudelitate non parcit medicus ut parcat,sæuit,ut misereatur.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

1 Xaudiat me cras.) Locus est Geneseos capite trigesimo. Et ubi altare extruitur.) Hanc historiam habes Iosue capite uigesimosecundo. κακίαι enim q.l.u.) Latinis mala significant
2 uitia & incommoda: malicia tantum animi uitium significat, Græcis κακὰ dicuntur item uitia,& afflictiones:& hinc κακία uitium siue malicia,& afflictio siue miseria, κάκωσις autem tantum afflictionẽ siue uexationem significat,a uerbo κακόω,quod est malis afficio,siue affligo. Male dictum crucis.) Ita legis Deuteronomij uigesimoprimo. Maledictus à deo qui pendet in ligno. Quem locum citat Paulus ad Galatas capite tertio. Verum hic qui pro nobis maledictum factus est,legẽdum
B est,non maledictus,ut sit substantiuum nomẽ;sicut paulò ante maledictum crucis. Nam utrobiq; Græ-
3 cis est κατάρα,id est,execratio. Humanitatem hoc loco.) Φιλανθρωπία apud Græcos dicitur benignitas & comitas erga homines,cui contraria est μισανθρωπία. Verum Theologi nonnunquam ipsam hominum naturam & genus humanitatẽ uocant:quasi ἀνθρωποπότητα. Atq; ita interpretantur illud apud Paulum: Apparuit benignitas & humanitas saluatoris nostri dei:sed perperã,cũ sit illic Φιλανθρωπία, id est,beneuolentia erga homines,ut ad patrẽ referatur, qui quantopere dilexerit nos, misso in mundum unigenito filio declararit.

HIERONYMVS MARCELLAE.

Agnis nos prouocas quæstionibus:& torpens ocio ingenium dum interrogas, doces. Prima tua scisscitatio fuit,quæ sint illa, quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt quæ præparauit deus his qui diligunt cũ. Et quomodo rursus idem Apostolus inferat: Nobis autem reuelauit deus per spiritum suum. Et si reuelatum Apostolo,intelligere debeamus,quod & ille alijs reuelauerit. Ad quæ breuis responsio est,non debere nos quærere,quid sit illud, quod nec oculus uidit, nec auris audiuit,nec in cor hominis ascẽdit. Si eñ ignoratur,quomodo sciri potest? Quod promittitur in futuro,non cernitur in præsenti. Spes enim quæ uidetur,non est spes, sed iam certa possessio: quomodo si uelit quispiam dicere: ostende mihi quod inuisibile est, loquere quod audiri non potest,expone quod cogitatio non comprehẽdit humana. Ergo hoc sensu Apostolus dixisse credendus est:quod carnalibus oculis,& aure carnali,& cogitatione mortali non possunt spiritualia comprehendi. Et si enim noueramus quondã Iesum secundũ carnem,sed nunc iam non nouimus eũ. Et in Ioannis epistola scribitur: Charissimi, nunc filij dei sumus,& necdum manifestum est quod futuri sumus. Scimus enim quoniam cũ apparuerit, similes ei erimus:quia uidebimus eum sicuti est. Quodq; reuelatum sibi & sanctis per spiritum esse testatur,non statim sequitur,ut ipse alijs reuelauerit. Alioquin audiuit & in paradiso uerba ineffabilia,quę alijs narrare non poterat:aut si narrauit,nequaquã ineffabilia sunt.

Secunda quæstio fuit, in qua dicis legisse te per trãsitum in opusculis meis:quod agni qui stant à dextris,& hædi qui stant à sinistris,Christiani sint atq; gentiles: & nõ potius boni &

mali. Non memini me hoc aliquando dixisse: & si dixissem, non essem in errore pertinax. Quantum autem dictanti subito occurrit: in secundo uolumine contra Iouinianũ super hoc capitulo disputasse me noui: & non solum super hoc, sed & de eo quod in eandem quæstionem cadit, ubi pisces mali à bonis piscibus separabuntur. Quod ergo ibi plene dictum est: nunc omittendum uidetur. Tertio interrogaueras, quod dicit Apostolus in aduentu domini saluatoris, rapi quosdam uiuentes obuiam in nubibus: ita ut non præueniantur ab his qui in Christo dormierunt: uisq; nosse, utrum sic occurrant in corporibus, & non ante moriantur, cum & dominus noster mortuus sit, & Enoch atque Elias secundum Apocalypsim Ioannis morituri esse dicantur: ne scilicet ullus sit qui non gustauerit mortem. Hoc ex ipsius loci continentia sciri potest, quod sancti qui in aduentu saluatoris fuerint deprehensi in corpore, in ijsdem corporibus occurrant ei: ita tamen ut inglorium & corruptiuum & mortale, gloria & incorruptione & immortalitate mutetur: ut qualia corpora surrectura sint, in talem substantiam etiam uiuorũ corpora transformentur. Vnde dicit in alio loco Apostolus: Propter quod nolumus expoliari, sed superuestiri: ut absorbeatur mortale hoc à uita, ne scilicet corpus ab anima deseratur, sed anima habitante in corpore, fiat inclytum quod ante inglorium fuit. De Enoch autem & Elia quos uenturos Apocalypsis refert & esse morituros, non est istius tẽporis disputatio: cum omnis ille liber aut spiritualiter intelligendus sit, ut nos existimamus: aut si carnalem interpretationem sequimur, Iudaicis fabulis acquiescendum sit, ut rursum ædificetur Hierusalem & hostiæ offerantur in templo: & spirituali cultu imminuto, carnales obtineant cerimoniæ. Quartum est quod quæsisti, quomodo in Ioannis euangelio post resurrectionem dicatur ad Mariam Magdalenam: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum. Et rursum in Matthæo scriptum sit, quod ad uestigia saluatoris mulieres corruerint: cum utiq; non sit idipsum tangere post resurrectionem pedes eius & non tangere. Maria Magdalena ipsa est à qua septem dæmonia expulerat: ut ubi abundauerat peccatum, superabundaret gratia: quæ quia dominũ hortulanum putabat, & quasi cum homine loquebatur, & quærebat uiuentem cum mortuis, recte audiuit: Noli me tangere. Et est sensus: Non mereris meis hærere uestigijs: nec adorare quasi dominum: nec eius tenere pedes, quem non existimas surrexisse. Tibi enim necdum ascendi ad patrem meum. Cæteræ uero mulieres quæ pedes tangunt, dominum confitentur & merentur eius hærere uestigijs, quem ad patrem ascendisse confidunt. Quanquam etiam si eadem mulier diuersis in euangelijs & tenuisse pedes, & nõ tenuisse referatur, facilis solutio sit: cum potuerit corrigi primum quasi incredula, & postea non repelli, quasi ea quæ errorem confessione mutauerat. Quod & de latronibus intelligi potest, cum alius euangelista utrunque blasphemasse, alius narret alterum esse confessum. Extrema schedula continebat, utrum post resurrectionem, quadraginta diebus dominus cum discipulis conuersatus sit: & nunquam alibi fuerit, ac latenter ad cœlum ascenderit atque descenderit, & nihilominus apostolis suam præsentiam non negarit. Si dominum dei filium consideres de quo sermo est, & illum esse qui loquitur: Nónne cœlum & terram ego repleo dicit dominus: & de quo alius propheta testatur, Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorũ: Et rursum alibi, Qui tenet cœlum palmo & terram pugillo: de quo Dauid canit, Quó ibo à spiritu tuo, & à facie tua quó fugiam: Si ascendero in cœlum, tu ibi es: si descendero ad infernum, ades: Et si habitauero in extremis maris, etenim ibi manus tua deducet me, & cõtinebit me dextera tua: profecto non ambiges, etiam ante resurrectionem sic in dominico corpore habitasse deum uerbum, ut in patre esset, & cœli circulum clauderet, atq; in omnibus infusus esset & circunfusus: id est, ut cuncta penetraret interior, & contineret exterior. Stultum est igitur illius potentiam unius corpusculi paruitate finiri, quem non capit cœlum: & tamen qui ubiq; erat, etiam in filio hominis totus erat. Diuina quippe natura, & dei sermo in partes secari non potest, nec locis diuidi: sed cum ubiq; sit, totus ubiq; est. Erat igitur uno eodemq; tempore & cum apostolis quadraginta diebus & cum angelis, & in patre & in extremis maris finibus erat: in omnibus

locis

A locis uerſabatur,cum Thoma in India: cum Petro Romæ: cũ Paulo in Illyrico:cum Tito in Creta:cum Andrea in Achaia:cum ſingulis apoſtolis & apoſtolicis uiris,in ſingulis cũctisq; regionibus. Quod autẽ dicitur,quoſdam deſerere uel non deſerere: non naturæ illius terminus ponitur,ſed eorum merita deſcribuntur apud quos eſſe uel non eſſe dignatur.

HIERONYMVS AD MARCELLAM DE BLASPHEmia in ſpiritum ſanctum.

BReuis eſt quæſtiuncula quã miſiſti: & aperta reſponſio eſt. Si enim de eo quod in euangelio ſcribitur: Quicunq; dixerit uerbum contra filium hominis remittetur ei: qui autem dixerit contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo neq; in futuro: Nouatianus affirmat: non poſſe peccare in ſpiritũ ſanctũ, niſi eum qui Chriſtianus ſit & poſtea negauerit:manifeſtum eſt Iudæos qui eo tempore blaſphemabãt,peccato blaſphemiæ non teneri: quippe qui impij coloni,interfectis prophetis, de nece domini cogitabant: & intantum erant perditi,ut ad ſaluandos eos ſe dei filius ueniſſe reſponderit. Vnde de toto ipſius ſcripturæ ordine conuincendus eſt, non his irremiſſibilem eſſe dictam blaſphemiam qui tormentis compulſi, & uarijs euiſcerati cruciatibus,dominum denegaſſent:ſed his qui cum in uirtutibus uideant opera dei,calumnientur & clamitent, dæmonis eſſe uirtutem: & omnia ſigna quæ facta ſunt,non ad diuinam magnificentiã, ſed ad diabolum pertinere. Vnde & ſaluator noſter toto reſponſionis ſuæ hoc agit argumento:ut doceat, non poſſe ſatanam eijci à ſatana: & regnũ eius inter ſe non eſſe diuiſum. Cum enim diaboli ſtudium ſit,dei lædere creaturam: quomodo eiuſdem poterit eſſe uoluntatis ſanare languentes,& ſeipſum de obſeſſis fugare corporibus? Probet itaq; Nouatianus aliquem de his, qui ſacrificare compulſi ſunt ante tribunal iudicis, reſpondiſſe omnia quæ in euangelio ſcripta ſunt,non à filio dei,ſed à Beelzebub principe dæmoniorũ fuiſſe perfecta: & tunc po-
B terit approbare irremiſſibilem in ſpiritum ſanctum eſſe blaſphemiam. Vt autem & acutius aliquid interrogemus,reſpondeat quid ſit contra filium hominis dicere,& in ſpiritũ ſanctum blaſphemare. Ego quippe aſſero iuxta ſenſum illius,eos qui Chriſtum in perſecutione negauerint,contra filium hominis dixiſſe,& non in ſpiritũ ſanctũ blaſphemaſſe. Qui enim interrogatur an Chriſtianus ſit,& Chriſtianũ ſe non eſſe reſponderit: utiq; negando Chriſtum, hoc eſt filium hominis,ſpiritui ſancto non facit iniuriã.Si autem Chriſtũ negando,negauit & ſpiritum:ediſſerat hæreticus,quomodo non peccet in ſpiritũ,qui filium hominis denegauerit. Aut ſi ſpiritum ſanctum hoc loco intelligendum patrem putat,patris nulla eſt à negatore mentio facta cum negaret. Petrus apoſtolus eo tẽpore quo ancillæ interrogatione perterritus,dominũ negauit:in filium hominis,an in ſpiritũ ſanctum uidetur cõmiſiſſe peccatũ? Si id quod ait,neſcio hominẽ,ridicule uoluerit interpretari, non Chriſtum eum negaſſe ſed hominem: mendacem faciet ſaluatorem,qui ſe,hoc eſt filium dei,negandum eſſe prædixerat. Si autem negauit filium dei,unde & amare fleuit,& trinam negationẽ trina poſtea confeſſione deleuit: manifeſtũ eſt peccatum in ſpiritũ ſanctum ideo non poſſe dimitti,quod habeat blaſphemiam: ut cum uideas in uirtutibus deum,Beelzebub calumnieris in factis. Doceat igitur aliquem negatorem Beelzebub uocaſſe Chriſtũ, & ultro referam gradum,negatorem non poſſe ueniam conſequi poſt ruinam. Aliud eſt tormentis cedere & ſe Chriſtianũ negare,aliud Chriſtũ diabolum dicere,ſicut tibi ipſa ſcriptura atq; contextus lecta attentius poterunt demonſtrare. Fuerat quidem prolixius diſſerendum:ſed quoniam amicis & qui ad noſtrum hoſpitiolum conuenerunt,præſentiam noſtram negare non poſſumus, & tibi non ſtatim reſpondere admodum uiſum eſt arrogantis:latam diſputationẽ,breui ſermone comprehendimus,ut non tam epiſtolam quàm commentariolum dictaremus.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Apparet hanc Hedibiam eruditam mulierem fuiſſe, utpote ab eruditis ortam, Paterio rhetore & Delphidio, proinde per Apodemium in Bethlehem miſſum, proponit diuo Hieronymo duodecim quæſtiones quas ille explicat.

IGnota uultu,fidei mihi ardore notiſſima, de extremis Gallię finibus in Bethlemitico rure latitantem,ad reſpondendum prouocas,de ſanctarum quæſtiuncu lis ſcripturarum:per hominem dei,filium meum Apodemium cõmentariolum dirigens:quaſi uero nõ habeas in tua prouincia diſertos uiros, & in lege dei perfectos:niſi forte experimentum magis noſtri,quàm doctrinam flagitas:& uis ſcire, quid de his quæ ab aliis audiſti,nos quoq; ſentiamus.Maiores tui Paterius atq; Delphidius,quorũ alter antequam ego naſcerer rhetoricam Romæ docuit,alter me iam adoleſcentulo omnes Gallias proſa uerſuq; ſuo illuſtrauit ingenio, iam dormientes & taciti me iure reprehẽdunt, 1
quod audeam ad ſtirpem generis ſui quippiam muſſitare:licet concedens eis eloquẽtiæ magnitudinem,& doctrinam ſecularium literarum, merito ſubtraham ſciẽtiam legis dei: quam nemo accipere poteſt,niſi ei data fuerit à patre luminum, qui illuminat omnem hominẽ uenientem in hunc mundum,& ſtat medius credentium, qui in nomine eius fuerint cõgregati. Vnde libere profiteor:nec dictum ſuperbe pertimeſco: me ſcribere tibi non in doctis humanæ ſapientiæ uerbis, quam deus deſtructurus eſt, ſed in uerbis fidei ſpiritualibus ſpiritualia comparantem:ut abyſſus ueteris teſtamenti inuocet abyſſum euangelicã: in uoce cataractarum, id eſt, prophetarum & apoſtolorum ſuorum, & ueritas domini perueniat uſq; ad nubes:quibus mandatum eſt ne ſuper incredulum Iſrael imbrem pluerent,ſed ut rigarent arua gentilium,& torrentem ſpinarum ac mare mortuum dulcorarẽt.Ora igitur, ut uerus Eliſeus ſteriles in me & mortuas aquas uiuificet, & apoſtolorũ ſale quibus dixerit, Vos eſtis ſal terræ,meum holuſculum condiat:quia omne ſacrificium quod abſq; ſale eſt, domino nõ offertur. Nec fulgore ſecularis eloquentiæ delecteris, quam uidit Ieſus quaſi fulgur cadentem de cœlo:ſed potius eum reſpice,qui non habet decorem nec ſpeciem:homo in plagis poſitus,& 4
ſciens ferre infirmitatem:& quicquid ad propoſita reſpondero, ſcias me non confidentia reſpondiſſe ſermonis,ſed eius fide,qui pollicitus eſt:Aperi os tuum & ego implebo illud. D

Quæſtio prima.

INterrogas quomodo perfectus eſſe quis poſſit,& quomodo uiuere debeat uidua,quæ ſine liberis derelicta eſt.Hoc idem in euangelio legis doctor interrogat.Magiſter,quid faciens,uitam æternam poſſidebo?Cui reſpondit dominus: Mandata noſti? Dicit ille: Quæ? Ieſus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterium, non furtum, non falſum dices teſtimonium:honora patrem & matrem,& diliges proximum tuum ſicut teipſum.Et illo dicente:hæc omnia feci,dominus intulit:Vnum tibi deeſt. Si uis eſſe perfectus: uade & uende omnia quæ habes,& da pauperibus:& ueni ſequere me.Itaque & ego tibi domini noſtri reſpondebo ſermonibus.Si uis eſſe perfecta,& tollere crucem tuam, & ſequi dominum ſaluatorem, & imitari Petrum dicentem: Ecce nos dimiſimus omnia & ſecuti ſumus te: uade & uende omnia quæ habes,& da pauperibus,& ſequere ſaluatorem.Non dixit,da filiis,da fratribus,da propinquis:quos etiam ſi haberes, iure his dominus præferretur, ſed da pauperibus: imò da Chriſto, qui in pauperibus paſcitur: Qui cum diues eſſet, pro nobis pauper factus eſt:qui loquitur in triceſimonono pſalmo:Ego autẽ mendicus ſum & pauper: & dominus ſolicitus eſt pro me. Statimq; quadrageſimi pſalmi de eo exordium eſt: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem. Intelligentia opus eſt, & poſt intelligẽtiam beatitudine, qui ſit egenus & pauper. Non utiq; ille qui mendicitate & ſqualore coopertus eſt, & tamen non recedit à uitiis,ſed de quibus Apoſtolus loquitur: Tantum ut pauperum memores eſſemus. Ob quorum refrigeria laborant Paulus & Barnabas in eccleſiis gentium, ut collectæ fierent per primam ſabbati:& hanc ipſam oblationem, non per alios ſed per ſe deferre feſtinant:his qui ſuas pro Chriſto amiſere ſubſtantias,qui perſecutiones paſſi ſunt,qui dixerunt patri ſuo & matri, uxoribus & liberis: Non nouimus uos. Hi impleuerunt uoluntatem patris, & audierunt dicentem dominum ſaluatorem: Mater mea & fratres mei hi ſunt qui faciunt uoluntatem patris mei.Et hæc dicimus, non quod in pauperes Iudæos ſiue gentiles &

omnino

A omnino cuiuslibet gentis pauperes,prohibeamus faciendam eleemosynam,sed quod Chri
stianos & credentes pauperes incredulis præferamus, & inter ipsos Christianos sit multa di
uersitas,utrum peccator an sanctus sit. Vnde & Apostolus passim in omnes misericordiam
§ probans,infert:maxime in domesticos fidei. Domesticus fidei est, qui eadem tibi religione
coniungitur,quem à consortio fraternitatis peccata non separant. Quod si de inimicis quoq;
nobis præcipitur:ut si esurierint,demus eis cibum:si sitierint,demus eis potum,& hæc facien
tes congregemus carbones super caput eorum:quanto magis de his qui non sunt inimici, &
qui Christiani sunt atq; sancti? Neq; uero hoc quod dicitur:hoc enim faciés,carbones ignis
congregabis super caput eius:in malam partem accipiendū est,sed in bonam. Quando enim
inimicis nostris præbemus beneficia, maliciam eorum nostra bonitate superamus,& molli/
mus duriciam,iratumq; animum ad molliciem & beneuolentiam flectimus:atq; ita congre/
gamus carbones super capita eorum,de quibus scriptum est: Sagittæ potentis acutę,cū car/
bonibus desolatorijs:ut quomodo de altari à seraphim carbo sublatus,prophetæ labia pur/
gauit:ita & inimicorum nostrorum peccata purgentur,& uincamus in bono malum,& bene
dicamus maledicentibus: & imitemur patrē nostrum, qui solem suū oriri facit super bonos
& malos,& pluit super iustos & iniustos. Igitur & tu quia paucos habes filios, plurimos fac
tibi amicos,de iniquo mammona,qui te recipiāt in æterna tabernacula. Pulchre dixit,de ini/
quo: Omnes enim diuitiæ de iniquitate descendunt: & nisi alter perdiderit, alter non potest
inuenire. Vnde & illa uulgata sententia mihi uidetur esse uerissima: Diues aut iniquus,aut
iniqui hæres,Quod cum legis doctor audisset,& ferre nō posset:quia habebat diuitias mul/
tas,cōuersus dominus ad discipulos ait: Quàm difficile qui diuites sunt intrare possunt in re
gna cœlorum. Non dixit impossibile,sed difficile: licet exemplum posuerit impossibilitatis.
Facilius est camelum per foramen acus transire,quàm diuitem intrare in regnū dei. Hoc aūt
non tam difficile est quàm impossibile. Nunquam enim fieri potest,ut camelus transeat per
B foramē acus. Nunquam igitur diues intrare poterit regna cœlorum. Sed camelus tortuosus
& curuus est,& graui sarcina prægrauatur. Et nos ergo quando prauas ingredimur semitas,
& rectam domini uiam dimittimus, & oneramur mundi diuitijs siue pondere delictorū,re/
gnum dei ingredi non ualemus. Quod si deponamus grauissimam sarcinam,& assumamus
nobis pennas columbæ:uolabimus & requiescemus,& dicetur nobis: Si dormiatis inter me/
dios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Dorsum
nostrum quod prius informe erat, & graui sarcina premebatur, habeat nitorem auri, quod
interpretatur in sensu:& alas deargentatas,quæ intelliguntur eloquia scripturarū:& regnum
dei intrare poterimus. Dicunt apostoli se omnia quæ sua fuerant dimisisse,& mercedem pro
hac uirtute audacter exposcunt. Quibus respondit dominus: Omnis qui relinquit domum,
aut fratres,aut sorores,aut patrem,aut matrem,aut uxorem, aut filios,aut agros propter no
men meum,centuplum accipiet,& uitam æternam possidebit. O quanta beatitudo,pro par/
uis magna recipere,æterna pro breuibus,pro morituris semper uiuētia,& habere dominum
debitorem. Si qua autem uidua habet liberos, & maxime si nobilis familiæ est, egentes fili/
os non dimittat, sed ex æqualitate, & ut meminerit primum animæ suæ, & ipsam putet esse
de filijs,& partiatur potius cum liberis quàm omnia filijs derelinquat:imò Christum libero
rum suorum faciat cohęredem. Respondebis,difficile est,durum est,& contra naturam. Sed
dominum audies tibi respōdentem: Qui potest capere,capiat. Et, si uis esse perfecta. Non ti
bi iugum necessitatis imponit,sed potestati tuæ liberum concedit arbitrium. Vis esse perfe/
cta,& in primo stare fastigio dignitatis,fac quod fecerūt apostoli,uende omnia quæ habes,
& da pauperibus, & sequere saluatorem, & nudam solamq; crucem, nuda sequaris & sola.
Non uis esse perfecta, sed secundum uis tenere gradum uirtutis, dimitte omnia quæcunq;
habes,da filijs, da propinquis. Nemo te reprehendit si inferiora secteris, dummodo illam
scias tibi iure prælatam, quæ elegerit prima. Dices,hoc apostolorum est & uirorum: mulie/
rem autem nobilem non posse omnia uendere,quæ multis adiumentis huius uitæ indigeat.

Audi

Audi igitur apoſtolum commonentem: Non ut alijs refrigerium, uobis autem tribulatio: c
ſed ex æqualitate, ueſtra abundantia illorum ſuſtentet inopiam: ut & illorum abundantia,
ueſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Vnde inquit dominus: Qui habet duas tunicas, det alte-
ram non habenti. Quid ſi Scythiæ frigora ſint, & alpinæ niues: quæ non duabus & tribus
tunicis, ſed uix pecudum pellibus repelluntur? Quicquid ergo corpori noſtro ſufficere po-
teſt, & humanæ ſuccurrere imbecillitati, quos nudos natura profudit: hoc una appellanda
eſt tunica: & quicquid in præſentibus alimentis neceſſarium eſt, hoc unius diei uictus ap-
pellatur. Vnde præceptum eſt: Non cogitetis de craſtino, hoc eſt de futuro tempore. Et
Apoſtolus: Habentes, inquit, uictum & ueſtitũ, his contenti ſumus. Si plus habes quàm tibi
ad uictum ueſtitumq; neceſſarium eſt, illud eroga, & in illo debitricem eſſe te noueris. Ana-
nias & Sapphira apoſtoli meruere ſententiam, quia ſua timide reſeruarunt. Ergo ne, inqui-
es, puniendus eſt qui ſua non dederit? Minime. Ideo puniti ſunt, quia mentiri uoluerunt ſpi-
ritui ſancto: & reſeruantes neceſſaria uictui ſuo, quaſi perfecte ſeculo renunciantes, uanam
gloriam ſectabantur. Alioqui licet libere uel dare uel non dare. Quanquam ei qui cupiat
eſſe perfectus, præſens paupertas, futuris diuitijs compenſanda ſit. Quomodo autem uidua
uiuere debeat, breui ſermone comprehendit Apoſtolus, dicens: Vidua quæ in delitijs eſt, ui
uens mortua eſt, & nos in duobus libellis quos ad Furiam & Saluinam ſcripſimus, plenius
dictum putamus.

Quæſtio ſecunda.

QVomodo accipiendum ſit illud ſaluatoris apud Matthæum: Dico autem uobis: non
bibam amodo de hoc genimine uitis, uſq; in diem illum quo bibam illud nouum uo-
biſcum in regno patris mei. Ex hoc loco quidam mille annorum fabulam ſtruunt: in qui-
bus Chriſtum regnaturum corporaliter eſſe contendunt: & bibiturum uinum, quod ex illo
tempore uſq; ad cõſummationem mundi non biberit. Nos autem audiamus panem, quem D
fregit dominus, deditq; diſcipulis ſuis, eſſe corpus domini ſaluatoris, ipſo dicente ad eos: Ac
cipite & comedite, hoc eſt corpus meum: & calicem illum eſſe, de quo iterum locutus eſt: Bibi
te ex hoc omnes: hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Iſte eſt ca- 6
lix de quo in propheta legimus: Calicem ſalutaris accipiam. Et alibi: Calix tuus inebrians
quàm præclarus eſt. Si ergo panis qui de cœlo deſcendit, corpus eſt domini: & uinum quod
diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt noui teſtamenti, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem
peccatorum: Iudaicas fabulas repellamus, & aſcendamus cum domino cœnaculũ magnum,
ſtratum atq; mundatum, & accipiamus ab eo ſurſum calicem noui teſtamenti: ibiq; cum eo
paſcha celebrãtes, inebriemur ab eo uino ſobrietatis. Non enim eſt rẽgnum dei cibus & po-
tus, ſed iuſticia & gaudium, & pax in ſpiritu ſancto. Nec Moyſes dedit nobis panem uerum,
ſed dominus Ieſus: ipſe conuiua & conuiuium: ipſe comedens & qui comeditur: Illius bibi-
mus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus, & quotidie in ſacrificijs eius de genimine
uitis ueræ, & uineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus, & nouum ex
his uinũ bibimus de regno patris: nequaquam in uetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus, cã-
tantes canticum nouum, quod nemo poteſt cantare, niſi in regno eccleſiæ, quod regnum pa
tris eſt. Hunc panem & Iacob patriarcha comedere cupiebat, dicens: Si fuerit dominus deus
mecum, & dederit mihi panem ad ueſcendum, & ueſtimentum ad operiendum. Quotquot
enim in Chriſto baptizamur, Chriſtum induimus, & panem comedimus angelorum, & au
dimus dominum prædicantem: Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatem eius qui me miſit pa-
tris, ut impleam opus eius. Faciamus igitur uoluntatẽ eius qui miſit nos patris, & impleamus
opus eius, & Chriſtus nobiſcum bibet in regno eccleſiæ ſanguinem ſuum.

Quæſto Tertia.

QVæ cauſa ſit, ut de reſurrectione domini & apparitione, euangeliſtæ diuerſa narraue-
rint. In quibus primum quæris: cur Mattheus dixerit: Veſpere autem ſabbati illu-
ceſcente in una ſabbati dominum ſurrexiſſe, & Marcus mane reſurrectionem eius factã eſſe

commemoret

A commemoret,ita ſcribens:Cum autē reſurrexiſſet una ſabati mane apparuit Mariæ magdalenæ,de qua eiecerat ſeptem dæmonia: & illa abiens, nunciauit his qui cum eo fuerāt lugentibus & flentibus.Illiq; audiētes quod uiueret,& quod uidiſſet eum,nō crediderunt ei.Huius
7 quæſtionis,duplex ſolutio eſt.Aut enim nō recipimus Marci teſtimonium,quod in ratis fertur euangeliis,omnibus Græciæ libris penè hoc capitulū in fine non habentibus, præſertim cum diuerſa atq; cōtraria euangeliſtis cæteris narrare uideatur.Aut hoc reſpondendū, quod uterq; uerū dixerit:Matthæus quando dominus ſurrexerit ueſpere ſabbati: Marcus autem, quādo eum uiderit Maria Magdalene,id eſt,mane prima ſabbati.Ita enim diſtinguendum eſt:Cum autem reſurrexiſſet:& parumper ſpiritu coartato inferendum,prima ſabbati mane apparuit Mariæ Magdalenę:ut qui ueſpere ſabbati (iuxta Matthæum) ſurrexerat,ipſe mane prima ſabbati(iuxta Marcum) apparuerit Mariæ Magdalenæ. Quod quidē & Ioannes euangeliſta ſignificat,mane eum alterius diei uiſum eſſe demonſtrans.

Quæſtio Quarta.

QVomodo iuxta Matthæum,ueſpere ſabbati Maria Magdalene uidit dominum reſurgentem: & Ioannes euangeliſta refert eam mane una ſabbati iuxta ſepulchrum flere? Vna ſabbati dies dominica intelligenda eſt:quia omnis hebdomada in ſabbatum,& in primam, & ſecundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & ſextam ſabbati diuiditur: quam ethnici idolorum & elementorum nominibus appellant. Deniq; apoſtolus collectam pecuniæ, quæ indigentibus præparabatur, in una ſabbati præcepit congregandam. Nec putandum eſt, Matthæum & Ioannem diuerſa ſenſiſſe: ſed unum atq; idem tempus, mediæ noctis ſcilicet & gallorum cantus, diuerſis appellaſſe nominibus. Matthæus enim ſcribit: Veſpere ſabbati, id eſt ſero, non incipiente nocte, ſed iam profunda & magna ex parte tranſacta,apparuiſſe dominum Mariæ Magdalenæ: & apparuiſſe, ueſpere ſabbati illuceſcentis in unam ſabbati:ſeipſum interpretans quid dixiſſet,ueſpere ſabbati,id eſt,appropinquāte iam luce ſequentis diei: Et Ioannem non abſolute dixiſſe: Vna autem ſabbati uenit Maria Ma-
B gdalene mane ad ſepulchrum, ſed addidiſſe,cum adhuc eſſent tenebræ. Eiuſdem igitur atq; unius temporis, id eſt, mediæ noctis atq; gallorum cantus, alterum finem, alterum dixiſſe principium.Mihiq; uidetur euangeliſtam Matthæum, qui euangelium Hebraico ſermone conſcripſit,non tam ueſpere dixiſſe quàm ſero:& eum qui interpretatus eſt,uerbi ambiguitate deceptum,non ſero interpretatum eſſe,ſed ueſpere. Quanquam conſuetudo humani ſermonis teneat:ſero non ueſperum ſignificare,ſed tarde. Solemus enim dicere: ſero ueniſti,id eſt,tarde:& quæ facere ante debueras,fac ſaltem ſero,id eſt,tarde. Sin autem illud obijcitur: quomodo eadem Maria quæ prius uiderat dominum reſurgentem, poſtea ad ſepulchrum eius flere referatur: hoc dicendum eſt, quod & ſola & cum altera, ſiue cum alijs mulieribus memor beneficiorum,quæ in ſe dominus contulerat,ad ſepulchrum eius frequenter cucurrerit,& nunc adorauerit quem uidebat,nunc fleuerit quem quærebat abſentem.Licet quidam duas Marias Magdalenas de eodem uico Magdalo fuiſſe contendant, & alteram eſſe quæ in Matthæo eum uiderit reſurgentem, alteram quæ in Ioanne eum quærebat abſentem. Quatuor autem fuiſſe Marias,in euangelijs legimus:unam matrem domini ſaluatoris, alteram materteram eius, quæ appellata eſt Maria Cleophæ,tertiam Mariam matrem Iacobi & Ioſe, quartam Mariam Magdalenam. Licet alij matrem Iacobi & Ioſe, materteram eius fuiſſe contendant. Nonnulli (ut ſe liberent quæſtione) in Marco uolunt unam eſſe de Marijs: ſed non additum cognomen Magdalene, & ex ſuperfluo ſcriptorum inoleuiſſe uitio,quod primum euangeliſta non ſcripſerit. Nobis autē ſimplex uidetur & aperta reſponſio,ſanctas fœminas,Chriſti abſentiam non ferētes,per totam noctem, non ſemel,nec bis, ſed crebro ad ſepulchrū domini cucurriſſe, præſertim cum terræmotus, & ſaxa diruta, & ſol fugiens,& rerum natura turbata,& (quod his maius eſt) deſiderium ſaluatoris ſomnum ruperit fœminarum.

Quæſtio

Quæstio Quinta.

QVomodo iuxta Matthæum, Maria Magdalene uespere sabbati cum altera Maria aduoluta sit pedibus saluatoris: cum secundum Ioannem, audierit à domino: Noli me tangere, necdum enim ascendi ad patrem meum. Quæ prius uiderat dominum resurgentem cum altera Maria, & eius pedibus fuerat aduoluta: postea reuersa per noctem (domi enim ob desiderium eius manere non poterat) uenit ad sepulchrum. Cumq; lapidem quo monumentum fuerat clausum, uidisset ablatum, cucurrit ad Simonem Petrum, & ad alterum discipulum quem Iesus amabat plurimum, & dicit eis: Tulerunt dominum de monumento: & nescio ubi posuerunt eum. Error mulieris cum pietate sociatus est. Pietas in eo erat, quod desiderabat eum, cuius nouerat maiestatem. Error in eo, quod dicebat: Tulerunt dominum de monumento, & cætera. Deniq; cum Petrus & Ioannes introeuntes sepulchrum, uidissent linteamina separata: & sudarium quo caput domini fuerat inuolutum, seorsum positum: & resurrexisse crederent, cuius corpus non inuenerant in sepulchro: Maria stabat ad monumentum foris plorans. Cumq; se inclinasset, uidit duos angelos in albis sedentes in loco monumenti ad caput & pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu: ut sub tanta custodiæ dignitate, non crederet ab hominibus potuisse furari, qui ministris angelis seruabatur. Dicunt ei angeli, quos cernebat: Mulier quid ploras? secundum illud quod dominus loquebatur ad matrem: Quid mihi & tibi est mulier? nondum uenit hora mea: ut ex eo quod appellauerunt mulierem, arguerent frustra plorantem, & dicerent: Quid ploras? Intantum autem Maria Magdalene obstupefacta torpuerat, & fidem miraculis territa quasi in caligine possidebat, ut ne angelorum quidem præsentium sentiret aspectum, sed muliebriter responderet, & diceret: Ideo ploro, quia tulerunt dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum. O Maria, si dominum credis & dominum tuum, quomodo arbitraris ab hominibus sublatum? Nescio, inquit, ubi posuerunt eum. Quomodo nescis, quem paulo ante adorasti? Cumq; uideret angelos, & quos cernebat, ignoraret: stupore perterrita, huc D atque illuc faciem circumferebat, nihil aliud nisi dominum uidere desiderans, conuersaque retro, uidit Iesum stantem: & nesciebat, quia Iesus erat. Non quod iuxta Manichæum & alios hæreticos formam dominus uultumq; mutasset, ut pro uoluntate diuersus ac uarius uideretur: sed quod Maria stupefacta miraculo, hortulanum putaret, quem tanto studio requirebat. Itaque & dominus ijsdem uerbis, quibus & angeli loquitur ad eam: Mulier quid ploras? Addiditq; de suo, quem quæris? At illa respondit: Domine si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam. Hic dominum non de confessione ueræ fidei saluatorem uocat, sed humilitate & timore hortulano defert obsequium. Et uide, quanta ignorantia. Quem custodiebat cohors militum, cuius sepulchro angeli præsidebant, ab uno hortulano arbitratur ablatum: & ignorans imbecillitatem fœmineam, tantarum se uirium repromittit & credit, ut corpus uiri & perfectæ ætatis, quod (ut cætera taceam) centum libris myrrhæ circumlitum erat, existimaret ab una & pauida muliere posse portari. Cumq; Iesus appellasset eam, atque dixisset Maria, ut quem facie non agnoscebat, uoce intelligeret: illa in errore persistens, nequaquam dominum, sed Rabbi, id est magistrum uocat. Et uide quanta turbatio, quem hortulanum putans dominum nuncupauerat, dei filium resurgentem magistrum uocat. Itaque ad eam quæ quærebat uiuentem cum mortuis, quæ errore fœmineo & imbecillitate muliebri huc illucq; currebat, & corpus quærebat occisi cuius pedes uiuentis tenuerat, loquitur dominus & dicit: Noli me tangere, tibi enim nondum ascendi ad patrem meum. Et est sensus: Quem mortuum quæris, uiuentem tangere non mereris. Si me necdum putas ascendisse ad patrem, sed hominum fraude sublatum, meo tactu indigna es. Hoc autem dicebat, non ut studium quærentis obtunderet, sed ut dispensationem carnis assumptæ, in diuinitatis gloriam sciret esse mutatam, & nequaquam corporaliter uellet esse cum domino, quem spiritualiter credere deberet regnare cum patre. Vnde & apostoli maioris fidei sunt, qui absque angelorum uisu, absque ipsius

saluatoris

A saluatoris aspectu, postquam corpus eius in monumento non repererant, crediderunt eum ab inferis surrexisse. Alij putant primum esse quod à Ioanne narratum est: uenisse Mariam Magdalenam ad sepulchrum, & uidisse reuolutũ lapidem à monumento: & postea regressam cum apostolis, Petro & Ioanne, solam ad monumentum remansisse: & idcirco adhuc incredulam, à domino fuisse correptam: reuersamq; domum, rursum ad sepulchrũ uenisse cum Maria: & ab angelo monitam, exeuntem de monumento, adorasse dominum: & tenuisse pedes eius, quando ab eo pariter audierunt: Auete. Et illæ accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eũ. Quę intantũ profecerunt, ut mittantur ad apostolos, & audiant primum, nolite timere: secundo, ite nunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt.

Quæstio Sexta.

QVomodo custodiente militum turba, Petrus & Ioãnes libere ingressi sint sepulchrum, nullo prohibente custodum. Hac uidelicet causa, quia uespere sabbati quę lucescebat in prima sabbati, uenit Maria magdalene, & altera Maria uidere sepulchrum. Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus quoq; domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: eratq; aspectus eius sicut fulgur: & uestimẽtum illius, sicut nix. Præ timore autem eius perterriti sunt custodes, & facti sunt uelut mortui. Igitur qui fuerant tanto timore perterriti, ut putarentur mortui: aut dimisisse sepulchrum & fugisse credendi sunt: aut ita corpore & animo obtorpuisse, ut non dicam uiros, sed ne mulierculas quidem, sepulchrum intrare cupientes, auderent prohibere. Magnus enim timor eos exterruerat, uidentes lapidem reuolutum, & terræmotum factum, non ex more solito, sed tam magnum, qui cuncta concuteret, & euersionem terræ funditus minaretur: Angelum quoq; descendisse de cœlo, tam claro uultu, ut non lampadem & humana lumen arte succensum, sed fulgur imitaretur cœli, quo illustrantur omnia. Vnde & in tenebris uidere potuerunt. Itaque libere introeunt. Viderat enim Maria Magdalene, quæ eis nunciauerat lapidem reuolutum, & cor-
B pus domini de monumento esse sublatum. Angelum autem non putemus idcirco uenisse, ut aperiret sepulchrum domino resurgenti, & reuolueret lapidem: sed postquam dominus resurrexit, hora qua ipse uoluit, & quæ nulli mortalium cognita est, indicasse quod factum est: Et sepulchrum uacuum reuolutione lapidis, & sui ostendisse præsentia: quæ omnia uidebantur, splendore faciei ipsius, & horrorem tenebrarum fulgoris claritate uincente.

Quæstio Septima.

QVomodo Matthæus & Marcus scribant apostolis mandatum per mulieres, ut irent in Galilæam dominum reuisuri: cum Lucas & Ioannes, Hierosolymis ab illis uisum esse perhibeant. Aliud est undecim se offerre discipulis, qui propter metum Iudæorum abscondi erant: quãdo ad eos clausis ingressus est ianuis: & putantibus, quod uideretur in spiritu, manus & latus obtulit, clauis & lancea uulneratum: aliud quãdo secundum Lucam, præbuit se eis in multis argumentis per dies quadraginta, apparẽs eis & loquens de regno dei: & conuescens præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent. In altero enim pro consolatione timentium uidebatur: & uidebatur breuiter, rursumq; ex oculis tollebatur. In altero autem tanta familiaritas erat & perseuerantia, ut cum eis pariter uesceretur. Vnde & Paulus apostolus refert eum quingentis simul apparuisse discipulis. Et in Ioanne legimus, quod piscantibus apostolis in litore steterit, & partem assi piscis fauumq; comederit: quæ ueræ resurrectionis indicia sunt. In Hierusalem autem nihil horum feciisse narratur.

Quæstio Octaua.

QVid significet quod in euangelista Matthæo scriptum est: Iesus autem clamans uoce magna, emisit spiritum: & uelum templi scissum est in duas partes, à summo usq; deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerũt. Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius, uenerunt in sanctam ciuitatem & apparuerunt multis. De hoc loco in ijsdem Matthæi commentarijs differuimus. Primumq; dicendum, quod diuinæ sit potentiæ, ponere animã quan-

do uoluerit,& rursum accipere eam. Deniq; Centurio audiens eum dixisse ad patrem: In ma c
nus tuas cõmendo spiritum meũ:& statim spiritũ sponte dimisisse:cõmotus signi magnitudi
ne ait: Vere filius dei erat iste. Velũ quoq; templi scissum est in duas partes: ut cõpleretur il
lud quod refert Iosephus, præsides templi dixisse uirtutes: Transeamus ex his sedibus. In e
uãgelio aũt quod Hebraicis literis scriptũ est,legimus:non uelũ templi scissum,sed superlimi s
nare templi miræ magnitudinis corruisse. Terra,inquit,mota est,pendentem dominũ suum
ferre nõ sustinens:& petræ scissæ sunt,ut indicarent duritiã Iudæorum,qui præsentem dei fi
lium intelligere noluerunt:& monumenta aperta sunt,in signum futuræ resurrectionis:mul
taq; sanctorum corpora exeuntia de sepulchris, uenerunt in sanctam ciuitatem,& apparue
runt multis. Sanctam ciuitatem, Hierosolymam debemus accipere, ad distinctionem om
nium ciuitatum, quæ tunc idolis seruiebant. In hac enim sola fuit templum, & unius dei cul
tus,& uera religio: & non omnibus apparuerunt,sed multis, qui resurgentem dominum su
sceperunt. Deinde iuxta Anagogen dicendum est, quod inclamante Iesu & emittente spiri
tum:uelum templi scissum sit in duas partes à summo usq; deorsum: & omnia legis sint reue
lata mysteria: ut quæ prius recõdita tenebantur,uniuersis gentibus proderentur. In duas aũt
partes, in uetus & nouum testamentum: & à summo usq; deorsum: ab initio mundi, quan
do homo conditus est, & reliqua quæ facta sunt in medio, sacra narrat historia,usq; ad con
summationem mundi. Et quærendum, quod uelum templi scissum sit, exterius an interius?
Mihi uidetur in passione domini illud uelum esse conscissum, quod in tabernaculo & in tem
plo foris positum fuerat, & appellabatur exterius. Quia nunc ex parte uidemus, & ex parte
cognoscimus. Cum autem uenerit quod perfectum est, tunc & uelum interius dirumpen
dum est:ut omnia quæ nunc nobis abscondita sunt,domus dei sacramẽta uideamus. Videa
mus quid significent duo cherubim: quid oraculum, quid uas aureum in quo manna recon
ditum fuit. Nunc enim per speculum uidemus in ænigmate: & cum historiæ nobis uelum
scissum sit, ut ingrediamur atrium dei, tamen secreta eius & uniuersa mysteria quæ in cœle d
sti Hierusalem clausa retinentur,scire non possumus. Igitur in passione domini terra commo
ta est:iuxta illud quod scriptum est in Aggæo: Adhuc semel, & ego mouebo cœlum & ter
ram:& ueniet desideratus cunctis gentibus: ut ab Oriente & Occidente ueniant & recũbant
cum Abraham,Isaac, & Iacob. Et petræ scissæ sunt, dura corda gentilium: siue petræ,uniuer
sa uaticinia prophetarum, qui & ipsi à petra Christi cum apostolis petræ uocabulum acce
perunt:ut quicquid in eis duro legis uelamine claudebatur, scissum pateret gentibus. Monu
menta quoq; de quibus scriptum est: Vos estis sepulchra extrinsecus dealbata, quæ intus
plena sunt ossibus mortuorũ:ideo sunt aperta,ut egrederentur de his,qui prius in infidelitate
mortui erãt,& cum resurgente Christo atq; uiuẽte uiuerent,& ingrederentur cœlestẽ Hieru
salem:& haberent municipatum,nequaquam in terra, sed in cœlo:morientesq; cum terreno
Adam,resurgerent cum Adam supercœlesti. Porrò secundum literam, nulli uiolentum esse
uideatur,mortuo saluatore appellari Hierusalem sanctam ciuitatem:cum usq; ad destructio
nem eius semper apostoli templum ingressi sint, & ob scandalum eorum qui de Iudæis cre
diderant legis exercuerint ceremonias. Intantum autem Hierusalem amauit dominus,ut fle
ret eam & plangeret,& pendens in cruce loqueretur? Pater ignosce illis: quod enim faciunt,
nesciunt. Itaq; impetrauit quod petierat:multaq; statim de Iudæis milia crediderunt, & usq;
ad quadragesimumsecundum annum datum est tempus pœnitentiæ. Post quos perseueran
tibus illis in malicia,egressi sunt duo ursi de syluis gentiũ Romanarũ, Vespasianus & Titus,
& blasphemantes pueros,ascendente uero Eliseo in domum dei (hoc enim interpretatur Be
thel) uoce consona illudentes interfecerunt,atq; lacerauerunt:& ex eo tempore Hierusalem
non appellatur ciuitas sancta:sed sanctitatem & pristinum nomen amittens, spiritualiter uo
catur Sodoma & Aegyptus:ut ædificetur pro ea ciuitas noua, quam fluminis impetus læti
ficat:& de cuius medio egreditur fons, qui totius orbis amaritudinem mitigauit:ut miserabi
lis Israel,ruinas templi,nudatis plangat lacertis:& in Christo turba credentium,noua quoti

die uideat

A die uideat ecclesiæ tecta consurgere, & dicat Sion: Angustus mihi locus est: impleatur ꝙ illud quod in Esaia scriptum est:Et erit sepulchrum eius inclytum.

Quæstio Nona.

QVomodo saluator secundum Ioannem, insufflauit spiritum sanctum in sanctos apostolos:& secundum Lucam,post ascensionem se missurum repromittit? Huius quæstionis perfacilis solutio est,si docente apostolo Paulo, spiritus sancti diuersas gratias nouerimus. Scribit enim in prima ad Corinthios epistola: Diuisiones donorum sunt,idem uero spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt,idem autem dominus: & diuisiones operationum sunt, idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuiq; autem datur manifesta-
9 tio spiritus, ad id quod expedit. Alij quidem datur per spiritum sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ secundum eundem spiritum. Alij gratia sanitatum in uno spiritu:alij fides in eodem spiritu:alij operatio uirtutum:alij prophetia,alij discretio spirituū: alij genera linguarum:alij autem interpretatio sermonū. Hæc autem omnia operatur unus atq; idem spiritus, diuidēs singulis prout uult.Ergo dominus qui post resurrectionem suam iuxta Lucæ euangelium dixerat:Ecce ego mittam promissionem patris mei in uos: Vos autem sedete in ciuitate quoadusq; induamini uirtute ex alto: & iuxta eundem in apostolorum actibus est locutus: præcepit eis ab Hierosolymis ne discederent,sed expectarēt promissionem patris: quam audistis, inquit,per os meū: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto,non post multos hos dies. Rursum in fine euangelij secundum Ioannem:eo die quo resurrexerat,id est, die dominica, clausis ianuis ad apostolos introisse narratur, & dixisse eis secūdo,Pax uobis:& intulisse:Sicut misit me pater,& ego mitto uos:hoc cum dixisset, insufflauit,& dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata,remittuntur eis, & quorum retinueritis,retenta erunt.Prima igitur die resurrectionis, acceperunt spiritus sancti gratiam:qua peccata dimitterent & baptizarent,& filios dei facerent, & spiritum adoptionis
B credentibus largirentur:ipso saluatore dicente: Quorum remiseritis peccata,remittūtur eis:& quorum retinueritis,retenta erūt. Die aūt pentecostes eis amplius repromissum est,ut baptizarentur spiritu sancto, & induerentur uirtute ex alto, qua Christi euangelium cunctis gentibus prædicarent:iuxta illud quod in sexagesimoseptimo psalmo legimus:Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa:ut haberent operationem uirtutū,& gratiam sanitatum,& prędicaturi multis gentibus,acciperent genera linguarū:ut iā tunc cognosceretur, qui apostolorum quibus deberent gentibus nunciare. Deniq; apostolus Paulus qui de Hierusalem usq; ad Illyricum prędicauit,& inde per Romam ad Hispaniam ire festinat,gratias agit deo,quod cunctis apostolis magis linguis loquatur. Qui em̄ multis gentibus annunciaturus erat,multarum linguarū acceperat gratiā. Quæ repromissio spiritus sancti die decima post ascensionem saluatoris expleta est,Luca referente,qui scripsit:Cum complerentur dies pentecostes,erant omnes pariter in eodem loco:& factus est repente de cœlo sonus tanq̄ aduenientis spiritus uehementis: & repleuit totam domum ubi erāt sedentes,& apparuerunt illis dispartitæ linguæ tanq̄ ignis:seditq; supra singulos eorum,& repleti sunt omnes spiritu sancto,& cœperunt loqui alijs linguis,prout spiritus sanctus dabat eloqui illis. Tunc cōpletum est illud quod legitur in Iohel:Et erit in nouissimis diebus,dicit dominus:Effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ, seniores uestri somnia somniabunt,& iuuenes uestri uisiones uidebunt. Verbum aūt effusionis significat gratiæ largitatem,& idipsum sonat, quod dominus repromisit: Vos autē baptizabimini spiritu sancto non post multos hos dies. Intantū enim spiritu sancto baptizati sunt:ut repleretur tota domus ubi erant sedentes:& ignis spiritus sancti stationē in eis inueniret optatā,linguasq; diuideret: & secundum Esaiam,qui immunda labia habere se dixerat,purgaret labia eorum, ut euangelium Christi purius prædicarent. Et in Esaia quidem superliminare templi dicitur fuisse cōmotum:& repleta est omnis domus fumo,id est errore & tenebris,ueriq; ignorātia. In principio aūt euangelij repletur spiritu sancto ecclesia,ut gratia eius atq; feruore,omnium

credentium peccata purgentur,& igne ſpiritus ſancti,quem dominus miſſurum eſſe ſe dixe/ C
rat,prædicatura Chriſtum lingua ſanetur. Non ergo Ioannes Lucasq; diſcordant: ut quod
ille primo reſurrectionis die datum eſſe ſignificat, hic quinquageſimo die ueniſſe deſcribat:
ſed profectus apoſtolicus eſt,ut qui primo remittendorum peccatorum gratiam acceperant,
poſtea acciperent operationes uirtutum, & cuncta donationum genera, quæ ab Apoſtolo
deſcripta commemorauimus:&(quod magis neceſſarium erat)diuerſitatem linguarum om/
nium gentiũ:ut annunciaturi Chriſtũ, nullo indigerent interprete. Vnde & in Lycaonia cum
audiſſent Paulum & Barnabam loqui linguis ſuis, deos in homines conuerſos eſſe credebãt.
Et re uera indumentum uirtutis,ſpiritus ſancti gratia eſt: quam poſſidẽtes,iudicum tribuna/
lia & regum purpuras non timebant. Promiſerat enim dominus prius q̃ pateretur, & dixe/
rat:Cum autẽ tradent uos,nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.Dabitur enim uo/
bis in illa hora,quid loquamini. Non enim uos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris ueſtri
qui loquitur in uobis. Ego autẽ audacter & tota libertate pronũcio,ex eo tempore quo apo
ſtoli domino crediderunt,ſemper eos habuiſſe ſpiritũ ſanctũ: nec potuiſſe ſigna facere abſq;
ſpiritus ſancti gratia,ſed pro modulo atq; menſura. Vnde ſaluator clamabat in tẽplo dicẽs:
Qui ſitit,ueniat ad me,& bibat:& qui credit in me,ſicut dicit ſcriptura:flumina de uentre eius
fluent aquæ uiuæ.Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credẽtes in eum.Et in eo/
dem loco infert: Nondum em̃ erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondũ fuerat glorificatus: non
quod non eſſet ſpiritus ſanctus, dicente domino ſaluatore: Si aũt ego in ſpiritu ſancto eĳcio
dæmonia:ſed quia erat in domino,necdũ totus in apoſtolis morabatur, Quã ob rem terren/
tur ad paſſionem eius, & negãt, & Chriſtũ ſe neſcire iurant.Poſtquam aũt baptizãtur in ſpi/
ritu ſancto,& infunditur in eos ſpiritus ſancti gratia, tũc libere loquũtur ad principes Iudæo
rum: Obedire magis deo oportet, q̃ hominibus:mortuos ſuſcitant: inter flagella lætantur, D
fundunt ſanguinem pro Chriſto, & ſupplicijs ſuis coronãtur. Nondum ergo erat ſpiritus in
apoſtolis,nec de uentre eorum fluebant gratiæ ſpiritales, quia dominus necdum fuerat glo/
rificatus. Quæ ſit aũt gloria,ipſe in euangelio loquitur:Pater glorifica me gloria quam apud
te habui,prius quàm mundus eſſet.Gloria ſaluatoris, patibulum triumphantis eſt. Crucifi/
gitur ut homo,glorificatur ut deus.Deniq; ſol fugit,luna mutatur in ſanguinem,terra motu
inſolito contremiſcit:aperiuntur inferi,mortui ambulant,ſaxa rumpuntur.Hæc eſt gloria,de
qua loquebatur in pſalmo:Exurge gloria mea,exurge pſalterium & cithara. Ipſaq; de ſe re/
ſpondit gloria & diſpenſatio carnis aſſumptæ: Exurgam diluculo, ut impleatur uigeſimipri/
mi pſalmi titulus,pro aſſumptione matutina.Hæc dicimus,nõ quod alium deum,alium ho/
minẽ eſſe credamus,& duas perſonas faciamus in uno filio dei,ſicut noua hæreſis calumnia/
tur:ſed unus atq; idẽ filius dei & filius hominis eſt:& quicquid loquitur, aliud referimus ad
diuinam eius gloriam, aliud ad noſtram ſalutem. Pro quibus non rapinam arbitratus eſt ſe
eſſe æqualem deo,ſed ſemetipſum exinaniuit,formam ſerui accipiens:factus obediens patri
uſq; ad mortem,mortem aũt crucis.Et uerbum caro factum eſt,& habitauit in nobis.Miror
autem Montanum & inſanas fœminas eius,abortiuos prophetas,domino promittente atq;
dicente:Vado & alium paracletum mittam uobis:& poſtea Luca euangeliſta narrante,quod
apoſtoli acceperunt quod promiſſum eſt: id multo poſt tempore in ſe dicere fuiſſe comple/
tum.Apoſtolis enim promiſſum eſt:Ego mittam ſponſionem patris mei in uos:& uos ſede/
bitis in ciuitate,quoaduſq; induamini uirtute ex alto: & reſurgẽs, in apoſtolos inſufflauit,&
non in Montanum,Priſcillam & Maximillã:& illis,id eſt apoſtolis ait: Quorum dimiſeritis
peccata,dimittuntur eis:& quorum retinueritis,retenta ſunt.Apoſtolis inquam,præcepit, ne
diſcederẽt ab Hieroſolymis:ſed expectarent promiſſionẽ patris.Et poſtea quod promiſſum
eſt,expletũ legimus:Repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto,& cœperunt loqui alĳs linguis,prout
ſpiritus ſanctus dabat eloqui illis.Spiritus enim ſanctus ubi uult ſpirat. Et quando dicit do/
minus,alium paracletum mittam uobis,& ſe oſtendit eſſe paracletum,qui appellatur conſo/
lator. Vnde & deus pater hoc cenſetur nomine,deus miſerationum & totius cõſolationis.Si

autem

A autem & pater consolator,& filius consolator,& spiritus sanctus consolator est:& in nomine patris & filij & spiritus sancti,quod intelligitur deus,baptizantur credentes:quorũ unum diuinitatis & consolatoris est nomen,eorum & una natura est.Hic spiritus sanctus,non solũ in apostolis,sed etiam in prophetis fuit:de quo Dauid orabat, dicẽs: Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.Et Daniel spiritũ deĩ habuisse narratur:& Dauid in spiritu loquitur, dixisse dominũ domino suo:sede à dextris meis,donec ponam inimicos tuos, scabellũ pedum tuorum.Nec sine spiritu sancto prophetauerũt prophetæ:& uerbo domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorum, & quicquid patris & filij est,hoc idem & spiritus sancti est:& ipse spiritus sanctus cum mittitur, à patre & filio mittitur: in alio atq; alio loco, spiritus dei patris,& Christi spiritus appellatur. Vnde & in Actibus apostolorum:qui Ioannis baptismate fuerant baptizati,& credebant in deum patrem & Christum: quia spiritum sanctum nesciebant,iterum baptizantur:imò tunc uerum accipiunt baptisma. Absq; enim spiritu sancto,imperfectũ est mysterium trinitatis.Et in eodem uolumine, Petrus Ananiæ & Sapphiræ dixisse narratur,quod mentientes spiritui sancto,non sint hominibus mentiti,sed deo.

Quæstio Decima.

QVid significet illud quod apostolus Paulus disputat, ad Romanos scribens: Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud deũ? absit:usq; ad eum locũ, ubi ait:Nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen,sicut Sodoma facti fuissemus,& sicut Gomorra similes fuissemus. Omnis quidẽ ad Romanos epistola,interpretatione indiget:& tãtis obscuritatibus inuoluta est, ut ad intelligendam eam spiritus sancti indigeamus auxilio: qui per Apostolum hæc ipsa dictauit: sed præcipue locus hic, in quo quidam uolentes dei seruare iusticiam, ex præcedentibus causis dicunt electum in utero Rebeccæ Iacob,& abiectum Esau:sicut & Hieremias & baptista Ioãnes eliguntur in utero:& ipse apostolus Paulus prædestinatur in euangelium antequam nascatur.Nobis autem nihil placet,nisi quod ecclesiasticum est
B & publice in ecclesia dicere nõ timemus:ne iuxta Pythagoram & Platonem & discipulos eorum,qui sub nomine Christiano introducunt dogma gentilium, dicamus animas lapsas de cœlo esse,& pro diuersitate meritorum,in his uel in in illis corporibus pœnas antiquorũ luere peccatorum.Multoq; melius est simpliciter imperitiam confiteri,& inter cætera quæ nescimus,etiam huius loci obscuritatem refugere,quàm dum uolumus dei probare iusticiam, Ba
10 silidis & Manichæi hæresim defendere,& Hiberas nænias Aegyptiaq; portenta sectari. Dicamus igitur,ut possumus,& apostolicæ uoluntatis sequentes uestigia, ne punctum quidem (ut dicitur)atq; unguem transuersum,ab illius sententijs recedamus.Fleuerat supra,& dolori suo & conscientiæ testem inuocauerat spiritum sanctum, quod fratres sui & cognati secundum carnem,id est Israelitæ,dei filium non recepissent,quorũ fuit adoptio,& gloria,& testamentum,& legislatio,& cultura, & promissio: ex quibus etiam ipse Christus secundum carnem de Maria generatus est uirgine: & tam continuo cordis dolore torquetur: ut ipse optet anathema esse à Christo,id est solus perire,ne omne Israeliticũ genus pereat. Et quia hoc dixerat,statim uenientem è regione præuidit quæstionẽ. Quid ergo dicis? Omnes qui ex Israel sunt perierunt? Et quomodo tuipse & cæteri apostoli, & infinita Iudaici populi multitudo, Christum dei filium recepistis? Quam ita soluit:Israel in scripturis sanctis dupliciter appellatur, & in duos diuiditur filios: In unum qui iuxta carnem est, & in alterũ qui iuxta repromissionem & spiritum.Abraham duos habuit filios, Ismael & Isaac. Ismael,qui secundum carnem natus est, hæreditatẽ patris non accepit. Isaac, qui de repromissione generatus ex Sara est, semen dei appellatur. Scriptum est enim:In Isaac uocabitur tibi semen,id est,non qui filij carnis,hi filij dei:sed qui sunt filij repromissionis,isti existimantur in semine.Et hoc non solum in Ismael & Isaac accidisse conuincimus:sed etiã in duobus Rebeccæ filijs,Esau & Iacob: quorum alter abiectus,alter electus est.Et hoc totum dicit,ut in duobus prioribus fratribus, Ismael & Esau,populum Iudæorum abectum esse significet:In posterioribus autem,hoc est in Isaac & Iacob, electum populum gentium: uel eos qui ex Iudæis in Christum crediturí

erant. Et quoniam hoc uolens approbare, propoſuerat teſtimonium naſcentium gemino/ C
rum Eſau & Iacob:de quibus ſcriptum eſt:Maior ſeruiet minori:Et in Malachia legimus:Ia/
cob dilexi, Eſau autem odio habui: uenientem è latere quæſtionẽ more ſuo proponit & diſ/
ſerit:& hac ſoluta, reuertitur ad id de quo cœperat diſputare. Si Eſau & Iacob necdum nati
erant: nec aliquid egerant boni aut mali,ut uel demererentur deum, uel offenderent: & ele/
ctio eorum atq; abiectio,non merita ſingulorũ, ſed uoluntatem eligentis & abijcientis ofte
dit:quid ergo dicemus? Iniquus eſt deus? Secundum illud exemplũ quo loquitur ad Moy/
ſen: Miſerebor cui miſertus fuero:& miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.Si hoc, inquit,
recipimus, ut faciat deus quodcunq; uoluerit, & abſq; merito & operibus uel eligat aliquem
uel condemnet:ergo non eſt uolentis neq; currentis, ſed miſerentis dei: maximæ cum eadem
ſcriptura,hoc eſt idem deus loquatur ad Pharaonem: In hoc ipſum excitaui te,ut oſtendam
in te uirtutem meam,& annuncietur nomen meum in uniuerſa terra. Si hoc ita eſt,& pro uo
luntate ſua miſeretur Iſraeli, & indurat Pharaonem: ergo fruſtra queritur atq; cauſatur, nos
uel bona non feciſſe,uel feciſſe mala: cum in poteſtate ipſius ſit & uoluntate, abſq; bonis &
malis operibus uel eligere aliquem uel abijcere, præſertim cum uoluntati illius humana fra/
gilitas reſiſtere nequeat. Quam ualidam quæſtionem, ſcripturarum ratione contextam, &
penè inſolubilem,breui Apoſtolus ſermone diſſoluit,dicens:O homo, tu quis es qui reſpon
deas deo? Et eſt ſenſus. Ex eo quod reſpondes deo,& calumniam facis, & de ſcripturis tan/
ta perquiris, ut loquaris contra deum, & iuſticiam uoluntatis eius incuſas, oſtendis te liberi
eſſe arbitrij, & facere quod uis, uel tacere uel loqui. Si enim in ſimilitudinem uaſis fictilis te
à deo creatum putas,& illius nõ poſſe reſiſtere uoluntati:hoc conſidera, quia uas fictile non
dicit figulo, quare me ſic feciſti? Figulus enim habet poteſtatem de eodem luto aut eadem
maſſa aliud uas in honorem facere, aliud in contumeliam.Deus autem æquali cunctos for/
te generauit: & dedit arbitrij libertatem,ut faciat unuſquiſq; quod uult,ſiue bonum ſiue ma D
lum. Intantum autem dedit omnibus poteſtatem, ut uox impia diſputet contra creatorem
ſuum,& cauſas uoluntatis illius perſcrutetur. Sin autem deus uolens oſtendere iram, & no/
tam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia uaſa iræ,apta ad interitum:ut ofte
deret diuitias gloriæ ſuæ in uaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam: quos & uocauit,
non ſolum nos ex Iudæis, ſed etiam ex gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem
meam, plebem meam:& non dilectam,dilectam:& erit in loco ubi dictum eſt eis,non plebs
mea uos, ibi uocabuntur filij dei uiui: & cætera quæ ſequuntur. Si,inquit,patientia dei indu
rauit Pharaonem,& multo tempore pœnas diſtulit Iſraelis, ut iuſtius cõdemnaret,quos tan
to tempore ſuſtinuerat: non dei accuſanda eſt patientia & infinita clementia, ſed eorum du/
ritia,qui bonitate dei in perditionem ſuam abuſi ſunt.Alioquin unus eſt ſolis calor:& ſecun
dum eſſentias ſubiacentes,alia liquefacit,alia indurat,alia ſoluit,alia conſtringit. Liquatur e/
nim cera,& induratur lutum:& tamen caloris nõ eſt diuerſa natura. Sic & bonitas & clemen
tia dei,uaſa iræ quæ apta ſunt in interitum,id eſt populum Iſrael,indurat: uaſa autem miſeri/
cordiæ quæ præparauit in gloriã,quæ uocauit,hoc eſt nos, qui non ſolum ex Iudæis ſumus,
ſed etiam ex gentibus,nõ ſaluat irrationabiliter & abſq; iudicij ueritate,ſed cauſis præceden/
tibus:quia alij non ſuſceperunt filium dei,alij autem recipere ſua ſponte uoluerunt. Hæc au/
tem uaſa miſericordiæ, non ſolum populus gentium eſt: ſed etiam hi qui ex Iudæis credere
uoluerunt,& unus credentium effectus eſt populus. Ex quo oſtenditur,non gentes eligi,ſed
hominum uoluntates, atq; ita factum eſt ut impleretur illud quod dictum eſt in Oſee: Vo/
cabo non plebem meam,plebem meam,hoc eſt populum gentium: & quibus prius diceba/
tur,non plebs mea uos, nunc uocentur filij dei uiui. Quod ne ſolum de gentibus dicere uide
retur,etiam eos qui ex Iſraelitica multitudine crediderunt,uaſa miſericordiæ & electionis ap
pellat.Clamat enim Eſaias pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael quaſi arena maris,re
liquiæ ſaluæ fient:hoc eſt, etiam ſi multitudo non crediderit, tamen pauci credent. Verbum
enim conſummatum atq; breuiatum in ſua deus æquitate librauit: ut humilitate & incarna/

natione

A natione Christi eos saluos faceret, qui in eum credere uoluissent. Hoc ipsum & in alio loco dixit Esaias: Nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti fuissemus, & sicut Gomorra similes essemus. Cumq; testimonia proposuisset, quibus duplex uocatio prę dicitur, & gentium & populi Iudæorum, transit ad cohærentem disputationem: & idcirco dicit gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehendisse iusticiã: quia non superbierint, sed in Christum crediderint: Israelis autem magnam partem ideo corruisse, quia offenderit in lapidem offensionis & petram scandali, & ignorauerit iusticiam dei, & quærens suam statuere iusticiam, iusticiæ dei quæ Christus est, subiici noluerit. Legi in cuiusdam commentariis sic respondisse Apostolum, ut magis implicuerit quàm soluerit quæstionem. Ait enim ad id quod propositum fuerat: Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud deum? Et non est uolentis neq; currentis, sed miserentis dei: & cuius uult miseretur, & quem uult indurat deus, & uoluntati eius quis potest resistere? sic Apostolum respondisse: O homo, qui terra & cinis es, audes facere quæstionem deo? & uas fragile atq; testaceum rebellas contra figulũ tuum? Nunquid figmentum potest dicere ei qui se finxit: quare me sic fecisti? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem uas in honorem, aliud uero in contumeliam? Æterno igitur silentio conticesce, & scito fragilitatem tuã, & deo ne moueas quæstionem, qui fecit quod uoluit, ut in alios clemens, in alios seuerus existeret.

Quæstio undecima.

QVid sit quod Apostolus scribit ad Corinthios in secunda epistola: Aliis odor mortis in mortem, aliis odor uitæ in uitam, & ad hæc quis tam idoneus? Totum loci huius capitulum proponamus, ut ex præcedentibus & sequentibus possint intelligi media quæ ex utroq; contexta sunt. Cum uenissem, ait, Troadem, propter euangelium Christi, & ostium mihi euidens apertum esset in domino, non habui requiem spiritui meo, eo quod non inue-
B nerim Titum fratrem meum, sed uale faciens eis, profectus sum in Macedoniã. Deo autem
II gratia qui semper nos triumphat in Christo Iesu, & odorem noticię suæ per nos manifestat in omni loco, quia Christi bonus odor sumus deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereũt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor uitæ in uitam. Et ad hæc quis tam idoneus? Non enim sumus, sicut plurimi uenundantes uerbum dei, sed ex sinceritate: sed sicut ex deo, coràm deo in Christo loquimur. Narrat Corinthiis quæ fecerit, quæ passus sit, & quomodo in cunctis deo agat gratias, ut sub exemplo sui illos prouocet ad certandũ. Veni, inquit, Troadem, quæ prius Troia appellabatur, ut euangeliũ Christi in Asia prædicarem. Cumq; mihi ostium apertũ esset in domino, hoc est, plurimi credidissent, siue per signa atq; uirtutes quæ in me operabatur deus, spes esset nascẽtis fidei & in domino succrescentis, non habui requiem spiritui meo, hoc est, speratam consolationem inuenire non potui: eo quod Titum fratrem meũ non inuenerim, siue quem ibi reperiendũ putabam, siue quem ibi audieram degere, uel qui uenturũ esse illuc se dixerat. Quæ autem fuit tanta consolatio, & quæ requies spiritui in præsentia Titi: quem quia non inuenit, ualefaciens eis, profectus est in Macedoniam? Aliquoties diximus apostolũ Paulum uirum fuisse doctissimũ, & eruditum ad pedes Gamalielis, qui in apostolorũ actibus cõcionatur, & dicit: Et nunc quid habetis cum hominibus istis? Si enim à deo est, stabit: si ex hominibus, destruetur. Cumq; Paulus haberet scientiã sanctarum scripturarum, & sermonis diuersarumq; linguarũ gratiam possideret: unde ipse gloriatur in domino, & dicit: Gratias ago deo quod omniũ uestrum linguis magis loquor: diuinorum sensuum maiestatem digno non poterat Græci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titũ interpretem, sicut & beatus Petrus Marcum. Cuius euangeliũ, Petro narrante, & illo scribente, compositũ est. Denicq; & duæ epistolæ quæ feruntur Petri, stilo inter se & charactere discrepãt, structuraq; uerborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum, diuersis eum usum interpretibus. Ergo & Paulus apostolus cõtristatur, quia prædicationis suæ in presentiarũ fistulam, organumq; pe? quod Christo caneret, non inuenerat: perrexitq; in Macedoniam: apparuerat enim ei uir Macedo dicens: Transiens adiuua nos: ut ibi

inueniret Titum,& uisitaret fratres,uel persecutionibus probaretur:hoc est enim quod dicit: C
Deo autem gratia qui semper triumphat nos in Christo Iesu,& odorem noticiæ suæ spargit in omni loco. Triumphat nos, pro eo quod est, triumphat de nobis,siue triumphum suum agit per nos:qui in alio loco dixerat: Spectaculum facti sumus mundo & angelis & hominibus.Deniq; narrat in cõsequentibus. Nam cum uenissemus Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra,sed omnem tribulationem passi sumus.Foris pugnæ,intus timores. Sed deus qui consolatur humiles,cõsolatus est nos in aduentu Titi. Non solũ autem in aduentu eius,sed etiã in solatio. Ergo propterea ualefaciens Troianis siue Troadensibus, profectus est in Macedoniam,ut inueniret ibi Titum, & haberet interpretationis euãgelijq; solatium: quem intelligimus non ibi repertum, sed post tribulationes & persecutiones apostoli superuenisse. Prius ergo quàm uenisset Titus, multa perpessus, agit gratias deo in Christo Iesu, quem gentibus prædicabat,quod dignum se elegerit,in quo ageret triumphum filij sui. Triumphus dei est,passio martyrum, & pro Christi nomine cruoris effusio, & inter tormenta lætitia.Cum enim quis uiderit tanta perseuerantia stare martyres atq; torqueri, & in suis cruciatibus gloriari, odor noticiæ dei disseminatur in gentes: & subit tacita cogitatio,quod nisi uerum esset euangelium, nunquam sanguine defenderetur. Neq; enim delicata & diuitijs studens ac secura confessio est, sed in carceribus,in plagis, in persecutionibus,in fame, in nuditate & siti.Hic triumphus est dei,apostolorũq; uictoria.Sed poterat audiens respondere: Quomodo ergo non omnes crediderunt? Prius ergo quàm interrogaretur soluit ἀνθυπφορὰν: & iuxta morem suum quicquid alius obijcere potest, antequàm obijciatur edisserit. Et est sensus: Nominis Christi in omni loco bonus odor sumus deo, & prædicationis nostræ longe lateq; spirat fragrantia. Sed quia homines suo arbitrio derelicti sunt: neq; enim bonum necessitate faciunt, sed uoluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli supplicijs mancipentur:ideo odor noster qui per se bonus est,uirtute eorum & uitio qui suscipiunt siue non suscipiunt,in uitam transit aut mortem:ut qui crediderint,salui fiant,qui uero non credi- D
derint, pereant.Nec hoc mirandum de apostolo,cum etiam de domino legerimus: Ecce hic positus est in ruinam,& in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui cõtradicitur: solisq; radios tam munda loca excipiant quàm immũda, & sic in floribus quomodo in stercore luceant, nec tamen solis radij polluuntur: Sic & Christi bonus odor, qui nunq; mutari potest, nec suam naturam amittere, credentibus uita est, incredulis mors. Mors autem non ista communis,qua cum bestijs morimur & iumentis:sed illa de qua scriptũ est, Anima quæ peccauerit,ipsa morietur.Ergo & uita arbitranda est non hæc, qua spiramus & incedimus,& huc illucq; discurrimus: sed illa de qua Dauid loquitur: Credo uidere bona dimini in terra uiuentium. Deus enim uiuorum est, & non mortuorum: & uita nostra abscondita est cum Christo in deo.Cum autem Christus apparuerit uita nostra,tunc & nos cum illo apparebimus in gloria.Nec uobis,inquit,ô Corinthij parum esse uideatur, si nobis prædicantibus ueritatem,alij credant,alij non credant:alij uera morte moriantur, alij uiuant ea uita quæ dicit: Ego sum uita.Nisi enim nos locuti essemus,nec incredulos mors, nec credentes uita sequeretur:quia difficile dignus præco Christi inueniri potest,qui in annũciandis illis non suam, sed eius quærat gloriam quem prædicat. In eo autem quod se negat non esse sicut multos, qui uenditent uerbum dei,ostendit esse quàmplurimos,qui quæstũ putant esse pietatem, & turpis lucri gratia omnia faciunt,qui deuorant domos uiduarum: se autem ex synceritate quasi missum à deo,& præsente eo qui se miserit,omnia in Christo & pro Christo loqui: ut causa prædicationis dei,triumphus Christi,eiusq; sit gloria. Et notandum quod mysterium trinitatis in huius capituli fine mõstretur.Ex deo enim in spiritu sancto,coràm deo patre,in Christo loquimur. Ad comprobandum autem quod de Troade perrexerit Macedoniam, de apostolorum actibus ponam testimonium.Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & uisio per noctem Paulo ostensa est. Vir Macedo quidam erat stans & deprecans eum dicens: Transiens in Macedoniam adiua nos. Quod cum audisset,statim

quæriuimus

A quæsiuimus proficiſci in Macedoniam, certi facti, quod uocaſſet nos deus euangelizare eis.

Quæstio duodecima.

QVid ſit quod in epiſtola ſcribit ad Theſſalonicenſes prima: Ipſe autem deus pacis ſanctificet uos per omnia:ut integer ſpiritus ueſter & anima & corpus, ſine querela in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur. Famoſa quæſtio, ſed breui ſermone tractanda. Supra dixerat, ſpiritum nolite extinguere: quod ſi fuerit intellectū, ſtatim ſciemus quis iſte ſit ſpiritus, qui cum anima & corpore in die aduentus domini conſeruandus eſt. Quis enim poſſit credere, quod inſtar flammæ quæ extincta deſinit eſſe quod fuerat, extinguatur ſpiritus ſanctus, & ſuſtineat abolitionem ſui, qui fuit quondam in Iſrael, quando per Eſaiam & Hieremiam & ſingulos prophetas dicere poterat: Hæc dicit dominus: & nunc in eccleſia per Agabum loquitur: Hæc dicit ſpiritus ſanctus. Diuiſiones donorum ſunt, idem uero ſpiritus: & diuiſiones miniſteriorum ſunt, idem autem dominus: & diuiſiones operationum, idem uero deus, qui operatur omnia in nobis. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit. Alij per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alij fides in eodem ſpiritu, alij operatio uirtutum, alij gratia ſanitatum in uno ſpiritu, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum. Omnia autem hæc operatur unus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout uult. De hoc ſpiritu, ne à ſe auferretur, rogabat Dauid, dicens: Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Qui quando aufertur, non ſubſtantia ſui, ſed ei à quo aufertur extinguitur. Ego puto unum atq; idem ſignificare, Spiritum nolite extinguere, & quod in alio loco ſcribit, Spiritu feruentes. In quo enim feruor ſpiritus multiplicata iniquitate, & charitatis frigore non tepeſcit: in hoc ſpiritus nequaquam extinguitur. Deus igitur pacis ſanctificet uos per omnia uel in omnibus, ſiue plenos atq; perfectos: hoc enim
12 magis ſonat ὁλοτελεῖς. Deus autem appellatur pacis: quia per Chriſtum ei reconciliati ſumus: qui eſt pax noſtra, qui fecit utraq; unū, qui & in alio loco pax dei dicitur: ſuperans om-
B nem ſenſum, quæ cuſtodit corda cogitationesq; ſanctorum. Qui autem ſanctificatur ſiue perfectus in omnibus eſt, in hoc & ſpiritus & anima & corpus in die domini cōſeruatur. Corpus, ſi ſingulorum membrorum utatur officijs: uerbi gratia, ſi operetur manus, pes ambulet, oculus uideat, audiat auris, dentes cibos molant, ſtomachus coquat, aluus digerat: aut ſi nulla membrorum parte truncatum eſt. Et hoc quiſquam poteſt credere, Apoſtolum pro credentibus deprecari: ut in die iudicij integrum omnium corpus Chriſtus inueniat: cum omnium corpora, aut morte diſſoluta ſint: aut ſi (ut quidam uolunt) reperta fuerint ſpirantia, adhuc habeant debilitates ſuas, & maxime martyrum, & eorum qui pro Chriſti nomine uel oculos effoſſos, uel amputatas nares, uel abſciſſas manus habeant? Ergo integrum corpus eſt: de quo diximus in alia quæſtione, tenens caput, ex quo omne corpus connexum atq; compactum, accipit augmentum in ædificationem corporis Chriſti. Hoc corpus eccleſia eſt. Et quicunq; huius corporis tenuerit caput, & cætera membra ſeruauerit, habebit integrum corpus, quantum accipere poteſt humana natura. Iuxta hunc modum & animæ integritas conſeruanda eſt, quæ dicere poteſt: Benedic anima mea dominum, qui ſanat omnes infirmitates tuas: & de qua ſcriptum eſt: Miſit uerbum ſuum, & ſanauit eos. Spiritus quoq; in nobis integer conſeruatur, quando non erramus in ſpiritalibus, ſed uiuimus in ſpiritu, acquieſcimus ſpiritui, & opera carnis mortificamus ſpiritu, afferimusq; omnes fructus eius, charitatem, gaudiū, pacem, & cætera. Aliter. Præcipitur nobis, Solomone dicente: Tu autem deſcribe ea tripliciter in cōſilio & ſcientia, ut reſpondeas uerbū ueritatis, his qui proponunt tibi. Triplex in corde noſtro deſcriptio & regula ſcripturarum eſt. Prima, ut intelligamus eas iuxta hiſtoriam. Secunda iuxta Tropologiam. Tertia iuxta intelligentiā ſpiritualem. In hiſtoria, eorum quæ ſcripta ſunt, ordo ſeruatur. In Tropologia, de litera ad maiora conſurgimus: & quicquid in priori populo carnaliter factū eſt, iuxta moralem interpretamur locū, & ad animę noſtrę emolumēta cōuertimus. In ſpirituali θεωρίᾳ ad ſublimiora trāſimus: terrena dimittimus: de futurorū beatitudine & cœleſtibus diſputamus, ut præſentis uitæ meditatio

umbra

umbra futuræ beatitudinis ſit. Quos Chriſtus tales inuenerit: ut & corpore & anima & ſpí/ c
ritu integri conſeruentur, & perfectam habeant triplicis in ſe ſcientiæ ueritatem: hos ſua pace ſanctificabit, & faciet eſſe perfectos. Multi ſimpliciter hunc locum de reſurrectione intelli/ gunt: ut & ſpiritus & anima & corpus in aduentu domini integra conſeruentur. Alíj ex hoc loco triplicem in homine uolunt affirmare ſubſtantiam: Spiritus, quo ſentimus: animæ, qua uiuimus: corporis, quo incedimus. Sunt qui ex anima tantũ & corpore ſubſiſtere hominem differentes, ſpíritum in eo tertium nõ ſubſtantiam uelint intelligi, ſed efficientiam, per quam & mens in nobis, & ſenſus, & cogitatio & animus appellantur: & uticꝫ non ſunt tot ſubſtan/ tiæ, quot nomina. Cumcꝫ illud eis oppoſitum fuerit: Benedicite ſpíritus & animæ iuſtorum domino: ſcripturam non recipiunt, dicentes eam in Hebraico non haberi. Nos autem in præ ſenti loco (ut ſupra diximus) ſpíritum qui cum anima & corpore integer cõſeruatur, non ſub/ ſtantiam ſpiritus ſancti, quæ non poteſt interire, ſed gratias eius donationesꝫ accipimus, quæ noſtra uel uirtute uel uitio, & accenduntur & extinguuntur in nobis.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

SVo luſtrauit ingenio.) Nonnulli codices habebant illuſtrauit. Vtracꝫ lectio probe habet: 1
Luſtrauit, quod illius ſcripta per omnes Galliæ partes uolitarent & uagarentur. Illuſtrauit, quod nobilitarit: ſed mihi luſtrauit magis arridet. Quippiam muſſitare.) Muſſitare, eſt paululũ ac tacite loqui, quod & mutire uocant, à μυ & uerbo μύζω. Licet cõcedens eis.) Paucíſſimis contigit quod diuo Hieronymo, ut hæc tria ſimul coniungerent: literas, quas uocant ſecu/ lares, eloquentiam & ſcientiam ſcripturæ diuinæ. Non indoctis.) Retulit uerba Pauli è prima ad Corinthios epiſtola capite ſecundo. Vt abyſſus ueteris.) Verba pſalmi quadrageſimi primi trahit 2
ad Allegoriam. Indicat obiter in quo ſita ſit Theologica cognitio, non in curioſis & ambitioſis quæſtio nibus uel rixis potius, ſed in utriuſcꝫ inſtrumenti ſcientia, in qua mire ualuit Hieronymus. Porrò catara ctæ dicuntur præruptæ, per quæ flumen deíjcitur potius quàm defluit. Veritas domini.) Ex pſal/ mo trigeſimoquinto. Et uide, ut mire tria loca contexuit. Quibus mandatum eſt.) Hoc legís pſal/ mo ſeptuageſimoſeptimo. Meum munuſculum condiat.) Quídam codices habẽt holuſculum pro 3
munuſculũ, quidam pectus: ſed holuſculũ, magis probo: quãdoquidẽ Hieronymus palàm alludit ad hí/ D
ſtoriam quæ eſt Regum lib. iiij. cap. iiij. de Eliſeo, qui puerũ emiſit ut colligeret herbas agreſtes, & co/ queret pulmentũ filíjs prophetarũ. Qui cum inueniſſet quaſi uitem ſylueſtrẽ, collectasꝫ ex ea colocyn/ thidas coxiſſet & appoſuiſſet, exclamauerũt: Mors in olla: unde & hic mortuas aquas dixit. Cæterum Eliſeus iniecta farina ſuſtulit amaritudinẽ. Quia omne ſacrificiũ.) Id inculcat lex Moſaica, ne quod ſacrificiũ offeratur abſcꝫ ſale, ut Leuitici ij. Quicquid obtuleris ſacrificíj, ſale condies, nec auferes ſal fœ/ deris dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal. Quam uidit Ieſus.) Lucæ cap. x. quod 4
mire torſit ad ſuperbam eloquentiam, ex alluſione uocum, fulgor & fulgur. Decorem nec ſpeciem.) Ad eum modum mire depinxit Chriſtum Eſaias capite quinquageſimotertio.

Ex prima quæſtione.

Et Apoſtolus paſſiuam in omnes.) Omnes quos uiderim codices habebant paſſiuam. Verũ ego 5
uel omnibus refragantibus non dubitem legere paſſim. Quídam habebãt paſſiuam, & omnem in om/ nes. Locus eſt apud Paulum in epiſtola ad Galatas cap. ſexto. Sed camelus.) Et hic camelus pro ani/ mante accepit, non pro rudente, quemadmodum interpretantur quídam. Quancꝫ Chriſtus cum diui/ tem appellat, non ſimpliciter appellat diuitem qui poſſidet opes, ſed qui eas ut rem magni momenti mi ratur & amat. Alioquí nec princeps bonus, nec bonus epiſcopus, nec bonus iudex erit qui miratur di/ uitias, tantum abeſt ut bonus Chriſtianus.

Ex ſecunda quæſtione.

Hic eſt ſanguis.) Chriſtus alluſit ad uerba, quibus iuxta ceremonias Moſaícas utebatur ſacerdos, 6
aſpergens uictimæ ſanguinem. Vineæ Sorec.) Sic ipſe interpretatur, bona uitis, uel optima uinea, ſeu electa uitis, aut uinea electionís.

Ex tertia quæſtione.

Quod in raris fertur euange.) In his quidem exemplaribus quæ mihi uidere contigit, habebatur 7
quidem, ſed extremo loco, uelut adiecticium. Ita enim diſtinguendum.) Hic perpende lector quan/ tum habeat ad intelligendos autores momenti recta diſtinctio. Eſt enim ceu commentariolum ſermo ſcite ſcriptus, ac diligenter diſtinctus. Verbí ambiguitate deceptum.) Si diuus Hieronymus legiſſet euangelium ſecundum Matthæum Hebraice ſcriptum: hic erat locus illud citandi, cum ait Hebraicam uocem ancipitem fuiſſe. Quancꝫ in Catalogo ſcriptorũ illuſtrium indicat à ſe uiſum in bibliotheca Cæ ſarienſi: ſed quoniam huius teſtimoniũ nuſquã adducit, niſi diſputans de uoce oſanna: aut ſenſiſſe uide/ tur de euangelio Nazarenorum, quod quídam Matthæo tribuebant: aut aliud quippiam in cauſa fuit.

Sed ut

A Sed ut ad rem redeam,apud Latinos ſero fit quod poſt tempus fit,& ſero quod tarde, & ſerum diei dícitur ueſpera,ſicuti mane prima diei pars.Nam Hebræis ueſpere dicitur עֶרֶב pro quo Græcus habet ὀψὲ, quod ſignificat tarde uel ſero,hoc eſt poſt tempus,uel poſt longum tempus,ut apud Latinos ſero. Iacobi & Ioſeph.) In Græcis codicibus habetur ἰωσῆ & ἰωσῆς nominandi caſu. Vnde uetuſti Latinorum codices Ioſetis habent,non Ioſeph.Aut certe Ioſe legendum eſt,non Ioſeph.

Ex octaua quæſtione.

8 In euangelio quod Hebraicis.) Sentit de euangelio Nazarenorum, quod inter apocrypha legitur: id citat & in alijs aliquot locis. Iuxta anagogen.) ἀναγωγὴν, id eſt,ſubductionem,cum ſenſus ad altiora ſuſtollitur,quo uerbo diuus Hieronymus generaliter ſolet uti.

Ex nona quæſtione.

9 Ad id quod expedit.) Sic enim habent Græca πρὸς τὸ συμφέρον, id eſt,ad id quod cõfert. Quod cunctis apoſtolis magis.) Et hunc locum citat iuxta Græcanicam ueritatem. Sic enim habet Paulus capite decimoquarto primæ ad Corinthios epiſtolæ: εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν, id eſt,gratias ago deo meo,quod omnibus uobis magis linguis loquor. Vt ſenſus ſit, Paulum non ideo contemnere linguarum donum, quod ipſe parum eo præcellat: ſed quod utilius iudicet prophetiæ donum. Et cœperunt loqui uarijs linguis.) Vetuſti codices habebant, alijs linguis, conſentientes cum Græcorũ exemplaribus,in quibus eſt, ἑτέραις γλώσσαις. Et tamen Latinus interpres melius expreſſit ſenſum. Non dum enim erat ſpiritus datus.) Ipſe ſermonis tenor arguit, datus, ſuperesſe,alioqui nihil erat opus exponere quod eſſet quidem in domino,ſed nondum in apoſtolis. Montanum.) Is dicebat ſe ſpiritum eſſe ſanctum, quem Chriſtus promiſiſſet diſcipulis.

Ex decima quæſtione.

10 Baſilidis.) Auguſtinus nihil de Baſilide meminit,quod ad hunc locum pertineat. Is negauit mundum à deo conditum,ſed à ſexcenteſimo ſexageſimoquinto cœlo. Chriſtum item crucifixum negauit, ſed eius loco Simonem Cyrenæum. Manichæi.) Is originem peccati non referebat ad liberum arbitrium,ſed ad commixtionem boni & mali: quorum ille duo faciebat principia. Hiberas nænias.) Id eſt, nugas Hiſpanicas.Id diuus Hieronymus libenter uſurpat,haud dubie lectum apud poetã quempiam.Hiberia pars Hiſpaniæ eſt:hi laborabant infamia maleficiorum, & apud illos Geryon fuit triformis,& Tagus fluuius auro fluens. Aegyptiacq; portenta.)Aegyptij mortalium omnium ſuperſtitioſiſſimi,taurum colunt,ſimiam caudatam,canem,arietem,& ſimilia portenta loco numinum habent,&
B fabulas portentuoſas,ut apud Platonem de dæmone Teuth.

Ex undecima quæſtione.

11 Qui ſemper nos triumphat.) τῷ πάντοτε θριαμβεύοντι ἡμᾶς. Sic enim uſurpat hoc uerbi Paulus, in eum ſenſum,quem mox indicabit diuus Hieronymus, ſignificans Paulum hac uoce noue uſum. Sicut plurimi adulterantes.) Exemplaria uetuſta habebãt,uenundãtes,& paulo poſt uenditantes:Græce habet καπηλεύοντες, id eſt,cauponãtes:quo uerbo uſus eſt Ennius apud Ciceronem. Quod omnium ueſtrum linguis.) Cur non potius omnibus uobis,ut genitiuus referatur ad magis, non ad linguis:niſi magis referas ad cæteros apoſtolos ſubauditos. Quæ feruntur Petri.) Videtur addubitare num Petri ſint, quæ nomine Petri feruntur. Nam alio in loco negat alteram eſſe Petri ob ſtilum diuerſum. Charactere diſcrepant.) Characterem uocat figuram dictionis. At mihi uidentur non ſolum ſtilo,ſed etiam ſenſu & ſpiritu non nihil diſcrepare.Nam prior illa multo magis Petrum ſpirat. Antypophoran.) ἀντυποφορὰν, ab ἀντὶ quod eſt contra, & ὑπὸ ſub, & φορὰ latio, cum contra id quod dictum eſt tacite aliquid inferimus. Cum autem pertranſiſſent in Myſiam.) Myſi in Aſia ſunt, uicini Phrygibus, & Troiani Phryges appellãtur apud Maronem. Hoc enim magis ſonat ὁλοτελὲς.)
12 Nam ὅλος τέλος, inde ὁλοτελὴς, cui nulla pars deeſt ſui,ſicut ὡροτελὴς.Nos legimus,ut integer ſpíritus ueſter & anima & corpus ſine querela ſeruetur in aduentu domini. Iuxta hiſtoriã.) ἱσορία Græce narratio eſt. προπολογία cum de moribus loquimur.Nam τρόπος mores, λόγος ſermo, θεωρία ſpeculatio ſiue contemplatio.Noſtri Theologi Theoriam in duas ſecant partes,in Allegoriam,quæ pertinet ad caput eccleſiæ Chriſtum, & illius corpus eccleſiam fidelium:& in Anagogen, quæ pertinet ad eccleſiam militantem. Hiſtoriam quoq; in duas ſecant partes, ſed ridicule,in grammaticum ſenſum & literalem,cum inter hæc nihil interſit,niſi quod grammaticus Græcum eſt,literalis Latinum. Poterant appellare rectius hiſtoricum & grammaticum.

ANTIDOTVS. In prima quæſtione dicit præcipi Chriſtianis,ut inimícos etiam paſcant & potu ſubleuent.Et inimicum exponit bifariam,uel eum qui ſit alienus à noſtra religione, uel eum qui ſit impiæ uitæ.Et quomodo nunc pium habetur, Turcas & alios nihil etiã de nobis male meritos armis opprímere,ſpoliare,occidere? Atqui ad hæc pontifices condonationibus admiſſorum inuitant,& cœlum promittunt cadentibus.Sed Hieronymus Pauli doctrinã ſecutus,ad illa tempora reſpexit, non ad hæc in quibus omnia fere diuerſa ſunt.Olim trucidabantur Chriſtiani,nunc trucidant. Olim deijciebantur poſſeſſione, nunc alios deijciunt.

IN EADEM. Dicit omnes diuitias ab iniquitate proficiſci, nec citra alterius iniuriam eas parari, ac ſententiam

ac ſententiã illam ũt ueriſſimam probat:Diues aut iniquus,aut iniqui hæres. Sed aut diuitem appellat, C
cui cordi ſunt diuitiæ,aut de pleriſq; eſt accipiendum,non de omnibus,ut omneis, ὑπερβολικῶς dixerit
pro pleriſq;, atq; utinã in minus multis locum haberet hæc ſententia. Si quidem ſi quis ad uiuũ exigat,
haud ſcio an uel unum mortalium ſit reperturus qui citra omnem fraudem ſibi pararit diuitias.

IN VNDECIMA. Longe alium triumphum Chriſtianorum facit q̃ nunc uulgo quærunt: uidimus
enim triumphos aliquot Iulij ſecundi,multum ab hac forma diſcrepantes:ac ſignificat, apoſtolicos ui-
ros ſanguine uincere oportere,non armis, & Chriſtianam religionem optime defendi ſanguine.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS

Algaſia & Hedibia ab extremis Galliarum finibus in Bethleem uſq; miſerant inuenem Apodemi-
um Hieronymi uiſendi cupidum,ac per hunc quæſtiones aliquot proponunt explicandas. Vnde appa
ret admirabilem diui Hieronymi fuiſſe famam,ad quem & diuus Auguſtinus miſit ſuum Oroſium.

HIERONYMVS ALGASIAE

FIlius meus Apodemius, qui interpretationem nominis ſui, longa ad nos ueni- 1
ens nauigatione, ſignauit, & de Oceani littore atq; ultimis Galliarum finibus,
Roma præterita quæſiuit Bethleem,ut inueniret in ea cœleſtem panem,& ſatu
ratus eructaret in domino,ac diceret: Eructauit cor meum uerbũ bonum, dico
ego opera mea regi: detulit mihi in parua ſchedula maximas quæſtiones, quas à te datas,
mihiq; tradendas diceret. Ad quarũ lectionem intellexi ſtudium reginæ Saba in te eſſe com
pletum:quæ de finibus terræ uenit audire ſapientiam Solomonis. Non quidem ego Solo-
mon,qui & ante ſe,& poſt ſe, cunctis hominibus præfertur ſapientia,ſed tu regina appellan
da es Saba: in cuius mortali corpore non regnat peccatum, & quæ ad dominum tota mente
conuerſa,audies ab eo:Conuertere,cõuertere Sunamitis. Etenim Saba in lingua noſtra con
uerſionem ſonat. Simulq; animaduerti,quod quæſtiunculæ tuæ de euangelio tantum & de
Apoſtolo propoſitæ,indicant te ueterem ſcripturam aut non ſatis legere,aut non ſatis intel-
ligere, quæ tantis obſcuritatibus & futurorum typis obuoluta eſt, ut omnis interpretatione
egeat:& porta orientalis,de qua uerum lumen exoritur, & per quam pontifex ingreditur & D
egreditur,ſemper clauſa ſit:& ſoli Chriſto pateat,qui habet clauem Dauid, qui aperit & ne-
mo claudit, claudit & nemo aperit:ut illo reſerante introeas cubiculum eius,& dicas:Introdu
xit me rex in cubiculum ſuum. Præterea ſatis miratus ſum,cur puriſſimo fonte uicino, noſtri
tam procul riuuli fluenta quæſieris,& omiſſis aquis Siloe,quæ uadunt cum ſilentio, deſide-
raris aquas Sihor, quæ turbidis ſeculi huius uitijs ſordidantur. Habes iſtic ſanctum uirum 2
Aletium presbyterum,qui uiua (ut aiunt) uoce,& prudenti diſertoq; ſermone poſſit ſoluere
quæ requiris:niſi forte peregrinas merces deſideras,& pro uarietate guſtus, noſtrorũ quoq;
condimentorum te alliamenta delectãt. Alijs dulcia placent, nõnullos ſubamara delectant:
horum ſtomachum acida renouant,illorũ falſa ſuſtentant. Vidi ego nauſeam, & capitis uer-
tiginem antidoto,quæ appellatur πικρὰ, ſæpe ſanari:& iuxta Hippocratem, contrariorum
contraria eſſe remedia. Itaq; noſtram amaritudinem,illius nectareo melle curato: & mitte in
Mara lignum crucis:ſenilemq; pituitam, iuuenili auſteritate cõpeſce, ut poſſis læta cantare: 3
Quàm dulcia gutturi meo eloquia tua,ſuper mel ori meo.

Quæſtio prima.

CVr Ioannes diſcipulos ſuos mittit ad dominum, ut interrogent eum: Tu es qui
uenturus es:an alium expectamus: cum prius ipſe de eodem dixerit: Ecce agnus
dei,ecce qui tollit peccata mundi? De hac quæſtione in commentarijs Matthæi
plenius diximus. Vnde apparet quæ hæc interrogas, ipſa te uolumina nõ habe-
re. Tamen ſtringendũ eſt breuiter,ne omnino tacuiſſe uideamur. Ioannes mittebat diſcipu-
los ſuos in uinculis conſtitutus,ut ſibi quærens illis diſceret:& capite truncandus,illum doce-
ret eſſe ſectandum,quem interrogatione ſua magiſtrum omnium fatebatur. Neq; enim po-
terat ignorare,quẽ ignorantibus ante monſtrauerat,& de quo dixerat: Qui habet ſponſam,
ſponſus eſt. Et: Cuius non ſum dignus calciamenta portare. Et: Illum oportet creſcere, me au
tem minui. Deumq; patrem intonantem audierat: Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi
complacui

A complacui. Quod autem dicit: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? hũc quoq; ſenſum habere poteſt: Scio quod ipſe ſis, qui tollere ueniſti peccata mundi: ſed quia ad inferos deſcenſurus ſum, etiam hoc interrogo, utrum & illuc ipſe deſcendas, an impium ſit, hoc de filio dei credere, aliumq; miſſurus ſis. Hoc autem ſcire deſidero: ut qui te in terris hominibus nunciaui, etiam inferis nunciem: ſi fortè uenturus es. Tu enim es, qui ueniſti dimittere captiuitatem, & ſoluere eos, qui in uinculis tenebantur. Cuius ſciſcitationẽ dominus intelligens, operibus magis q̃ ſermone reſpondit: & Ioanni præcipit nunciari, uidere cæcos, ambulare claudos, leproſos mũdari, ſurdos audire, mortuos ſurgere, & (quod his maius eſt) pauperes euangelizari. Pauperes autẽ uel humilitate uel diuitijs: ut nulla inter pauperem diuitemq; diſtantia ſit ſalutis, ſed omnes uocentur æqualiter. Quodq; infert: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me: non Ioannem, ſed diſcipulos eius percutit, qui prius acceſſerãt ad eum, dicentes: Quare nos & phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? Et ad Ioannem: Magiſter, cui tu præbuiſti teſtimoniũ iuxta Iordanẽ, ecce diſcipuli eius baptizãt, & plures ueniunt ad eum. Quo dicto, liuorem ſignificant de ſignorum magnitudine, ex inuidiæ mordacitate uenientem: cur baptizatus à Ioanne, ipſe audeat baptizare: & multo amplior ad eum turba concurrat, quàm prius uenerat ad Ioannem. Et ne forſitan plebs neſciens, hoc dicto Ioannem ſugillari arbitraretur, in illius laudes perorat: & cœpit de Ioanne ad turbas dicere circunſtantes: Quid exiſtis in deſertum uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid exiſtis in ſolitudinem uidere? hominem mollibus ueſtitũ? & reliqua. Cuius dicti hic ſenſus eſt: Nunquid ad hoc exiſtis in eremum, ut uideretis hominem inſtar arundinis uentorum flatu in partes uarias inclinari: ut quem ante laudauerat, de eo nunc dubitet: & de quo prius dixerat: Ecce agnus dei, nunc interroget, utrum ipſe an alius ſit, qui uel uenerit, uel uenturus ſit? Et quia omnis prædicatio falſa, ſectatur lucra, & gloriam quærit humanam: ut per gloriam naſcantur cõpendia, aſſerit eum camelorum ueſtitũ pilis, nulli poſſe adulationi ſuccumbere: &
B qui locuſtis ueſcitur ac melle ſylueſtri, nec opes neq; alias terrenas delicias quærere, rigidaq; & auſtera uita, aulas uitare palatij, quas quærunt qui purpura & byſſo & ſerico & mollibus ueſtiuntur. Dicitq; eum non ſolum prophetã, qui ſoleat uentura prædicere, ſed plus eſſe q̃ prophetam, quia quem illi uenturum eſſe dixerant, hic ueniſſe monſtrat, dicens: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi: præſertim cui ad faſtigium prophetale, baptiſtæ acceſſerit priuilegium: ut qui dixerat, ego à te debeo baptizari, ipſe eum baptizauerit, non præſumptione maioris, ſed obedientia diſcipuli, ac timore ſerui. Cumq; inter natos mulierũ nullum aſſerat Ioanne ſurrexiſſe maiorem, ſe qui de uirgine procreatus eſt maiorem eſſe commemorat: ſiue omnẽ angelũ in cœlis qui minimus eſt, in terris cunctos homines anteire. Nos enim in angelos proficimus, & non angeli in nos, ſicut quidã ſtertentes ſopore grauiſſimo ſomniãt. Nec ſufficit hoc in Ioannis laudibus, niſi ipſe prædicans baptiſmũ pœnitentiæ, prius dixiſſe referatur: Pœnitentiã agite, appropinquauit enim regnũ cœlorum. Vnde à diebus prædicationis eius, regnũ cœlorum uim patitur: ut qui homo natus eſt, angelus eſſe deſideret: & terrenum animal, cœleſte quærat habitaculũ. Lex enim & prophetæ uſq; ad Ioannem prophetauerunt: non quod Ioannes prophetarũ ſit finis & legis, ſed ille qui Ioannis teſtimonio prædicatus eſt. Ioannes autem ſecundũ myſterium, quod in Malachia ſcriptũ eſt, ipſe eſt Elias qui uenturus eſt: non quod eadem anima (ut hæretici ſuſpicantur) & in Elia & in Ioanne fuerit, ſed quod eandem habuerit ſancti ſpiritus gratiã, zona cinctus, ut Elias, uiuens in eremo, ut Elias, perſecutionem paſſus ab Herodiade, ut ille ſuſtinuit ab Iezabel: ut quomodo Elias ſecundi præcurſor aduentus eſt, ita Ioannes uenturum in carne dominũ ſaluatorem non ſolum in eremo, ſed etiam in matris utero ſalutarit, & exultatione corporis nunciarit.

Quæſtio ſecunda.

QVid ſignificet quod in Matthæo ſcriptum eſt: Arundinem quaſſatam non cõfringet, & linum fumigans non extinguet. Ad cuius expoſitionem loci, totum quod Matthæus de Eſaia propheta aſſumit teſtimonium, ponendum eſt: & ipſius uerba Eſaiæ, iuxta Sep-

tuaginta interpretes,ipſumq; Hebraicũ:cui Theodotio, Aquila, Symmachusq; cõſentiunt. C.
Sic ergo de quatuor euangeliſtis ſolus Matthæus poſuit: Ieſus autem ſciens,ſeceſſit inde: &
ſequuti ſunt eum multi, & curauit eos omnes, & præcepit eis,ne manifeſtum eum facerent,
ut impleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam,dicentem:Ecce puer meus quem ele-
gi:dilectus meus,in quo bene complacuit animæ meæ.Ponam ſpiritum meum ſuper eum,&
iudicium gentibus nunciabit. Non contendet neq; clamabit, neq; audiet quiſquam in pla-
teis uocem eius. Arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet,
donec eiiciat ad uictoriam iudicium:& in nomine eius gentes ſperabunt.Pro quo in Eſaia iu-
xta Septuaginta interpretes ſic ſcriptum eſt: Iacob puer meus, ſuſcipiam eum. Iſrael electus
meus,ſuſcepit eum anima mea. Dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudiciũ gentibus proferet.
Non clamabit,neq; dimittet,nec audietur foris uox eius. Arundinem confractam non con-
teret,& linum fumigans non extinguet,ſed in ueritate proferet iudicium. Splendebit & non
quaſſabitur,donec ponat ſuper terram iudicium:& in nomine eius gentes ſperabũt. Nos au
tem ex Hebræo ita uertimus:Ecce puer meus,ſuſcipiam eum,electus meus, complacuit ſibi 4
in illo anima mea.Dedi ſpiritum meum ſuper eum,iudicium gentibus proferet.Non clama-
bit,neq; accipiet perſonam, neq; audietur foris uox eius. Calamũ quaſſatum non conteret,
& linum fumigans non extinguet.In ueritate educet iudicium.Non erit triſtis,neq; turbulen
tus,donec ponat in terra iudicium,& legem eius inſulæ expectabunt. Ex quo apparet Mat-
thæum euangeliſtam non ueteris interpretationis autoritate conſtrictum,dimiſiſſe Hebrai-
cam ueritatem:ſed quaſi Hebræum ex Hebręis,& in lege domini doctiſſimum ea gentibus
protuliſſe, quæ in Hebræo legerat. Si enim ſic accipiendum eſt, ut Septuaginta interpretes
ædiderũt:Iacob puer meus,ſuſcipiam eum:Iſrael electus meus,ſuſcepit eum anima mea:quo
modo in Ieſu intelligimus eſſe completum, quod de Iacob & de Iſrael ſcriptum eſt? Quod
beatum Matthæum non ſolum in hoc teſtimonio,ſed etiam in alio loco feciſſe legimus: Ex
Aegypto uocaui filium meum:pro quo Septuaginta tranſtulerunt: Ex Aegypto uocauit fi- D.
lios ſuos: quod utiq; niſi ſequamur Hebraicam ueritatem, ad dominũ ſaluatorem non per-
tinere,manifeſtum eſt.Sequitur enim:Ipſi autem immolabant Baalim. Quod autem de aſ-
ſumpto teſtimonio in Euangelio minus eſt: ſplendebit & non quaſſabitur,donec ponat ſu-
per terram iudicium:uidetur mihi accidiſſe primi ſcriptoris errore,qui legens ſuperiorem ſen
tentiam in uerbo iudicij eſſe finitam,putauit inferioris ſententiæ ultimum uerbum eſſe iudi-
cium: & pauca uerba quæ in medio,hoc eſt, inter iudicium & iudicium fuerant, prætermiſit.
Rurſumq; quod apud Hebræos legitur:Et in lege eius ſperabunt inſulæ: Matthæus ſenſum
potius quàm uerba interpretans,pro lege & inſulis nomen poſuit & gentes.Et hoc nõ ſolum
in præſenti loco,ſed ubicũq; de ueteri inſtrumento Euangeliſtæ & Apoſtoli teſtimonia pro-
tulerunt,diligentius obſeruandũ eſt,non eos uerba ſequutos eſſe,ſed ſenſum:& ubi Septua-
ginta ab Hebraico diſcrepant,Hebręum ſenſum ſuis expreſſiſſe ſermonibus.Puer igitur dei
omnipotentis iuxta diſpenſationẽ carnis aſſumptæ,qua ad nos mittitur,ſaluator eſt appella
tus.Ad quem & in alio loco dicit pater:Magnum tibi eſt uocari puerum meũ, ut congreges
tribus Iacob. Hæc eſt uinea Sorec, quæ interpretatur, electa. Hic eſt filius amantiſſimus,in
quo ſibi complacuit anima dei: non quod deus animam habeat, ſed quod in anima omnis
dei monſtretur affectus.Et non mirũ,ſi in deo anima nominetur, cum uniuerſa humani cor-
poris membra,ſecundũ leges Tropologiæ,& diuerſas intelligentias, habere dicatur. Poſuit
quoq; ſpiritum ſuum ſuper eum,ſpiritum ſapientiæ & intelligentiæ,ſpiritum conſilij & forti-
tudinis,ſpiritum ſcientiæ & pietatis,& timoris domini:qui in ſpecie columbę deſcendit ſuper
eum:de quo & Ioannes baptiſta à deo patre audiſſe ſe narrat. Super quem uideris ſpiritum
ſanctum deſcendentem & manentem ſuper eum,ipſe eſt.Et iudicium gentibus nunciabit:de
quo & in pſalmis legimus:Deus iudicium tuum regi da,& iuſticiam tuam filio regis. Qui &
ipſe loquitur in euãgelio:Non enim pater iudicat quenquam,ſed omne iudicium dedit filio.
Non contendet: ſicut agnus ductus eſt ad uictimam, non contendet in ſubuerſione au-
dientium

A dientium. Neq; clamabit, iuxta illud quod Paulus apostolus scribit: Omnis clamor, & ira, & amaritudo auferatur à uobis. Non clamabit, quia Israel non fecit iudiciũ, sed clamorem. Neque audiet quisquã in plateis, siue foris uocem eius. Omnis enim gloria filiæ regis ab intus, & arcta & angusta uia est, quæ ducit ad uitam. Vnde in plateis uox illius non auditur, in quibus cõfidenter agit sapientia, latam spacioſamq; uiam non ingrediens, sed arguens atq; condemnans. Vnde & his qui foris erant, non sua uoce, sed per parabolas loquebatur: Arundinem, inquit, quassatam non confringet, siue (ut Septuaginta transtulerũt) calamum fractum non conteret. Calamus fractus qui fuit antea uocalis, & in laudes domini concinebat, appellandus est Israel: qui quoniã impegit in angularem lapidem, & cecidit super eum, fractusq; in illo est, propterea dicitur de eo: Increpa domine bestias calami: & in Iesu uolumine torrens appellatur cannæ, id est, calami, qui aquas habet turbidas, quas elegit Israel, purissima contemnens fluenta Iordanis: reuersusq; mente in Aegyptum, & desiderans cœnosam ac paluſtrem regionem, peponesq; & cepe, & allia, & cucumeres, ollasq; Aegyptiarum carnium, rectissime per Esaiam appellatur calamus fractus, cui qui inniti uoluerit, pertundetur manus eius. Qui enim post aduentum domini saluatoris euangelicæ interpretationis spiritum derelinquens, in Iudaicæ literæ morte requiescit, istius cuncta opera uulnerantur. Linum quoque fumigans non extinguet, populum de gentibus congregatum, qui extincto legis naturalis ardore, fumi amarissimi, & qui noxius oculis est, tenebrosæq; caliginis inuoluebatur erroribus. Quem non solum non restinxit & redegit in cinerem: sed econtrario de parua scintilla, & pene moriente, maxima suscitauit incendia: ita ut totus orbis arderet igne domini saluatoris, quem uenit mittere super terram, & in omnibus ardere desiderat. Secundum Tropologiam quid nobis uideretur de hoc loco, in commentariolis Matthæi breuiter annotauimus. Iste autem qui arundinem quassatam non confregit, & linum fumigans non extinxit: iudicium quoq; perduxit ad uictoriam, cuius iudicia uera sunt, iustificata in semetipsis: ut
B iustificetur in sermonibus suis, & uincat cum iudicatur: & tamdiu lumen prædicationis eius in mundo resplendeat, nulliusq; conteratur & uincatur insidijs, donec ponat in terra iudicium: & impleatur illud quod scriptum est: Fiat uoluntas tua sicut in cœlo & in terra. Et in nomine eius gentes sperabunt: siue in lege eius sperabunt insulæ. Quomodo enim insulæ turbine flatuq; uentorum, & crebris tempestatibus feriuntur quidem, sed non subuertuntur: in exemplum euangelicæ domus, quæ supra petram robusta mole fundata est: ita & ecclesiæ quæ sperant in lege & in nomine domini saluatoris, loquuntur per Esaiam: Ego ciuitas firma, ciuitas quæ non oppugnatur.

Quæstio tertia.

QVem sensum habeat, quod in euangelista Matthæo scriptum est: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum. Quæ est sui abnegatio? aut quomodo qui sequitur saluatorem, seipsum abnegat? De quo in tertio commentariorum eiusdem Matthæi libro, ita breuiter loquutus sum: Qui deponit ueterem hominem cum operibus suis, negat seipsum, dicens: Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Christus: tollitq; crucem suam & mundo crucifigitur. Cui autem mundus crucifixus est, sequitur dominum crucifixum. Quibus nunc addere possumus: postquã ostendit discipulis quod oporteret eum ire Hierusalem, & multa pati à sacerdotibus & scribis & principibus sacerdotum, & occidi, assumens eum Petrus, cœpit increpare & dicere: Absit à te domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dicit Petro: Vade post me satana, scandalum es mihi: quia non sapis quæ dei sunt, sed quæ hominũ. Humano quippe timore perterritus, passionẽ domini formidabat. Et quomodo, audiens multa eum pati & occidi, timebat: sic audiens, & tertia die resurget, gaudere debuerat, & tristiciam passionis resurrectionis gloria mitigare. Vnde illo pro timore correpto, loquebatur ad omnes discipulos: siue conuocauit turbam cum discipulis suis, ut Marcus posuit: aut (iuxta Lucam) dicebat ad cunctos: Si quis uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Cuius exhortationis hic sensus est: Non est delicata in deũ & secura confessio.

Qui in me credit,debet ſuum ſanguinem fundere.Qui enim perdiderit animã ſuam in præ/ c
ſenti, lucrifaciet eam in futuro. Quotidie credens in Chriſtum, tollit crucem ſuam,& negat ſeipſum.Qui impudicus fuit,uerſus ad caſtitatem,temperantia luxuriam negat. Qui formi/doloſus & timidus,aſſumpto robore fortitudinis, priorem ſe eſſe neſcit. Iniquus ſi ſequatur iuſticiam,negat iniquitatem.Stultus ſi Chriſtum confiteatur dei uirtutem & dei ſapientiam, negat ſtulticiam.Quod ſcientes,nõ ſolum perſecutionis tempore, & neceſſitate martyrij, ſed in omni conuerſatione, opere, cogitatione, ſermone negemus noſmetipſos quod ante fui/mus:& confiteamur eos qui in Chriſto renati ſumus.Idcirco enim dominus crucifixus eſt,ut & nos qui credimus in eum, & peccato mortui ſumus, crucifigamur cum ipſo, dicamuſq; quod apoſtolus Paulus docuit:Cum Chriſto crucifixus ſum.Et: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mun/do.Qui cum Chriſto crucifixus eſt,ſpoliet principatus & poteſtates, & triumphet eas in li/gno. Vnde & in Euangelio ſecundum Matthæum, in typum eorum qui in domino credi/ ſ
turi erant, & ſe cum illo crucifixuri, Simon Cyrenæus portat crucem eius,quam(iuxta alios euangeliſtas) prior ipſe portauit.

Quæſtio quarta.

QVid uult ſignificare, quod in eodem Matthæo ſcriptum eſt:Væ prægnantibus & nu/trientibus in illis diebus.Et:Orate ne fiat fuga ueſtra hyeme uel ſabbato. Quod ex ſu/perioribus pendere manifeſtum eſt.Cum enim euangelium Chriſti cunctis gentibus fuerit prædicatum, & uenerit conſummatio, uiderintq; abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele propheta,ſtantem in loco ſancto:Tunc præcipitur his qui in Iudæa ſunt, ut fu giant in montes:& qui in tecto,ne deſcendant tollere aliquid de domo ſua: & qui in agro,ne reuertantur auferre tunicam ſuam.De quibus in commentarijs eiuſdem Matthæi plenius di ximus.Statimq; coniungitur: Væ pręgnantibus & nutrientibus in illis diebus.In quibus die bus? quando abominatio deſolationis ſteterit in loco ſancto. Quod quidem iuxta literam d
de aduentu antichriſti prædicari,nulli dubium eſt, quando perſecutionis magnitudo cõpel/lit fugere, & graues uteri paruulique lactantes fugam retardant.Licet quidam Titi & Veſpa/ſiani aduerſus Iudæos,& præcipue Hieruſalem obſidionẽ pugnamq; ſignificari uelint. Hye mem quoq; & ſabbatum,ſic interpretantur,ne eo tempore fugere compellãtur, quando du/ricia frigoris in agris & in deſertis locis fugientes latere non patitur:& obſeruatio ſabbati, aut præuaricatores facit, ſi fugiant, aut hoſtium gladijs ſubiacere, ſi ſabbati ocium & præcepta ſeruauerint.Nos autem audientes dominum ſaluatorem, ut qui in Iudæa ſunt, ad montana confugiant: ipſi quoq; oculos leuamus ad montes, de quibus ſcriptum eſt: Leuaui oculos meos in montes,unde ueniet auxilium mihi. Et in alio loco: Fundamenta eius in montibus ſanctis.Et:Montes in circuitu eius,& dominus in circuitu populi ſui. Et:Non poteſt latere ci/uitas ſuper montem poſita:& diſcalciemus nos pelle literæ,nudiſq; pedibus cum Moyſe aſ/cendentes montem Sina, dicamus: Tranſiens uidebo uiſionem hanc magnam:ut poſſimus intelligere prægnantes animas,quæ de ſemine doctrinarum & ſermonis dei, initia fidei con/ceperunt, & dicunt cum Eſaia: A timore tuo domine concepimus & parturiuimus & peperi/mus ſpiritum ſalutis tuæ,quem feciſti ſuper terram.Sicuti enim ſemina paulatim formantur in uteris,& tamdiu non reputatur homo,donec elementa confuſa ſuas imagines membraq; ſuſcipiant:ita ſenſus ratione conceptus,niſi in opera proruperit, adhuc in uentre retinetur: & cito abortio perit, cum uiderit abominationem deſolationis ſtantem in eccleſia, & ſatanam transfigurari in angelum lucis. De iſtiuſmodi fœtibus Paulus loquitur, dicens: Filioli mei, quos iterum parturio,donec Chriſtus formetur in uobis.Has ego reor iuxta myſticos intel/lectus eſſe mulieres: de quibus idem Apoſtolus ſcribit: Mulier ſeducta in tranſgreſſione fa/cta eſt. Saluabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerint in fide & charitate & ſanctitate cum pudicitia. Quæ ſi de ſermone diuino aliquãdo generarit, neceſſe eſt quæ ge/nerata ſunt creſcere,& primum accipere lac infantiæ, donec perueniãt ad ſolidum cibum,&

ad maturam

A ad maturam ætatem plenitudinis Christi. Omnis enim qui lacte alitur, imperitus est in ratione iusticiæ. Paruulus enim est. Hæ igitur animæ quæ necdum pepererunt, siue quæ necdum potuerunt quæ generata sunt alere: cum uiderint sermonem hæreticum stantem in ecclesia, cito scandalizantur & pereunt, & in tempestate atq; persecutionibus permanere non possunt, præsertim si ocium habuerint bonorum operum, & non ambulauerint in uia, quæ Christus est. De hac abominatione hęreticæ peruersæq; doctrinę dicebat Apostolus, quod
6 homo iniquitatis & aduersarius eleuet se contra omne quod dicitur deus & religio, ita ut audeat stare in templo dei, & ostendere se quod ipse sit tanquam deus: cuius aduentus secundum operationem satanæ, & ea quæ concepta sunt facit perire abortio: & quæ sunt nata, ad pueritiam & ad perfectam ætatem peruenire non posse. Quamobrem orandus est dominus, ne in exordio fidei & crescentis ætatis oriatur hyems, de qua scriptum est: Hyems transijt, imber abijt sibi: ne ocio torpeamus, sed imminente naufragio suscitemus dormientem dominum, atq; dicamus: Præceptor salua nos, perimus.

Quæstio quinta.

QVid sibi uelit, quod scriptum est in euangelio secundũ Lucam: Et non receperunt eum: quoniam facies eius erat obfirmata uadens in Hierusalem. Festinans dominus pergere in Hierusalem, ut complerentur dies assumptionis eius, & pascha celebraret, de quo dixerat: Desiderio desideraui hoc pascha comedere uobiscum antequã patiar: & bibere calicem, de quo ait: Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? omnemq; doctrinam suam patibulo roboraret, iuxta illud quod scriptũ est: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: obfirmauit faciem suam, ut iret Hierusalem. Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechieli, cui dixerat deus: Fili hominis in medio scorpionum tu habitas, & ne timeas eos: obfirma, inquit, faciem tuam, & dedi faciem tuam æneam, & frontem tuam ferream: ut si forsitan surrexisset contra eum malleus uni-
B uersæ terræ, quasi incus durissima resisteret, malleumq; contereret, de quo scriptũ est: Quomodo confractus est & contritus est malleus uniuersæ terręt? Et misit nuncios, id est, angelos ante faciem suam. Iustum enim erat, ut dei filio angeli ministrarent. Siue angelos apostolos uocat: quia & Ioannes præcursor domini, angelus appellatus est. Cumq; ingressi essent ui-
7 cum Samariæ, ut præpararent ei, non susceperunt illum, quia facies eius erat uadens in Hierusalem. Hostili inter se Samaritani atq; Iudæi discordant odio: & cum omnes oderint gentes, proprio contra se furore bacchantur, dum utriq; de legis possessione contendunt: & in tantum se mutuo persequuntur, ut postquam Iudæi de Babylonia sunt reuersi, ædificationem templi Samaritani semper impedierint. Cumq; uellent & ipsi cum eis ædificare templum, responderunt Iudæi: Non licet nobis & uobis ædificare domum domini. Deniq; pro summa iniuria phariſæi exprobrabant domino: Nónne dæmonium habes, & Samaritanus es? Et in parabola de Hierusalẽ descendentis Hiericho, Samaritanus ponitur pro signo atq; miraculo, quod malus bene fecerit: & ad puteum Samaritanæ scriptum est: Non enim countuntur Samaritani Iudæis. Videntes ergo Samaritæ dominum Hierusalem pergere, id est ad hostes suos, quod audierant à discipulis eius qui ad parandum hospitium uenerant, Iudæum esse cognoscunt: & quasi Iudæum atq; alienum, & eum qui ad inimicos pergeret, suscipere noluerunt. Quanquam & alia nobis subijciatur intelligentia, quod uoluntatis domini fuerit, nõ suscipi à Samaritis: quia festinabat ire Hierusalem, ibiq; pati, & sanguinem fundere: ne occupatus susceptione Samaritica & doctrina gentis illius, passionis differret diem, ad quam uenerat sustinendam. Vnde dicit & in alio loco: Non ueni nisi ad oues perditas domus Israel. Et apostolis præcepit: Ciuitates Samaritanorum non intrabitis, uolens tollere omnem occasionem persecutionis Iudaicæ, ne postea dicerent, crucifiximus eum, quia se inimicis nostris & hostibus iunxerat. Facies igitur eius erat pergentis Hierusalem. Et idcirco iuxta aliam intelligentiam, non receperũt eum Samaritæ, quia festinabat ingredi Hierusalem. Vt autem eum non reciperent, fuit dominicæ uoluntatis. Deniq; apostoli in lege uersati, in

qua tantum iuſticiam nouerant,oculum pro oculo,dentem pro dente,ulciſci nituntur iniuri- c
am: & imitari Eliam, ad cuius uocem duos pentecontarchos militum ignis abſumpſerat,di-
cuntq; ad dominum: Vis dicimus,ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat eos? Pulchre uis
(inquiunt)dicimus:nam & Elias dixerat:Si homo dei ſum,ignis deſcēdat de cœlo ſuper uos.
Ergo ut apoſtolorum ſermo efficientiam habeat, uoluntatis eſt domini. Niſi enim ille iuſſe-
rit,fruſtra dicunt apoſtoli,ut ignis deſcendat ſuper eos: & quodammodo uerbis alijs hoc lo-
quuntur.Si ad ſerui Eliæ iniuriam ignis deſcēdit de cœlo,& non Samaritas, ſed Iudæos con
ſumpſit incendium:quanto magis ad contemptum filij dei,in impios Samaritas debet flam
ma ſæuire? E regione dominus,qui non ad iudicandum uenerat,ſed ad ſaluandū, non in po
teſtate,ſed in humilitate:non in patris gloria,ſed in hominis uilitate,increpat eos, quod non
meminerint doctrinæ ſuæ,& bonitatis euangelicæ, in qua dixerat: Qui te percuſſerit in ma-
xillam,præbe ei & alteram. Et: Diligite inimicos ueſtros.

Quæſtio ſexta.

ALteram de euangelio Lucæ quęſtiunculam propoſuiſti:quis ſit uillicus iniquitatis,qui
domini uoce laudatus eſt.Cuius cum uellem ſcire rationem, & de quo fonte proceſſe-
rit,reuolui uolumen euangelicum:& inter cætera reperi, quod appropinquantibus ſaluatori
publicanis & peccatoribus,ut audirent eum,murmurabant phariſæi & ſcribæ,dicentes. Qua
re iſte peccatores ſuſcipit, & comedit cum eis? Qui loquutus eſt eis parabolam centum oui-
um,& unius perditæ,quæ inuenta paſtoris humeris reportata eſt. Et cur eſſet propoſita,ſta-
tim intulit:Dico uobis,ſic erit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiā agente, ma-
gis quàm ſuper nonagintanouem iuſtis,qui non habent opus pœnitentia. Aliam quoq; pa
rabolam decem drachmarum uniusq; perditæ & repertæ cum propoſuiſſet, ſimili eam fine
compleuit. Sic dico uobis, gaudiū erit coram angelis dei ſuper uno peccatore pœnitentiam
agente. Tertiam quoq; parabolam propoſuit,hominis habentis duos filios,& diuidentis in
ter eos ſubſtantiā. Cumq; minor facultatibus perditis egere cœpiſſet, & comedere ſiliquas, d
porcorum cibum,reuerſus ad patrem, ſuſceptus ab eo eſt. Frater quoq; inuidens ſenior, pa-
tris uoce correptus eſt,quod lætari debuerit & gaudere, quia frater eius mortuus fuerat,& re
uixit,perditus erat,& inuentus eſt.Has treis parabolas contra phariſæos & ſcribas loquutus
eſt,qui nolebant recipere pœnitentiam peccatorum,& publicanorum ſalutem. Dicebat au-
tem,inquit,& ad diſcipulos ſuos:haud dubiū,quin parabolam, ſicut prius ad ſcribas & pha-
riſæos: qua parabola ad clementiam diſcipulos hortaretur, & alijs diceret uerbis:Dimittite
& dimittetur uobis:ut in oratione dominica libera fronte poſcatis: Dimitte nobis debita no-
ſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Quæ eſt ergo parabola ad clementiam di-
ſcipulos cohortantis? Homo quidam erat diues, qui habebat uillicum ſiue diſpenſatorem:
hoc enim οἰκονόμος ſignificat. Villicus autem proprie uillæ gubernator eſt: unde & à uilla 8
uillicus nomen accepit. οἰκονόμος autem tam pecuniæ, quàm frugum & omnium quæ do-
minus poſſidet diſpenſator eſt. Vnde & οἰκονομικὸς Xenophontis pulcherrimus liber eſt,
qui non gubernationē uillæ,ſed diſpenſationem uniuerſæ domus(Tullio interpretāte)ſigni-
ficat. Iſte igitur diſpenſator accuſatus eſt ad dominū ſuum, quod diſſiparet ſubſtantiā eius.
Quo uocato dixit: Quid hoc audio de te? Redde rationem diſpenſationis tuæ: neq; enim
ultra, mea poteris diſpenſare. Qui dixit intra ſemetipſum: Quid faciam,quia dominus me-
us aufert à me diſpenſationem? Fodere non ualeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam,
ut quando ſublata mihi fuerit diſpenſatio,ſuſcipiant me in domos ſuas. Vocauit itaque ſin-
gulos debitores domini ſui,& dixit primo: Quantū debes domino meo? Qui dixit ei:Cen-
tum batos olei. Ait illi: Tolle cautionem tuam, & ſedens cito, ſcribe quinquaginta. Denique
ad alium loquutus eſt: Tu autem quantum debes? At ille reſpondit: Centum coros tritici.
Dixitq; ei: Tolle cautionem tuam, & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus uillicū,ſiue di-
ſpenſatorem iniquitatis,quod prudenter fecerit,quia filij ſeculi huius prudentiores ſunt filijs
lucis in generatione ſua.Et ego dico uobis,facite uobis amicos de iniquo māmona,ut quan-
do defeceritis,

A do defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in paruo, & in multis fidelis est. Qui in minimo iniquus est, & in multis iniquus erit. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod uerum est quis credet uobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod uestrum est quis dabit uobis? Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim unum habebit odio, & alterum diliget: aut unum audiet, & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ. Audiebant autem hæc omnia pharisæi, qui erant auari, & subsannabant illum. Totum parabolæ huius textum posui, ut non nobis intelligentiam aliunde quæramus, & in parabola certas nitamur inuenire personas, sed interpretemur eam quasi parabolam, hoc est, similitudinem, quæ ab eo uocatur, quod alteri παραβάλλεται, hoc est, assimilatur: & quasi umbra præuium ueritatis est. Si ergo dispensator iniqui mammonæ, domini uoce laudatur, quod de re iniqua sibi iusticiam præparauerit: & passus dispendia dominus, laudat dispensatoris prudentiam, quod aduersus dominum quidem fraudulenter, sed prose prudenter egerit: quanto magis Christus, qui nullum damnum sustinere potest, & pronus est ad clementiam, laudabit discipulos suos, si in eos qui crediturí sibi sunt, misericordes fuerint? Deniq; post parabolã intulit: Et ego uobis dico, facite uobis amicos de iniquo mammona. Mammona autem, non Hebræorum, sed Syrorum lingua, diuitiæ nuncupantur, quod de iniquitate collectæ sint. Si ergo iniquitas bene dispensata uertitur in iusticiam, quanto magis sermo diuinus, in quo nulla est iniquitas, qui & apostolis creditus est, si bene fuerit dispensatus, dispensatores suos leuabit in cœlum? Quamobrem sequitur: Qui fidelis est in minimo, hoc est, in carnalibus: & in multis fidelis erit, hoc est, in spiritualibus. Qui autem in paruo iniquus est, ut non det fratribus ad utendum, quod à deo pro omnibus est creatum, iste & in spirituali pecunia diuidenda iniquus erit: ut non pro necessitate, sed pro personis doctrinam domini diuidat. Si autem, inquit, carnales diuitias quæ labuntur, non bene di
B spensatis, ueras æternasq; diuitias doctrinæ dei, quis credet uobis? Et si in his quæ aliena sunt (alienum autem est à nobis omne quod seculi est) infideles fuistis, ea quæ uestra sunt, & proprie deputata homini, quis uobis credere poterit? Vnde corripit auariciam, & dicit eum qui amat pecuniã, deum amare non posse. Igitur & apostolis si uelint amare deum, pecunias esse contemnendas. Vnde scribæ & pharisæi qui erant auari, aduersum se dictam intelligentes parabolã, subsannabant eum: carnalia, ut certa & præsentia, spiritalibus ac futuris, & quasi incertis præponẽtes. Theophilus Antiochenæ ecclesiæ septimus post Petrum apostolum episcopus, qui quatuor euangelistarum in unum opus dicta compingens, ingenij sui nobis monumenta dimisit: hæc super hac parabola in suis cõmentarijs est loquutus: Diues qui habebat uillicum, siue dispensatorem, deus omnipotens est: quo nihil est ditius. Huius dispensator est Paulus, qui ad pedes Gamalielis sacras literas didicit, & legẽ dei susceperat dispensandam. Qui cum cœpisset credentes in Christo persequi, ligare, occidere, & omnem domini sui dissipare substantiam, correptus à domino est: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Dixitq; in corde suo: Quid faciam? Quia qui magister fui & uillicus, cogor esse discipulus & operarius. Fodere non ualeo. Omnia enim mandata legis quæ terræ incubabant, cerno destructa: & legem atq; prophetas usq; ad Ioannem baptistam esse finitos. Mendicare erubesco: ut qui doctor fueram Iudæorum, cogar à gentibus & à discipulo Anania, salutis ac fidei mendicare doctrinam. Faciam igitur quod mihi utile esse intelligo: ut postquam proiectus fuero de uillicatione mea, recipiant me Christiani in domos suas. Cœpitq; eos qui prius uersabantur in lege, & sic in Christum crediderant, ne arbitrarentur se in lege iustificãdos, docere legem abolitam, prophetas præteriisse: & quæ antea pro lucro fuerant, reputare in stercora. Vocauit itaq; duos de pluribus debitoribus. Primum qui debebat centum batos olei, eos uidelicet qui fuerant ex gentibus congregati, & magna indigebant misericordia dei: & de centenario numero (qui plenus est atq; perfectus) fecit eos scribere quinquagenarium, qui proprie pœnitentium est, iuxta iubilæum & illam in euangelio parabolã, in qua alteri quingenti alteri quinquaginta denarij dimittuntur.

Secundum autem uocauit populum Iudæorum,qui tritico mandatorum dei nutritus erat,& c
debebat ei centenarium numerum, & coegit ut de centum octoginta faceret, id est crederet in domini resurrectione,quæ octauæ diei numero continetur, & de octo completur decadibus:ut de sabbato legis transiret ad primam sabbati.Ob hanc causam à domino prædicatur, quod bene fecerit:& pro salute sua in euangelij clementiam de legis austeritate mutatus sit. Quod si quæsieris,quare uocetur uillicus iniquitatis,in lege quæ dei est:Iniquus erat uillicus, qui bene quidē offerebat,sed non bene diuidebat: credens in patrem, sed filium persequens: habens deum omnipotentem, sed spiritum sanctum negans. Prudentior itaq; fuit Paulus apostolus in transgressione legis filijs quondam lucis,qui in legis obseruatione uersati,Christum qui dei patris uerū lumen est,perdiderunt. Ambrosius Mediolanensis episcopus quid de hoc loco senserit, in commentarijs eius legere poteris. Origenis & Didymi in hanc parabolam explanationem inuenire non potui:& utrum abolita sit temporum uetustate, an ipsi non scripserint,incertum habeo.Mihi iuxta priorem interpretationem hoc uidetur,quod de iniquo Mammona debeamus nobis amicos facere,non quoslibet pauperes,sed eos qui nos possint recipere in domos suas,& in æterna tabernacula: ut cum eis parua præbuerimus,recipiamus ab illis magna:& dantes aliena, nostra suscipiamus: & seminemus in benedictione, ut metamus benedictionem.Qui enim parce seminauerit,parce & metet.

Quæstio septima.

QVo sensu accipiendum sit,quod in epistola legimus ad Romanos: Vix enim pro iusto quis moritur.Nam pro bono forsitan quis audeat mori.Duæ hæreses ex occasione huius testimonij,quod non intelligunt,diuerso quidem errore,sed pari impietate blasphemant. Marcion enim qui iustum deum & creatorem legis facit & prophetarū, bonum autem euangeliorum & apostolorum, cuius uult esse filium Christum,duos introducit deos:alterum iustum,& alterum bonum. Et pro iusto asserit, uel nullos, uel paucos oppetisse mortem. Pro bono autem,id est Christo,innumerabiles martyres extitisse.Porrò Arius iustum ad Christum refert:de quo dictum est: Deus iudicium tuum regi da,& iusticiam tuam filio regis. Et ipse de se in euangelio: Non enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Et:Ego sicut audio,sic iudico. Bonum autē deum patrem,de quo ipse filius confitetur:Quid me dicis bonum?Nemo est bonus,nisi unus deus pater. Cumq; hucusq; blasphemię suæ deuios calles potuerit inuenire,in consequentibus impingit & corruit. Quomodo enim pro patre quis audet mori, & pro filio uix moritur, cum propter nomen Christi, tantus martyrum sanguis effusus sit? Qui igitur simpliciter hunc exponit locum,hoc potest dicere, quod in ueteri lege,in qua iusticia est,uix pauci inuenti sunt,qui suum fuderint sanguinem.In nouo autem instrumento,in quo bonitas est atq; clementia,innumerabiles extiterunt martyres.Sed ex eo quod posuit,forsitan quis etiam audeat mori, & pendulo gradu sententiam temperauit,inueniri posse nōnullos qui audeant mori pro euangelio,ostendit non sic accipiendū,sed ex superioribus & inferioribus sensum loci huius debere tractari.Dicens enim Paulus se gloriari in tribulationibus: quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio uero spem, spes aūt non confundit:quæ ex eo certam habeat promissionem, quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum qui datus est nobis, secundum illud quod deus dixerat per prophetam: Effundam de spiritu meo super omnem carnem:miratur bonitatem Christi, quod pro impijs & infirmis & peccatoribus mori uoluerit, & mori opportuno tempore:de quo ipse dicit: Tempore opportuno exaudiui te,& in die salutis auxiliatus sum tui.Et rursum:Ecce nūc tempus acceptabile,ecce dies salutis. Quando omnes peccauerunt,simul inutiles facti sunt, nō fuit qui faceret bonū, non fuit usq; ad unum. Incredibilis ergo bonitas,& clemētia inaudita,mori pro impijs. Vix enim pro iusto aliquem & bono suum sanguinem fundere,metu mortis cuncta terrente.Nam inueniri interdum potest,ut aliquis pro re iusta & bona audeat mori. Charitas autem dei,quam habuit in nobis, hinc maxime comprobatur,quod cum adhuc peccatores essemus,Christus pro nobis mor- D

tuus

A tuus est:& sublata est de terra uita eius,& pro iniquitatibus populi ductus est ad mortem,& portauit peccata nostra,& tradita est in mortem anima illius,& cum iniquis deputatus est:ut nos impios & infirmos & peccatores,pios & robustos & iustos faceret.Nonnulli ita interpretantur:Si ille pro nobis impijs mortuus est & peccatoribus,quanto magis nos absq; dubitatione pro iusto & bono Christo debemus occumbere? Iustum autem & bonum non putemus esse diuersum,nec aliquam proprie significare personam,sed absolute iustam rem & bonam,pro qua difficulter,sed interdum aliquis inueniri potest,qui suum sanguinem fundat.

Quæstio octaua.

QVid sibi uelit quod ad Romanos scribit Apostolus: Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Ponamus totum testimonium: & singula Christi auxilio differentes, quid nobis uideatur, simpliciter indicemus:non præiudicantes tuo sensui, quid uelis intellígere, sed nostram sentẽtiam breuiter explicantes. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam,nisi lex diceret, non cõcupisces.Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuũ erat.Ego autem uiuebam aliquando sine lege: sed ubi uenit mandatum,peccatum reuixit.Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum quod erat ad uitam,hoc esse ad mortem. Peccatum enim occasione accepta per mandatũ, seduxit me,& per illud occidit. Itaq; lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Quod
9 ergo bonum est,mihi mors est? Absit. Sed ut peccatum appareat peccatum,per bonum mihi operatum est mortem:ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim,quia lex spiritalis est:ego autem carnalis sum,uenundatus sub peccato.Quod enim operor,ignoro.Non enim quod uolo,hoc ago:sed quod odi,illud facio. Si autẽ quod nolo,hoc facio,consentio legi quia bona est.Nunc autem iam non ego operor illud,sed quod habitat
B in me,peccatum. Scio enim quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Velle enim adiacet mihi:perficere autem bonum,non inuenio.Non enim quod uolo,facio bonum: sed quod nolo malum,hoc ago. Si autem quod nolo,hoc facio: iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.Inuenio igitur legem uolenti mihi facere bonum,quia mihi malum adiacet. Condelector enim legi dei secundũ interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ,& captiuum me ducentem in lege peccati,quæ est in membris meis.Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia deo per Iesum Christum dominum nostrum. Quomodo medicina nõ est causa mortis, si ostendat uenena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, & uel se interficiant, uel insidientur inimicis:sic lex data est,ut peccatorum uenena monstret,& hominem male libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retineat, & cõpositis doceat incedere gressibus:ita ut seruiamus in nouitate spiritus,& non in uetustate literæ, id est, uiuamus sub præcepto, qui prius in modum brutorum animalium dicebamus: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Quod si subintrante lege, quæ docet quid facere & prohibet quid non facere debeamus, uitio nostro & incontinentia feramur cõtra scita legalia,uidetur lex causa esse peccati: quæ dum prohibet concupiscentiam,quodammodo eam inflãmare cognoscitur. Secularis apud Græcos sententia est:Quicquid licet,minus desideratur.Ergo econtrario, quicquid non licet, fomentum accipit desiderij. Vnde & Tullius de parricidarum supplicijs apud Athenienses Solonem scripsisse negat,ne nõ tam prohibere,quàm commonere uideretur.Igitur lex apud contemptores & legum præcepta calcantes, uidetur esse occasio delictorum: dum prohibendo quod non uult fieri,ligat eos uinculis mandatorum:qui prius absq; lege peccantes, non tenebantur criminibus.Hæc diximus,legem quæ per Moysen data est, intelligẽtes. Verum quia in consequentibus scriptum est: Lex dei,& lex carnis atq; membrorum, quæ pugnat aduersus legem mentis nostræ,& captiuos nos ducit in lege peccati,simulq; quatuor leges cõtra se

dimicantes

dimicantes in uno loco ſcriptas eſſe cognoſco:non abs re arbitror, ſi requiram quot genera c
legis in ſcripturis ſanctis eſſe memorentur. Dicitur lex,quæ per Moyſen data eſt, ſecundum illud quod ſcriptum eſt ad Galatas: Quotquot enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptū eſt enim:Maledictus omnis qui non permanet in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis,ut faciat ea.Et rurſum in eadem epiſtola:Lex propter pręuaricationes poſita eſt, 8
donec ueniret ſemen cui repromiſſum eſt,diſpoſita per angelos in manu mediatoris. Et iterum: Itaq; lex pædagogus noſter fuit in Chriſto,ut ex fide iuſtificemur. Poſtquam autem uenit fides, nequaquam ultra ſub pædagogo ſumus. Omnes enim filij dei eſtis per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.Hiſtoria quoq; quæ præcepta non continet, ſed quid factum ſit refert,ab Apoſtolo lex appellatur.Dicite mihi,inquit, qui ſub lege uultis eſſe, legem non legiſtis?Scriptum eſt enim,quia Abraham duos filios habuit,unum de ancilla, & alterum de libera.Sed qui ex ancilla,ſecundū carnem natus eſt:qui autem de libera,per repromiſſionem. Sed & pſalmi lex appellantur:ut cōpleretur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerūt me gratis. Eſaiæ quoq; prophetiam,legem Apoſtolus uocat:In lege ſcriptum eſt: quoniam in alijs linguis, & alijs labijs loquar populo huic: & nec ſic me exaudient, dicit dominus: quod iuxta Hebraicum & Aquilam in Eſaia ſcriptum reperi. Appellatur etiam lex, myſtica ſcripturarum intelligentia:Scimus quia lex ſpiritalis eſt.Et extra hæc omnia,naturalem legem ſcriptam in cordibus noſtris, idem Apoſtolus docet. Cum enim gentes quæ legem non habent,naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt:iſti legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex:qui indicant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium perhibente illis conſcientia.Iſta lex quæ in corde ſcribitur,omnes continet nationes:& nullus hominum eſt,qui hanc legem neſciat. Vnde omnis mundus ſub peccato, & uniuerſi homines præuaricatores legis ſunt:& idcirco iuſtum iudicium dei eſt,ſcribētis in corde humani generis:Quod tibi fieri nolueris,alteri ne feceris.Quis enim ignoret homicidium,adulterium,furtum,& omnem concupiſcentiam eſſe malum:ex eo,quod ſibi ea nolit fieri?Si enim mala eſſe neſciret,nequaquam d
doleret ſibi eſſe illata. Per hanc naturalem legem, & Cain cognouit peccatum ſuum,dicens: Maior eſt cauſa mea, quàm ut dimittar. Et Adam & Eua cognouerunt peccatum ſuum, & propterea abſcōditi ſunt ſub ligno uitæ. Pharao quoq; antequam lex daretur per Moyſen, ſtimulatus lege naturæ,ſua crimina confitetur,& dicit:Dominus iuſtus,ego autem & populus meus impij.Hanc legem neſcit pueritia, ignorat infantia,& peccans abſq; mandato,non tenetur lege peccati.Maledicit patri & matri,& parentes uerberat:& quia necdum accepit legem ſapientiæ, mortuum eſt in eo peccatum. Cum autem mandatum uenerit,hoc eſt tempus intelligentiæ appetentis bona & uitantis mala, tunc incipit peccatum reuiuiſcere, & ille mori reuſq; eſſe peccati. Atq; ita fit, ut tempus intelligentiæ quo dei mādata cognoſcimus, ut perueniamus ad uitam,operetur in nobis mortem, ſi agamus negligētius: & occaſio ſapientiæ ſeducat nos atq; ſupplantet, & ducat ad mortem. Non quod intelligentia peccatum ſit: lex enim intelligentiæ ſancta & iuſta & bona eſt: ſed per intelligentiam peccatorum atq; uirtutum mihi peccatum naſcitur, quod priuſquam intelligerem, peccatum eſſe non noueram. Atq; ita factum eſt, ut quod mihi pro bono datum eſt, meo uitio mutetur in malum:& ut hyperbolice dicam,nouoq; uerbo utar ad explicandum ſenſum meum, peccatum quod priuſquam haberem intelligentiam abſque peccato erat, per præuaricationem mandati incipiat mihi eſſe peccantius peccatum. Prius quæramus quæ ſit iſta concupiſcentia, de qua lex dicit: Non concupiſces. Alij putant illud eſſe mandatum, quod in decalogo ſcriptum eſt: Non concupiſces rem proximi tui. Nos autem per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus, timemus & concupiſcimus. Et hoc Apoſtolus uas electionis,cuius corpus templum erat ſpiritus ſancti, & qui dicebat: An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus?Et in alio loco: Chriſtus nos redemit:Et iterum: Viuo autem iam non ego, uiuit uero in me Chriſtus: non de ſe loquitur, ſed de eo qui uult poſt peccata agere pœnitentiam: & ſub perſona ſua, fragi-

litatem

A litatem deſcribit conditionis humanæ: quæ duorum hominum, interioris & exterioris pugnantium inter ſe bella perpetitur. Interior homo conſentit & ſcriptæ & naturali legi, quod bona ſit, & ſancta & iuſta, & ſpiritualis. Exterior, ego inquit carnalis ſum, uenundatus ſub peccato. Quod enim operor neſcio, & non quod uolo hoc ago, ſed quod odi. Si autem exterior facit quod non uult, & operatur quod odit, oſtendit bonum eſſe mandatum, & non ſe operari quod eſt malum, ſed habitans in ſua carne peccatum: hoc eſt uitia corporis, & deſideria uoluptatis: quæ propter poſteros & ſobolem inſita eſt humanis corporibus, & ſi fines fuerit egreſſa, uertitur in peccatum. Se unuſquiſq; conſideret, & accuſator ſui tractet incentiua uitiorum: quomodo & in ſermone & in cogitatione, & in calore corporis ſæpe loquatur & cogitet, & patiatur, quod non uult: nolo dicere faciat, ne ſanctos uiros uidear accuſare: de quibus ſcriptum eſt: Erat ille homo uerus & immaculatus, iuſtus dei cultor, recedens ab omni opere malo. Et de Zacharia, & Heliſabet: Erant iuſti ambo in conſpectu dei: ambulantes in omnibus mandatis & iuſtificationibus domini abſq; querela. Et præceptum eſt apoſtolis: Eſtote perfecti, ſicut pater ueſter cœleſtis perfectus eſt. Nunquam autem hoc apoſtolis imperaret, niſi ſciret hominem poſſe eſſe perfectum. Niſi forte hoc dicamus, quod recedens ab omni malo, emendationem ſignificet, & de erroribus pueritiæ, & de uitijs laſciuientis ætatis, tranſitum ad correctionem atq; uirtutes: iuſticiam quoq; quæ in Zacharia & Heliſabet prædicatur, foris eſſe: concupiſcentiam uero quæ nunc habitare in membris noſtris dicitur, uerſari intrinſecus. Sed & apoſtolis non pueris præcipitur, uerum iam ætatis robuſtæ: ut aſſumant perfectionem, quam & nos confitemur in ætate eſſe perfecta. Nec hæc dicentes adulamur uitijs, ſed autoritatem ſequimur ſcripturarum, quod nullus homo ſit abſq; peccato, ſed concluſit deus omnes ſub peccato, ut omnium miſereatur, abſq; eo ſolo qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Vnde & per Solomonem dicitur, quod ſerpentis ueſtigia non inueniantur in petra. Et ipſe de ſe dominus: Ecce, inquit, uenit princeps
B mundi huius: & nihil in me inuenit, id eſt, ſui operis, ſuiq; ueſtigij. Ob hanc cauſam iubetur nobis, ne exprobremus homini reuertēti à peccatis ſuis, & ne abominemur Aegyptium: quia & ipſi quondam in Aegypto fuimus, & de luto ac lateribus Pharaoni ciuitates extruximus: & quia captiui ducti ſumus in Babylonem lege peccati, quod in membris noſtris morabatur. Cumq; uideretur extrema deſperatio, imò aperta confeſſio, omnem hominem diaboli laqueis irretiri: conuerſus in ſe Apoſtolus, imò homo ſub cuius perſona Apoſtolus loquitur: agit gratias ſaluatori, quod redemptus ſit ſanguine eius, & ſordes in baptiſmo depoſuerit, & nouum Chriſti aſſumpſerit ueſtimentum: & mortuo ueteri homine, natus ſit homo nouus, qui dicat: Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago deo per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, qui me de corpore mortis liberauit. Quod ſi cui non uidetur ſub perſona ſua hoc Apoſtolus de alijs dicere: exponat, quomodo Daniel, quem iuſtum fuiſſe nouimus, quaſi de ſe dicat, cum pro alijs deprecatur: Peccauimus, inique fecimus, iniuſte geſſimus, impie egimus, & receſſimus ac declinauimus à mandatis & iudicijs tuis, & nō audiuimus ſeruos tuos prophetas: qui locuti ſunt in nomine tuo ad reges noſtros & principes & patres, & ad omnem populum terræ: Tibi domine iuſticia: nobis autem confuſio. Illud quoq; quod in triceſimo primo pſalmo dicitur: Peccatum meū cognitū tibi feci, & iniquitatem meam non abſcondi: Dixi cōfitebor aduerſum me iniuſticiā meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: Pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno: non Dauid & iuſto uiro, & (ut ſimpliciter loquar) prophetæ cuius uerba narrantur, ſed peccatori congruit. Cumq; iūſtus ſub perſona pœnitentis talia profudiſſet, à deo meretur audire: Intelligere te faciam, & docebo te in uia hac qua ambulabis, confirmabo ſuper te oculos meos. In triceſimo quoq; ſeptimo pſalmo, cuius titulus eſt, In commemorationem: ut doceat nos ſemper peccatorum noſtrorum memores eſſe debere, & agere pœnitentiam, tale quid legimus: Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ eleuatæ ſunt ſuper caput meum, quaſi onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Cor-

ruptæ ſunt & putruerunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ. Afflictus ſum & curuatus c
ſum,uſq; ad finem. Totus hic apoſtoli locus,& in ſuperioribus,& in conſequentibus, imò o/
mnis epiſtola eius ad Romanos,nimijs obſcuritatibus inuoluta eſt:& ſi uoluero cuncta diſſe.
rere:nequaquam mihi unus liber,ſed magna & multa erunt ſcribenda uolumina.

Quæſtio Nona.

QVare apoſtolus Paulus in eadē ad Romanos ſcribit epiſtola: Optabam ego ipſe ana/
thema eſſe à Chriſto,pro fratribus meis ac propinquis iuxta carnē, qui ſunt Iſraelitæ,
quorum adoptio & gloria,& teſtamenta,& legislatio, & cultus, & repromiſſiones, quorum
patres,& ex quibus eſt Chriſtus iuxta carnem:qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecu/
la,amen. Reuera ualida quæſtio,quomodo apoſtolus qui ſupra dixerat:Quis nos ſepara/
bit à charitate Chriſti,tribulatio,an anguſtia,an perſecutio,an fames, an nuditas, an pericu/
lum,an gladius? Et rurſum:Confido autem,quia neq; mors,neq; uita,neq; angeli,neq; prin
cipatus,neq; præſentia,neq; futura,neq; fortitudo, neq; excelſa, neq; profundum, neq; alia
creatura, poterit nos ſeparare à charitate dei,quā habemus in Chriſto Ieſu domino noſtro:
nunc ſub iureiurando confirmet,& dicat: Veritatem dico in Chriſto Ieſu,non mentior,teſti/
monium mihi perhibente conſcientia mea in ſpiritu ſancto, quoniam triſticia eſt mihi ma/
gna & continuus dolor cordi meo. Optabam enim anathema eſſe à Chriſto pro fratribus
meis & propinquis iuxta carnem,& reliqua. Si enim in deum tantæ eſt charitatis,ut nec me/
tu mortis,nec ſpe uitæ,nec perſecutione,nec fame,nec nuditate,nec periculo, nec gladio, poſ/
ſit ſeparari à charitate eius:& ſi angeli quoq; & poteſtates,& uel præſentia,uel futura,& om/
nes cœlorū fortitudines,& excelſa pariter ac profunda, & uniuerſa ſimul creatura ei ingruat,
quod nequaquam poteſt fieri,tamen nō ſeparetur à charitate dei,quam habet in Chriſtum
Ieſum:quæ eſt iſta tanta mutatio,imò inaudita prudentia,ut pro charitate Chriſti, nolit ha/
bere Chriſtum? Et ne ei forſitan non credamus,iurat & confirmat in Chriſto,& conſcientiæ
ſuæ teſtem inuocat ſpiritum ſanctum:ſe habere triſticiam, non leuem ac fortuitam, ſed ma/ D
gnam & incredibilem:& habere dolotem in corde,non qui ad horam pungat & tranſeat,ſed
qui iugiter in corde permaneat. Quo tendit iſta triſticia? Ad quid proficit inceſſabilis dolor?
Optat anathema eſſe à Chriſto & perire, ut alij ſalui fiant. Sed ſi conſideremus Moyſi uo/
cem rogantis deum pro populo Iudæorum,atq; dicentis: Si dimittis eis peccatum ſuum, di/
mitte:ſi autem non uis,dele me de libro tuo quem ſcripſiſti: perſpiciemus eundem & Moyſi
& Pauli erga creditum ſibi gregem affectum. Paſtor enim bonus, ponit animam ſuam pro
ouibus. Mercenarius aūt cum uiderit lupum uenientem fugit, quia nō ſunt eius oues. Et hoc
ipſum eſt dicere,optabam anathema eſſe à Chriſto: & dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.
Qui enim delentur de libro uiuentium,& cum iuſtis non ſcribuntur,anathema fiunt à domi
no. Simulq; cerne Apoſtolum quantæ charitatis in Chriſtum ſit: ut pro illo cupiat mori, &
ſolus perire:dummodo omne in illum credat hominum genus. Perire autem, non in perpe/
tuum,ſed impręſentiarum. Qui enim perdiderit animam ſuam pro Chriſto, ſaluam eam fa/
cit. Vnde & de quadrageſimo tertio pſalmo aſſumit exemplum: Quoniam propter te mor
tificamur tota die, reputati ſumus ut oues occiſionis. Vult ergo Apoſtolus perire in carne,
ut alij ſaluentur in ſpiritu:ſuum ſanguinem fundere,ut multorū animæ conſeruentur. Quod
autem anathema interdum occiſionem ſonet,multis ueteris inſtrumenti teſtimonijs proba/
ri poteſt. Et ne leuem putemus eſſe triſticiam,& modicā cauſam doloris:iungit & dicit: Pro
fratribus meis & propinquis iuxta carnem. Quando propinquos appellat & fratres iuxta
carnem,in ſpiritu à ſe oſtendit alienos. Quorum eſt,inquit, adoptio,quæ ſignificantius Græ 10
ce dicitur υἱοθεσία, de quibus quondam dominus loquebatur: Filius primogenitus meus
Iſrael:Et,filios genui & exaltaui: Nunc dicit:Filij alieni mentiti ſunt mihi: Et quorum gloria,
ut de cunctis gentibus eligerentur in peculiarem populum dei:Et quorum teſtamēta, unum
in litera,alterum in ſpiritu:ut qui prius in carne ſeruierant cerimonijs legis abolitæ:poſtea ſer
uirent in ſpiritu mandatis euangelij ſempiterni:Et legislatio ad utrunq; reſpondet,& noui &

ueteris

A ueteris instrumenti:Et cultus,id est uera religio:& repromissiones,ut quicquid repromissum est patribus,cõpleretur in filijs: Et (quod omnibus maius est) ex quibus Christus de Maria genitus uirgine.Et ut sciremus quis iste sit Christus,causas doloris sui uno sermone comprehendit,qui est super omnia deus benedictus in secula amen.Et iste tantus ac talis,ab eis non recipitur,de quorũ stirpe generatus est. Et nihilominus laudat iudicij ueritatem,ne sententia dei in propinquos & fratres suos displicere uideatur, & uel austera esse uel nimia. In quibus igitur tanta fuerunt bona,dolet cur nunc tanta mala sint.

Quæstio decima.

II QVid uelit intelligi, quod idem Apostolus scribit ad Colossenses: Nemo uos superet uolens in humilitate mentis & religione angelorum,quæ non uidit, ambulans frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & conuinctum crescit in augmentum dei, & reliqua. Illud quod crebro diximus: Et si imperitus sermone,non tamen scientia: nequaquã Paulum de humilitate,sed de conscientiæ ueritate dixisse,etiam nũc approbamus.Profundos enim & recondi/tos sensus lingua non explicat. Et cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone. Quem cum in uernacula lingua habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis uiri in lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens inuoluitur. Si autẽ in Græca lingua hoc ei accidit,quam nutritus in Tarso Ciliciæ à parua ætate imbiberat:quid de Latinis dicendum est, qui uerbum de uerbo exprimere conantes,obscuriores faciunt eius sententias:& ueluti herbis crescentibus,frugum strangulant ubertatem? Conabimur itaq; παραφρασικῶς sensus eius euoluere,& tricas implicati eloquij,suo ordini reddere atq; iuncturæ:ut simplici stamine uerborũ fila decurrant,puroq; subtegmine,apostolici sermonis textura succrescat. Nemo uos superet, id est, nemo aduersum uos brauium accipiat: hoc enim Græce dicitur, μὴ βραβευέτω, quando quis in certamine positus,iniquitate agonothetæ,uel insidijs magistrorum, βραβεῖον & palmam sibi de-
B bitam perdit. Multaq; sunt uerba, quibus iuxta morem urbis & prouinciæ suæ familiarius Apostolus utitur: E quibus exempli gratia pauca ponenda sunt. Mihi autem parum est iudicari ab humana die: hoc est ἀπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας. Et humanum dico: hoc est ἀνθρώπινον λέγω. Et, οὐ κατενάρκησα ὑμᾶς: hoc est non grauaui uos: & quod nunc dicitur, μηδείς ὑμᾶς καταβραβευέτω, id est,nullus brauiũ accipiat aduersum uos. Quibus & alijs multis uerbis usque hodie utuntur Cilices. Nec hoc miremur in Apostolo,si utatur eius linguæ consuetudine, in qua natus est & nutritus, cum Vergilius alter Homerus apud nos, patriæ suæ sequens consuetudinem, sceleratum frigus appellet. Nemo ergo uos superet ac deuincat, uolens humilitatem literæ sequi, & angelorum religionem atque culturam: ut non seruiatis spirituali intelligentiæ, sed exemplaribus futurorum, quæ nec ipse uidit,qui uos super-
12 rare desiderat, siue audiuit (utrunq; enim habetur in Græco) præsertim cum tumens ambulet, & incedat inflatus, mentisq; superbiam gestu corporis præferat: hoc enim significat ἐμβατεύων. Frustra autem inflatur & tumet sensu carnis suæ,carnaliter cuncta intelligens,& traditionum Iudaicarum deliramenta perquirens, & non tenens caput omnium scripturarum, illud de quo scriptum est: Caput uiri Christus est. Caput autem ac principium totius corporis,eorumq; qui credunt,& omnis intelligentiæ spiritualis. Ex quo capite corpus ecclesiæ per suas compages atque iuncturas,uitalem doctrinæ cœlestis accipit succum: ut omnia paulatim membra uegetentur, & per occultos uenarum meatus, fundatur defecatus sanguis ciborum:& ministretur atque succrescat,imò teneatur temperantia corporis: ut de fonte capitis,rigati artus crescant in perfectionem dei, & impleatur saluatoris oratio: Pater uolo ut sicut ego & tu unum sumus, sic & isti in nobis unum sint: ut postquam nos Christus tradiderit patri,sit deus omnia in omnibus. Tale quid & in uerbis,& in sensibus,& in genere locutionis obscurissime scribit ad Ephesios: Veritatem autem loquentes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & con-

nexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram c uniuſcuiuſq; membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. Super quo & in commentarijs eiuſdem epiſtolæ plenius diximus. Loquitur autem uniuerſa contra eos, qui credentes ex Iudæis in dominum ſaluatorem, Iudaicas ceremonias obſeruare cupiebant. Super qua re & in Actis apoſtolorum non parua quæſtio concitata eſt. Vnde & ſupra Paulus ait, de his qui magiſtros legis eſſe ſe iactant: Nemo uos iudicet in cibo & potu, quaſi alia munda ſint, alia immunda: aut in parte diei feſti, ut alios dies feſtos putent, alios non feſtos. Nobis enim qui in Chriſtum credimus reſurgentem, iugis & æterna feſtiuitas eſt. Aut in parte neomeniæ, hoc eſt kalendarum & menſis noui: quando decreſcens luna finitur, & noctis umbris tegitur. Chriſtianorum enim lumen æternum eſt, & ſemper ſolis iuſtitiæ radijs illuſtratur. Aut in parte ſabbatorum, ut non faciant ſeruile opus, & onera non portent: quia nos ſumus Chriſti libertate donati, & onera peccatorum portare deſiuimus. Hæc, inquit, omnia umbra ſunt futurorum, & imagines uenturæ felicitatis: ut in quibus Iudæi hæſitant iuxta literam, & tenentur in terra: nos iuxta ſpiritum tranſeamus ad Chriſtum: qui ad diſtinctionem umbrarum, nunc corpus appellatur. Quomodo enim in corpore ueritas eſt, & in corporis umbra mendacium: ſic in ſpirituali intelligentia mundus omnis cibus & potus, & tota feſtiuitas, & perpetuæ kalendæ, & æterna requies expectanda eſt. Quærimus quid dicere uoluerit, in humilitate & religione angelorum: aut quem ſenſum habeat. Ex quo dominus locutus eſt ad diſcipulos: Surgite eamus hinc: & relinquetur uobis domus ueſtra deſerta: & locus in quo dominus crucifixus eſt, ſpiritualiter Aegyptus uocatur & Sodoma: omnis Iudaicarum obſeruationum cultura deſtructa eſt: & quaſcunque offerunt uictimas, non deo offerunt, ſed angelis refugis & ſpiritibus immundis. Nec mirum, ſi hoc poſt paſſionem domini faciant: cum per Amos quoque prophetam dicatur ad eos: Nunquid hoſtias & uictimas obtuliſtis mihi quadraginta annis in deſerto domus Iſrael: & aſſumpſiſtis tabernaculum moloch, & ſidus dei ueſtri rempha, figuras quas feciſtis, ut adoretis eas? Quod plenius in concione Iudaica Stephanus martyr exponens, & reuoluens hiſtoriam ueterem, ſic locutus eſt: Et uitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtias idolo, & lætabantur in operibus manuum ſuarum. Conuerſus autem deus, tradidit eos, ut colerent militiam cœli: ſicut ſcriptum eſt in libro prophetarum. Militia autem cœli, non tantum ſol appellatur & luna & aſtra rutilantia, ſed & omnis angelica multitudo, eorumq; exercitus, qui Hebraice appellantur ſabaoth, id eſt uirtutum ſiue exercituum. Vnde & in euangelio iuxta Lucam legimus: Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis, laudantium deum & dicentium: Gloria in altiſſimis deo: & in terra pax hominibus, bonæ uoluntatis. Facit enim deus angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem urentem. Et ut ſciamus ſemper eos qui colebant idola, licet in templo hoſtias uiderentur offerre, non deo eas obtuliſſe, ſed angelis, per Ezechiel plenius diſcimus. Dedi eis iuſtificationes non bonas, & præcepta non bona. Non enim ſanguinem hircorum, aut taurorum quærit deus, ſed ſacrificium deo eſt ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum deus non deſpicit. Et propterea qui uitulum fecerant in horeb, & coluerant ſidus dei rempha: de quo in prophe ta Amos plenius diſſeruimus: adorauerunt figuras quas ipſi fecerunt, & tradidit eos deus, ut ſeruirent militiæ cœli: quæ nunc ab Apoſtolo dicitur religio angelorum. Pro humilitate in Græco ταπεινοφροσύνη legitur, id eſt humilitas mentis, ſiue ſenſus. Vere enim humilis ſenſus & miſeranda ſuperſtitio, deum credere hircorum atque taurorum ſanguine delectari, & nidore thymiamatis, quem ſæpe homines declinamus? Quod autem ſequitur: Si mortui eſtis cum Chriſto, ab elementis mundi: quid adhuc tanquam uiuentes in mundo decernitis? ne tetigeritis, neque guſtaueritis, neque contrectaueritis, quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundum præcepta & doctrinas hominum: quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ, in ſuperſtitione & humilitate, & ad non parcendum corpori: non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis: hunc nobis habere ſenſum uidetur. Curramus per ſingula, & D

obſcuritatem

A obſcuritatem ſenſuum atq; uerborum, Chriſto referante, pandamus. Si baptizati eſtis in Chriſto, & cum Chriſto in baptiſmate conſepulti: mortui autem ab elementis mundi: cur mecum nõ dicitis:Mihi autẽ abſit gloriari,niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti: per quem mihi mundus crucifixus eſt,& ego mundo? nec audiſtis dominum dicentem ad patrem,De mundo non ſunt,ſicut & ego non ſum de mundo:& mundus odit eos, quoniam nõ ſunt de mundo,ſicut & ego non ſum de mundo: ſed econtrario quaſi uiuentes in mundo decernitis, ne tetigeritis corpus hominis mortui, nec ueſtimentum nec ſcabellum in quo ſederit mulier menſtruata:neq; guſtaueritis carnem ſuillam & leporum,& ſepiarum & loliginum,murenæ & anguillæ, & uniuerſorum piſcium qui ſquamas & pennulas non habent: quæ omnia in corruptionem? & interitum ſunt ipſo uſu, & ſtercore digeruntur? Eſca enim uentri, & uenter eſcis:& omne quod intrat per os, non coinquinat hominem,ſed ea quæ de nobis exeunt.Secundum præcepta,inquit,& doctrinas hominum:ſecundum illud quod Eſaias loquitur: Populus hic labijs me honorat,cor autem eorum longe eſt à me.Fruſtra autem colunt me,docentes doctrinas hominum & præcepta. Vnde & dominus corripit phariſæos, dicens: Irritum feciſtis mandatum dei,ut traditiones ueſtras ſtatueretis.Deus enim dixit: Honora patrem & matrem: & qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, quicunq; dixerit patri uel matri,munus quodcunq; eſt ex me, tibi proderit: & non honorificauit patrem ſuum aut matrem: & reliqua. Quibus infert: Et irritum feciſtis mandatum dei, propter traditiones ueſtras. Quantæ traditiones phariſæorum ſint quas hodie uocant δευτερώσεις, & quàm aniles fabulæ, euoluere nequeo. Neq; enim libri patitur magnitudo:& pleraq; tam turpia ſunt,ut erubeſcam dicere.Dicam tamen unum in ignominiam gentis inimicæ. Præpoſitos habent ſynagogis ſapientiſſimos quoſq;, fœdo operi delegatos,ut ſanguinem uirginis ſiue menſtruatæ,mundum uel immundum, ſi oculis diſcernere non potuerint, guſtu probent. Præterea quia iuſſum eſt, ut diebus ſabbatorum ſedeat unuſquiſq;
B in domo ſua,& non egrediatur,neq; ambulet de loco in quo habitat: ſi quando eos iuxta literam cœperimus artare:ut non iaceant,non ambulent, non ſtent, ſed tantum ſedeant, ſi uelint præcepta ſeruare:ſolent reſpondere & dicere,Rab, akiba, & Symeon & Hille,magiſtri noſtri tradiderunt nobis,ut bis mille pedes ambulemus in ſabbato:& cætera iſtiuſmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ dei: Non quod dicamus ſedendum ſemper eſſe in ſabbato,& de loco in quo quis fuerit occupatus non recedendum:ſed quod id quod impoſſibile legis eſt,in quo infirmatur per carnem,ſpirituali obſeruatione complendum ſit.

Sequitur: Quæ ſunt rationem quidem habentia ſapientiæ: Hoc loco, quidem, coniunctio ſuperflua eſt: quod in pleriſq; locis propter imperitiam artis grammaticæ apoſtolum feciſſe,repperimus. Neq; enim ſequitur, ſed, uel alia coniunctio: quæ ſolet ei præpoſitioni, ubi quidem poſitum fuerit reſpondere. Videntur igitur obſeruationes Iudaicæ apud imperitos,& uilem plebeculam,imaginem habere rationis, humanæq; ſapientiæ. Vnde & doctores eorum σοφοὶ hoc eſt ſapientes uocantur. Et ſi quando certis diebus traditiones ſuas ex-
13 ponunt,diſcipulis ſuis ſolent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερώσεις id eſt,ſapientes docẽt traditiones. Pro ſuperſtitione in Græco ἐθελοθρησκεία poſitum eſt,hoc eſt falſa religio:& pro humilitate ταπεινοφροσύνη, quæ magis uirtutem ſolet ſonare quàm uitiũ.Sed hic ταπεινοφρονεῖν ſic eſt intelligendum,quod humilia ſentiant atq; terrena. ἀφειδία autem σώματος, cuius nomen latinus ſermo non explicat, apud nos dicitur,ad non parcendum corpori. Non parcunt Iudæi corporibus ſuis in aſſumptione ciborum,contemnẽtes interdum quæ habẽt, & quærẽtes quæ non habẽt. Ex qua neceſſitate debilitates interdum & morbos contrahunt. Nec honorant ſemetipſos, cum omnia munda ſint mundis, nihilq; poſſit eſſe pollutum, quod cum gratiarumactione percipitur:& idcirco à domino ſit creatũ, ut ſaturitate & adimpletione carnis, humanos artus uegetet atq; ſuſtẽtet. Elementa autẽ mundi à quibus conſepulti,imò mortui ſumus, lex Moyſi & omne uetus inſtrumẽtum intelligendum eſt: quibus quaſi elementis & religionis exordijs deum diſcimus.Quomodo enim elemẽta appellantur

literæ, per quas ſyllabas ac uerba coniungimus, & ad texendam orationem longa meditati c
one procedimus: ars quoq; muſica habet elemẽta ſua, & Geometria ab elemẽtis incipit line
arum,& dialectica atq; medicina habẽt εἰσαγωγὰς ſuas:ſic elemẽtis ueteris teſtamenti,ut ad
euãgelicam plenitudinẽ ueniat, ſancti uiri eruditur infantia. Vnde centeſimusdecimus octa
uus pſalmus, & omnes alij qui literis prænotantur, per Ethica nos ducunt ad theologica: &
ab elementis occidentis literæ,quæ deſtruitur,tranſire faciunt ad ſpiritum uiuificantem.Qui
ergo mundo & elementis eius mortui ſumus, non debemus ea obſeruare, quæ mundi ſunt:
quia in altero initium, in altero perfectio eſt.

Quæſtio undecima.

QVid ſit quod idem Apoſtolus ad Theſſalonicenſes ſcribit: Niſi diſceſſio uenerit pri/
mum,& reuelatus fuerit homo peccati:& reliqua. In prima ad Theſſalonicenſes epi
ſtola ſcripſerat. De temporibus autem & momentis fratres non neceſſe habetis ut ſcribam
uobis, ipſi enim diligenter ſcitis quia dies domini ſicut fur in nocte ita ueniet.Cum enim di/
xerint,pax & ſecuritas:tunc repentinus illis inſtabit interitus,ſicut dolor in utero habentis,&
non effugient. Supra enim ad eos ſcripſerat: Hoc uobis dicimus in uerbo domini quia nos
qui uiuimus, qui reſidui ſumus, in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt,
quoniã ipſe dominus in iuſſu,& in uoce archangeli,& in tuba dei deſcendet de cœlo: & mor
tui qui in Chriſto ſunt,reſurgent primi.Deinde nos qui uiuimus,qui relinquimur ſimul rapi
emur cum illis in nubibus obuiam domino in aera: & ſic ſemper cum domino erimus. Itaq;
conſolamini inuicem in uerbis iſtis.Quod audientes Macedones,non intellexerunt,quos ſe
cum uiuentes, Apoſtolus uocet: & qui dicantur reſidui, qui cum illo rapiantur in nubibus
obuiam domino: ſed arbitrati ſunt, dum adhuc eſſent in corpore, & antequam guſtarent
mortem,Chriſtum in ſua maieſtate uenturum.Quod Apoſtolus audiens,rogat eos & adiu
rat per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, ut nõ cito moueantur,neq; per ſpiritum,neq;
per ſermonem,neq; per epiſtolam,tanquam ab eo ſcriptam,quaſi inſtet dies domini. Duos D
autem eſſe aduentus domini ſaluatoris,& omnia prophetarum docent uolumina,& euange
liorum fides:quod primum in humilitate uenerit,& poſtea ſit uenturus in gloria,ipſo domi
no proteſtante,quæ ante conſummationem mundi uentura ſint, & quomodo uenturus an/
tichriſtus quando loquitur ad apoſtolos:Cum uideritis abominationem deſolationis,quæ
dicta eſt à Daniele propheta,ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa
ſunt,fugiant ad mõtes:& qui in tecto,non deſcẽdant tollere aliquid de domo ſua.Et iterum:
Tunc ſi quis uobis dixerit,ecce hic Chriſtus aut illic:nolite credere. Surgẽt enim pſeudochri
ſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia: ita ut in errorem inducantur (ſi
fieri poteſt)etiam electi.Ecce prædixi uobis.Si ergo dixerint uobis,ecce in deſerto eſt:nolite
exire:ecce in penetralibus,nolite credere.Sicut enim fulgur exit ab oriente,& paret uſq; in oc
cidentem:ita erit & aduentus filij hominis. Ac deinde: Tunc apparebit ſignum filij hominis
in cœlo, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum uirtute multa & maie/
ſtate. Et mittet angelos ſuos cum tuba & uoce magna, & congregabunt electos eius à qua/
tuor uentis à ſummo cœlorum uſq; ad terminos eorum. Rurſumq; de antichriſto loquitur
ad Iudæos: Ego ueni in nomine patris mei, & non credidiſtis mihi. Alius ueniet in nomine
ſuo,illum ſuſcipietis. Igitur Theſſalonicenſium animos, uel occaſio non intellectæ epiſtolæ,
uel ficta reuelatio quæ per ſomnium deceperat dormientes, uel aliquorum coniectura,
Eſaiæ & Danielis euangeliorumq; uerba de antichriſto prænunciantia, in illud tempus in/
terpretantium mouerat, atq; turbauerat: ut in maieſtate ſua, tunc Chriſtum ſperarent eſſe
uenturum.Cui errori medetur Apoſtolus, & exponit quæ ante aduentum antichriſti debe/
ant præſtolari: ut cum illa facta uiderint, tunc ſciant antichriſtum, id eſt hominem peccati
& filium perditionis,qui aduerſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur deus aut quod co
litur, ita ut in templo dei ſedeat,eſſe uenturum. Niſi, inquit,uenerit diſceſſio primum, quod
Græce dicitur ἀποστασία, ut omnes gentes quæ Romano imperio ſubiacent, recedant ab 14
eis

A eis: & reuelatus fuerit, id est ostensus quem omnia prophetarum uerba prænunciant, homo peccati, in quo fons omnium peccatorum est: & filius perditionis, id est, diaboli: ipse est enim uniuersorum perditio, qui aduersatur Christo, & ideo uocatur antichristus: & extollitur supra omne quod dicitur deus, ut cunctarum gentium deos, siue probatam omnem & ueram religionem suo calcet pede: & in templo dei, uel Hierosolymis (ut quidam putant) uel in ecclesia, ut uerius arbitramur, sederit, ostendens se tanquam ipse sit Christus & filius dei: Nisi, inquit, fuerit Romanum imperium ante desolatum, & antichristus præcesserit, Christus non ueniet: qui ideo ita uēturus est, ut antichristum destruat. Meministis, ait, quod hæc ipsa quæ nunc scribo per epistolam: cum apud uos essem, præsenti sermone narrabam, & dicebam uobis, Christum non esse uenturum, nisi præcessisset antichristus. Et nunc quid detineat scitis, ut reueletur in suo tempore: hoc est, quæ causa sit, ut antichristus in præsentiarum non ueniat, optime nostis. Nec uult aperte dicere Romanum imperium destruendum: quod ipsi qui imperant, æternum putant. Vnde secundum Apocalypsim Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis, scriptum est nomen blasphemiæ, id est, Romæ æternæ. Si enim aperte audacterq; dixisset: non ueniet antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium: iusta causa persecutionis in orientem tunc ecclesiam consurgere uidebatur. Quodq; sequitur: Iam enim mysterium operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat: & tunc reuelabitur ille iniquus, hunc habet sensum: Multis malis atq; peccatis, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, antichristi parturitur aduentus, & quod ille operaturus est postea, in isto ex parte completur: tantum ut Romanum imperium, quod nunc uniuersas gentes tenet, recedat, & de medio fiat: & tunc antichristus ueniet, fons iniquitatis, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, diuina uidelicet potestate, & suæ maiestatis imperio: cuius iussisse, fecisse est, non in exercitus multitudine, non in robore militum, non in angelorum auxilio, sed statim ut ille aduenerit, interficietur antichristus. Et quomodo tene-
B bræ, solis fugantur aduentu: sic illustratione aduentus sui, eum dominus destruet atq; delebit. Cuius opera, satanæ sunt opera. Et sicut in Christo plenitudo diuinitatis fuit corporaliter, ita & antichristo omnes erunt fortitudines, & signa & prodigia, sed uniuersa mendacia. Quomodo enim signis dei, quæ operabatur per Moysen, magi suis restitere mendacijs, & uirga Moysi deuorauit uirgas eorum, ita mendacium antichristi, Christi ueritas deuorabit. Seducentur autem eius mendacio qui perditioni sunt præparati. Et quia tacita quęstio poterat commoueri, cur enim concessit deus omnem eum habere uirtutem, signa atq; prodigia, per quæ seducantur si fieri potest, etiam electi dei: solutione præuenit quæstionem, & quod opponi poterat, antequam opponatur, absoluit. Faciet, inquit, hæc omnia non sua uirtute, sed concessione dei, propter Iudæos: ut qui noluerunt charitatem recipere ueritatis, hoc est spiritum dei per Christum: Quia charitas dei diffusa est in corda credentium: Et ipse dicit, Ego sum ueritas. De quo in psalmis scriptum est: Veritas de terra orta est. Qui ergo charitatem & ueritatem non receperunt, ut saluatore suscepto salui fierent: mittet illis deus non operatorem, sed ipsam operationem, id est, fontem erroris, ut credant mendacio: Quia mendax est ipse, & pater eius. Et siquidem antichristus de uirgine natus esset, & primus uenisset in mundum, poterant Iudæi habere excusationem & dicere, quod putauerint ueritatem, & idcirco mendacium pro ueritate susceperint. Nunc autem ideo iudicandi sunt, imò procul dubio condemnandi: quia Christi ueritate contempta, postea mendacium, id est, antichristum susceperi sunt.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA

QVi interpretat. n. s.) Quod Apodemius Græce sonat peregrinum, à uerbo ἀποδημέω peregrinor. Quæ uadunt cum silentio) Alluſit ad Esaiæ locum, qui est capite septimo. Pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ uadunt cum silentio. Et in euangelio, Ad Siloe mittitur cæcus sanandus. Aquas Sihor.) Sihor Hebraice turbidum sonat, siue turbulentum: Est autem Siloe fonticulus ad radicem montis Sion, non perpetuo scatens, sed certis erumpens

temporibus,& per ſaxa decurrens,ut teſtatur Hieronymus in Eſaiam,qui fontem nouerat,utpote illic habitans. Picra.)Antidoti genus,de quo ſuperius meminimus, πικρὰ, id eſt,amara uocatum,quod examaris rebus conficiatur. Vulgus medicorum hodie uocat pigram. Et mitte in myrrham lignum.)Hic locus haud dubie deprauatus eſt in omnibus codicibus.Illud ueræ lectionis ueſtigium tantum remanet,quod in antiquis inuenio marra non myrrham:legendum eſt autem in mara. Siquidem alluſit ad hiſtoriam, quæ refertur Exodi decimoquinto, Cum Hebræi ueniſſent ad aquas amaras,nomen impoſuerunt loco,Mara,id eſt amaritudinem.At Moyſes oſtendit lignum, quo miſſo in aquam, cœpit dulceſcere. Senilemq; pituitam.) Pituita humor ſuperuacaneus, qui in ſenibus ob caloris defectum abundat. Vnde ſua ſcripta, quaſi diluta minusq; habentia neruorum,pituitam uocat. Iuueni li autoritate.)Legendum eſt,auſteritate:atq; ita quidam habent codices.Senilis oratio pituitam habet, quia diffluit ac diſſoluta eſt. Iuuenilis auſtera, quod nondum maturuit, & idcirco ſubacerbum quiddam habet.Translatum eſt à uino & pomis. c

Ex ſecunda quæſtione.

Nos autem ex Hebræo.) Lege commentarios diui Hieronymi in Eſaiæ caput quadrageſimum ſecundum, ubi citat hunc locum. Locus eſt apud Mattheum capite duodecimo. Arundinem, inquit,quaſſatam.Septuaginta uerterunt καλαμον τετλασμενον οὐ συντρίψει, id eſt, calamum fractum non comminuet. 4

Ex tertia quæſtione.

In euangelio ſecundum Matthæum)Nam hic non facit mentionem crucis geſtatæ ab ipſo Ieſu,ſed tantum à Cyrenæo,qui compulſus eam portarit. 5

Ex quarta quæſtione.

Quod homo iniquitatis & aduerſarius eleuet ſe contra omne quod dicitur deus & religio.) Multo rectius hæc uertit Hieronymus,quàm habeat uulgata æditio:Qui aduerſatur & extollitur,ſupra omne quod dicitur deus,aut quod colitur:Nam Græca ſic habẽt, ὑπὲρ παν το λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα, id eſt, aduerſus omne quod dicitur deus,aut ſebaſma. σέβασμα, autem eſt cultus deo, aut ei qui maieſtatem habet exhibendus:nonnunquam is cui exhibetur,quod interpres ille circumlocutus eſt,quod colitur, Hieronymus uertit religio,& ὑπὲρ potius aduerſus ſignificat quàm ſupra. Quanquam pleriq; Græci codices habent,ὑπὲρ πάντα,id eſt,aduerſus omnem,unica mutata literula,nempe,ο,in α. 6

Ex quinta quæſtione.

Quia facies erat uadens.)Sic Græca habent,ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν προβλέπον εἰς ἱερουσαλήμ. 7 D

Duas pentecontadas.)Quidam codices habent duas pentecontadas. Quidam duos pentecontarchos. Vtrunq; tolerabile eſt. Nam πεντηκόνταρχος,ſignificat ducem quinquaginta præfectum,& πεντηκοντὰς, numerum ſignificat quinquagenarium. Sed pentecontadas magis quadrat cum genitiuo qui ſequitur militum.

Ex ſexta quæſtione.

Hoc enim οἰκονόμος.)Ab οἶκος domus,& νέμω diſtribuo,quod diſpenſet ac diſtribuat quæ ad uſum domeſticum pertinent. οἰκονομικὸς ξυροφῶντος.) Extat & Ariſtotelis lectu digniſſimus. Centum cados olei.)Quidam codices recte habent batos. Batus autem menſuræ genus eſt, liquidorum duntaxat,nempe decima pars cori. Item inferius, primum qui debebat centum batos. Qui bene quidem offerebat.)Ex ſecundo Geneſeos capite,citat iuxta Septuaginta, quorum interpretationẽ tamen aliàs in hoc loco reiecit,ut & ſuperius admonuimus. 8

Ex octaua quæſtione.

Quod ergo bonum eſt.)Quid in hũc locum annotarim,qui uolet, legat in Annotatiunculis noſtris, quas ſcripſimus in Nouum teſtamentum. Secularis apud Græcos.)Quam Ouidius ſic extulit:Nitimur in uetitum ſemper cupimusq; negata, niſi ſignificat illud τὴν ὑπὲρ δύραις ὑδρίαν, id eſt,in foribus aqualem.Cuius prouerbij meminit Ariſtoteles in Rhetoricis, & nos in Chiliadibus noſtris explicuimus. Hyperbolice.)ὑπερβολικῶς,ſic loquimur:cũ augendæ rei gratia, plus dicimus quàm rei ueritas habet,ut,clamor ſydera pulſabat,de maximo clamore. Gratia dei,per Ieſum Chriſtum.)Antiqui codices habent,gratias ago deo.Atq; ita legitur in Græcis exemplaribus omnibus, quæ mihi contigit uidere.Vnde locum hunc audacter reſtitui. 9

Ex nona quæſtione

Significantius Græce dicitur ὑοθεσία.) Nam adoptio nomen eſt generalius, ſed ὑοθεσία proprium eſt adoptioni filiorum, ab ὑὸς & τίθημι, qua imaginamur aliquem eſſe filium, & in locum filij ſubſtituimus. 10

Ex decima quæſtione

Nemo uos ſuperet uolens)Vulgata æditio habet,nemo uos ſeducat uolẽs.Paulus his uerbis eſt uſus μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω.καταβραβεύειν eſt in accipiendo brauio aliquem circumuenire, ſonat quaſi di

cas

A cas,contrapræmiare, ut ita docendi causa loquamur, & in tuam iniuriam in alium transferre bratium tibi debitum.Eam enim uim ferè habet præpositio κατὰ, quoties additur genitiuus:de quo plura diximus in Annotationibus. In Tarso Ciliciæ.) Cilicia pars est Asiæ, quam Cydnus amnis intersecat, & mons Amanus,cuius metropolis erat Tarsus,urbs libera,ut testatur Plinius, in qua natus fuit Paulus,loquebantur quidem Græce,sed corruptius. Idem queritur Origenes, quod Hieronymus.

II Conabimur itaq; παραφραστικῶς.)Paraphrasis est liberior translatio,dum quædam mutantes aut etiam addentes, copiosius ac dilucidius explicamus quod ab alijs dictum est:cuiusmodi est Themistius, Aristotelis non interpres,sed paraphrastes. Iniquitate Agonothetæ.)Agon certamen est, τίθημι pono:unde Agonothetes dicitur,qui propositis præmijs inuitat ad certamina,ut apud Homerum Achilles,apud Vergilium Aeneas. Ab humana die,id est,ἀπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας.) Sic enim Cilices appellabant iudicium,quod pro tribunalibus agitur,unde Latini quoq; dicunt diem dicere,pro eo quod est, uocare in ius.Locus est primæ ad Corinthios capite quarto. Ανθρώπινον λέγω.) Id est humanum dico,est in epistola ad Romanos capite sexto. ὁ κατεναρκήσατε ὑμᾶς.) Id est,non grauaui uos. ναρκᾶν est torpere, κατανα ρκᾶν, est suo ocio grauis esse alijs:quod ferè solent,qui uiuunt alieno cibo.Quanquam hoc quoq; uerbum Hieronymus putat Cilicum esse proprium. Sceleratum frigus.) In Georgicis Vergilius frigus appellat sceleratum,id est,noxium, idq; iuxta morem Mantuanæ linguæ. Vtrunq; enim habetur.)Quidam codices habebant ἐώρακεν,quidam,ἥκακεν. ἐμβατεύων σοβαρὸς.)Id est,incedens fastuosus.Nam σοβαρὸς dicitur Græcis,qui uultu & incessu tumorem animi & arrogantiam præ se ferat, dictum à uerbo σοβεῖν, quod alios repellant ac fastidiant. Vnde apparet & συβαρίτας dictos, quasi sobaritas, quorum fastus etiam prouerbio locum fecit, συβαρίτης διὰ πλατείας, id est, Sybarita per plateam. Nam tempore Pauli festos dies opinor nesciebat ecclesia. Quanquam illud lectorem admonitum uelim, σοβαρὸς hoc loco additum fuisse ab audaculo quopiam nec esse in Græcis exemplaribus, nec in emendatis Hieronymi: uerum ipsum ἐμβατεύειν, Græcis significat,quod apud nos incedere, hoc est fastu quodam ingredi, ut regina incedit, reges incedunt. Nos tamen in Annotationibus nostris alium sensum retulimus,quàm sequitur Hieronymus. Vitulum in Horeb.)De uitulo,legis in Exodo: de Rempha siue Rephpha, lege commentarios diui Hieronymi in quintum caput Amos prophetæ. Sepiarum & loliginum.) Sepia & loligo pisces sunt, qui succum habent atrum,unde Persius sepiam pro atramento posuit. Pro humilitate in Græco.)Sunt enim Græcæ uoces,quæ humilitatẽ significant,sed diuersa ratione.Etenim ταπεινότης, significat humilitatem rei,ut fortunæ,generis,conditionis,stili. ταπεινοφροσύνη, modestiam animi,qua quis seipsum demittit, & de se

B pusilla sentit,minimumq; sibi arrogat. Nostri interpretes hoc non distinguunt.Nam in magnificat,respexit humilitatem ancillæ suæ,ταπεινότητα est,non ταπεινοφροσύνην,quasi dicat,respexit me infimam ancillulam.Verum hoc loco Paulus abusus est ea dictione in uitium,quo quis humilia sentit,hoc est terrena non cœlestia,à uerbo ταπεινοφρονεῖν. Quas hodie ἀδυτοφώσεις.)Quidam codices habent ἀδυτοφονόμους,sed uitiose:sonat autem Græce ἀδυτόφωσις, quasi dicas secundationem.Ita uocabant posteriores traditiones,Hebræi misne משנה uocant. Rationem quidem habentia.) Græci plæraq; connectunt per duas coniunctiones,μὲν & δὲ,id est,quidem & autem.Et δὲ nonnunquam inuenies,cum non præcessit μὲν. At μὲν non ponitur nisi sequatur δὲ. Hoc uitij grammatici uocant ἀνακόλουθον, cum non redditur quod superioribus respondeat.Ex quantula re iudicat imperitiam Pauli, quem tamen alibi negat imperitum sermonis.Ex hoc loco colligere licet,nonnihil conducere sermonis peritiam,cum Paulus uir tantus ob hanc quod sensit explicare non potuerit, ut ipse palàm testatur Hieronymus.

13 οἱ σοφοὶ ἀδυτοφῶσιν.)Id est,sapientes secundant,sic enim sonat ad uerbum,facto uerbo ἀδυτοφόω.

Pro superstitione m.Gr.)Nam duæ uoces apud Græcos consimiles in significatu,δεισιδαιμονία dicta à timore dæmonum,siue deorum,& ἐθελοθρησκεία,dicta à spontaneo cultu deorum. Nam θρησκεύειν dictum putant à Thracibus,quibus Orpheus orgia deorum tradidit. Αφειδίᾳ autem σώματος.) Sonat quasi dicas imparsimonia,hoc est cum quis non parcit corpori suo. Nam φείδομαι parco φειδὼ parsimonia.Inde addita particula priuatiua,α,pro quo nos utimur,in, ἀφειδία. habent εἰσαγωγὰς.) Id est,introductiones,ab εἰς, in,& ἄγω duco,quas latini uocãt institutiones,siue elementa,cum res à primis initijs & rudimentis traditur. Per Ethicam.) Id est,per moralem scientiam,ab ἦθος, quod latini mutato numero mores uocant.

Ex undecima quæstione

14 Αποστασίᾳ.)Quam latini dicunt defectionẽ, cum quis à suo duce desciscit. Purpuratæ meretricis.) Ita legis Apocalypsis capite decimo septimo.

ANTIDOTVS. In quæstione sexta negat deum amare posse qui pecuniam amet, significans pecuniam nullo modo diligendam esse. Vbi sunt igitur Christiani quidam, qui permittunt,ut bellum & pugnam pecuniæ causa suscipiamus? Et si bonæ sunt diuitiæ,ut putat Aristoteles,cur quod bonum est non ametur? Sed non imputandum diuo Hieronymo, si idem dicit, quod palàm in euan-

gelio dixit Christus. Praeterea in quæstione octaua, solum Christum eximit à peccato, qūoniam de c
his nondum definierat ecclesia. Item in quæstione decima, scribit, Christianum non esse, teneri cere
monijs & præceptis humanis, quod magis est Iudæorum, uelut in cibis, ieiunijs ac similibus, Non sen
tit de ceremonijs quas præscribit ecclesia, quanquā omnino conuenit eas quàm pauciſſimas esse. Alio
quin ex his tametsi speciem habent pietatis, tamen miro quodam modo omnis ueræ pietatis pestis na
scitur. At nunc Christiani pluribus premuntur ceremonijs, quàm Iudæi: & pietas admodum friget.

DIVI HIERONYMI IN HOMILIAS CANTICI canticorum Origenis, ad Damasum præfatio.

QRigenes cum in cæteris libris omnes uicerit, in Cantica canticorum ipse se uicit. Nam decem uoluminibus explicitis, quæ ad uiginti usque uersuum milia penè perueniunt, primū Septuaginta interpretes, deinde Aquilam & Symmachum & Theodotionem, & ad extremum Quintam æditionem quam in Actæo lit
tore inuenisse se scribit, ita magnifice apertecꝫ differuit: ut uel inde mihi uideatur in eo cōple
tum esse, quod dicitur: Introduxit me rex in cubiculū suum. Itaqꝫ illo opere prætermisso, quia
ingentis est ocij, laboris & sumptuum, tantas res tamcꝫ dignum opus in latinum transferre
sermonem, hos duos tractatus, quos in morem quotidiani eloquij paruulis adhuc lactenti
bus composuit, fideliter magis quàm ornate interpretatus sum, gustum tibi sensuum eius,
non cibum offerens. Tu animaduertas quanti sint illa æstimanda, quæ magna sunt, cum sic
possint placere quæ parua sunt.

ORIGENIS HOMILIAE DVAE IN CANTICA canticorum interprete diuo Hieronymo.

QVomodo didicimus per Moysen quædam esse, non solum sancta, sed & san
cta sanctorum: & alia non tantum sabbata, sed & sabbata sabbatorum: sic nunc
docemur scribente Solomone esse quædam non solum Cantica, sed & Canti
cacāticorum. Beatus quidem is qui ingreditur sancta, sed beatior qui ingreditur
sancta sanctorum. Beatus qui sabbata sabbatizat: sed beatior qui sabbatizat sabbatorum d
sabbata. Beatus similiter & is qui intelligit cantica, & canit ea. Nemo quippe nisi in solennita
tibus canit: sed multo beatior ille qui canit canticacanticorum. Et sicut is qui ingreditur in san
cta, pluribus adhuc indiget, ut ualeat introire in sancta sanctorum: & qui sabbatū celebrat,
quod à domino populo constitutum est, multa adhuc necessaria habet, ut agat sabbata
sabbatorum: eodem modo difficile reperitur, qui omnia quæ in scripturis continentur can
tica peragrans, ualeat ascendere ad canticacanticorum. Egredi te oportet ex Aegypto, &
egressum de terra Aegypti pertransire mare rubrum, ut possis primum canticum canere,
dicens: Cantemus domino, glorioſe enim magnificatus est. Licet autem primum dixeris can
ticum, adhuc longe es à Canticocanticorum. Perambula terram deserti spiritualiter, donec
uenias ad puteum, quem foderunt reges: ut ibi secundum canticum canas. Post hæc ueni ad
uicina sanctæ terræ, ut super Iordanis ripam constitutus, cantes canticum Moysi, dicens: At
tende cœlum & loquar, & audiat terra uerba oris mei. Rursum habes necessarium, ut mili
tes, & terram sanctam hæreditate possideas, & apis tibi prophetet, & apis te iudicet, Debbo
ra quippe apis interpretatur: ut possis & illud carmen, quod in libro Iudicum continetur,
edicere. Ad Regnorum deinceps uolumen ascendens, ueni ad canticum quando Dauid fu
git de manibus omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, & dixit: Dominus firma
mentum meum, & fortitudo mea, & refugium meum & liberator meus. Perueniendum ti
bi est ad Esaiam, ut cum illo dicas: Cantabo canticum dilectæ uineæ meæ. Et cum uniuersa
transieris, ad altiora conscende, ut possis anima decora, cum sponso & hoc canere canticum
canticorum. Sed quot ex personis constet, incertus sum. Orantibus autem uobis, & reue
lante domino, quatuor mihi in his uideor inuenisse personas, uirum & sponsam, cum spon
sa adolescentulas, cum sponso sodalium greges. Alia dicuntur à sponsa, alia à sponso: non
nulla à iuuenculis, quædam à sodalibus sponsi. Congruum quippe est ut in nuptijs ado
lescentularum sit multitudo cum sponsa, iuuenum turba cum sponso. Hæc omnia noli foris

quærere

A quærere, nõli extra eos qui prædicatione euangelij ſaluati ſunt. Chriſtum ſponſum intelli-
ge, eccleſiam ſponſam ſine macula & ruga, de qua ſcriptum eſt: Vt exhiberet ſibi glorioſam
eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eorum: ſed ut ſit ſancta & im-
maculata. Eos uero qui cum ſint fideles, non ſunt tamen iſtiuſmodi, quales ſermo noſter
præfatus eſt, ſed iuxta modum quendam adepti uidentur ſalutem, animaduerte credenti-
um animas, & adoleſcentulas eſſe cum ſponſa. Angelos uero & eos qui peruenerunt in ui-
rum perfectum, intellige uiros eſſe cum ſponſo. Inde igitur mihi uidentur quatuor ordines,
unum & unam, duos choros inter ſe concinentes, ſponſam canere cum iuuenculis, ſpon-
ſum canere cum ſocijs. Et cum hoc intellexeris, audi canticum canticorum: & feſtina intellige-
re illud: & cum ſponſa dicere ea quæ ſponſa dicit, ut audias quæ audiuit & ſponſa. Si autem
non potueris dicere cum ſponſa quæ dixit, ut audias ea quæ dicta ſunt ſponſæ: feſtina uel
cum ſponſi ſodalibus fieri. Porrò ſi & illis inferior es, eſto cum adoleſcentulis quæ in ſpon-
ſæ delitijs cõmorantur. Hæ quippe in hoc libro fabula pariter & epithalamio ſunt perſonæ,
ex quo & gentiles ſibi epithalamium uindicarunt, & iſtius generis carmen aſſumptum eſt.
Epithalamium ſiquidem Canticum canticorum. Primum ſponſa orat: & ſtatim in medijs
precibus auditur: uidet præſentem ſponſum: uidet adoleſcentulas ſuo comitatui copulatas:
deinde reſpondet ei ſponſus: & poſt ſponſi eloquia, dum ille pro eius patitur ſalute, reſpon-
dent ſodales, donec ſponſus ſit in recubitu, & à paſſione conſurgat, ſe quædam ſponſæ or-
namenta facturos. Verum iam ipſa uerba ponenda ſunt: in quibus prius uox ſponſæ de-
precantis auditur. Oſculetur me oſculo oris ſui. Quorum iſte eſt ſenſus: Quouſq; ſponſus
meus mittit oſcula per Moyſen, mittit oſcula per prophetas? Iam ipſius cupio ora continge-
re: ipſe ueniat, ipſe deſcendat. Orat igitur ſponſi patrem & dicit ad eum: Oſculetur me oſculo
oris ſui. Et quia talis eſt, ut compleatur ſuper eam propheticum illud, in quo dicitur: Adhuc
te loquente dicam, ecce adſum: ſponſam ſponſi pater exaudit, mittit filium ſuum. Videns
B illa eum cuius deprecabatur aduentum, orare deſiſtit: & ad eum cominus loquitur: Quo-
niam bona ubera tua ſuper uinum: & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.
Sponſus igitur Chriſtus miſſus à patre, uenit unctus ad ſponſam, & dicitur ad eum: Dilexi-
ſti iuſticiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te deus deus tuus oleo exultationis, præ
participibus tuis. Si me tetigerit ſponſus, & ego boni odoris ero, & ego liniar unguẽtis, & ad
me uſq; eius unguenta peruenient: ut poſſim cum Apoſtolo dicere: Chriſti bonus odor ſu-
mus in omni loco. Nos autem cum hæc audimus, adhuc peccatis uitijſq; fœtemus: de qui-
bus propheta pœnitens loquitur: Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipi-
entiæ meæ. Peccatum odoris eſt putidi: uirtus ſpirat unguenta: quorum typos reperies in
Exodo. Inuenies quoq; ibi ſtacten, onycha, galbanen, & reliqua. Hęc quidem ad incenſum.
Deinde ad opus unguentarij uaria ſumuntur unguenta: in quibus eſt nardus & ſtacte. Et
deus qui fecit cœlum & terram, loquitur ad Moyſen, dicens: Ego impleui eos ſpiritu ſapien-
tiæ & intellectus, ut faciant opera artis unguentariæ. Et unguẽtarios deus docet. Hæc ſi non
ſpiritualiter intelligantur, nónne fabulæ ſunt? Niſi aliquid habeãt ſecreti, nónne indigna
ſunt deo? Neceſſe eſt igitur eum qui audire ſcripturas ſpiritualiter nouit, aut qui certe non no
uit, & deſiderat noſſe: omni labore contendere, ut non iuxta carnem & ſanguinem conuerſe-
tur, quo poſſit dignus fieri ſpiritualium ſecretorum: & ut aliquid audentius dicam, ſpirituali
cupidine uel amore accendatur. Siquidem eſt & ſpiritualis amor. Et quomodo eſt quidam
carnalis cibus, & alius ſpiritualis, & alia carnis potio, alia ſpiritus: ſic eſt quidam amor carna-
lis à ſatana ueniens, alius amor ſpiritus à deo exordium habens. Et nemo poteſt duobus
amoribus poſſideri. Si carnis amator es, amorem ſpiritus non capis. Si omnia corporalia
deſpexiſti, non dico carnem aut ſanguinem, ſed argentum & poſſeſſiones, ſed ipſam terram
ipſumq; cœlum, hæc quippe pertranſibunt: ſi iſta omnia contempſiſti, & ad nullum ho-
rum anima tua obligata eſt, neq; quoquam uitiorum amore retineris, poteſt amorem cape-
re ſpiritualẽ. Iſta locuti ſumus, quia euenit occaſio, ut de amore ſpirituali aliqua diceremus.

Expedit

Expedit autem nobis Solomonis cuſtodire præceptũ, & magis illius, qui per Solomonem c
loquebatur de ſapientia,ita dicens: Ama illam, & ſeruabit te:circunda illam, & exaltabit te:
honora illam, ut te amplectatur. Eſt quidem ſpiritualis amplexus : atq; utinam contingat,
ut meam ſponſam altior ſponſi amplexus includat:ut ego quoq; poſſim dicere,quod in eo/
dem libro ſcriptum eſt: Siniſtra eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.
Oſculetur me ergo oſculo oris ſui. Moris eſt ſcripturarum:imperatiuum modum pro opta/
tiuo ponere,ut ibi : Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum,pro utinam ſan/
ctificetur:& nunc in præſenti: Oſculetur me oſculo oris ſui, pro eo quod eſt, utinam oſcule/
tur. Deinde conſpicit ſponſum: Venit delibutus unguentis. Nec aliter ad ſponſam poterat
uenire: nec decebat aliter patrem ad nuptias filium deſtinare. Varijs eum unxit unguentis,
fecit illum Chriſtum : uenit diuerſis odoribus ſpirans, & audit, quia bona ubera tua ſuper
uinum. Congrue ſermo diuinus unam eandemq; rem, pro locorum qualitate,diuerſis uo/
cabulis nũcupat.Quando hoſtia offertur in lege,& uult intellectum oſtẽdere, pectuſculum
ſeparationis affatur. Quando uero recumbit aliquis cum Ieſu, & ſenſuum eius communio/
ne perfruitur,non pectuſculum,ut ſupra, ſed pectus alloquitur. Porrò cum ſponſa loquitur
ad ſponſum, quia nuptiale carmen inducitur, non pectuſculum, ut in ſacrificio:non pectus,
ut in Ioanne diſcipulo,ſed ubera nominat,dicens:Quia bona ubera tua ſuper uinum.Com/
munica ut ſponſa cum ſenſibus ſponſi:& ſcias quia inebriant atq; lætificant iſtiuſmodi cogi/
tatus. Quomodo autem calix domini inebrians peroptimus eſt : ſic ubera ſponſi omni me/
liora ſunt uino,quia bona ubera tua ſuper uinũ. In mediis precibus ad ſponſum uerba con/
uertit : Et odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata. Non uno, ſed omnibus ſpon/
ſus uenit unctus unguentis. Si autem & ad meam animam factam ſponſam ſuam, ſponſus
uenire dignabitur,quàm oportet eſſe formoſam,ut illum de cœlo ad ſe trahat:ut deſcendere
faciat ad terras,ut ueniat ad amatam? Quali pulchritudine decoranda eſt:quali debet amo/
re feruere:ut ea loquatur ad illam,quæ ad perfectam locutus eſt ſponſam: Quia ceruix tua, d
quia oculi tui,quia genæ tuæ,quia manus tuæ,quia uenter tuus,quia humeri tui,quia pedes
tui? De quibus,ſi conceſſerit dominus,diſputabimus:quomodo ſponſæ membra uarientur,
& ſingularum partium laus diuerſa dicatur: ut poſt diſputationem, etiam ad noſtram dici
animam ſimiliter laboremus.Bona igitur ubera tua ſuper uinum, & odor unguentorũ tuo/
rum ſuper omnia aromata.Si uideris ſponſum,tunc intelliges uerum eſſe quod dicitur, quo
niam bona ubera tua ſuper uinum, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.
Multi habuerunt aromata.Regina auſtri detulit aromata Solomoni,& plures alij aromata
poſſederunt:ſed habuerit quis quantalibet, non poſſunt Chriſti odoribus cõparari: de qui/
bus nunc ſponſa ait: Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.Ego arbitror,quia
& Moyſes habuit aromata & Aaron,& ſinguli prophetarum. Verum ſi uidero Chriſtum,
& ſuauitatem unguentorum eius odoremq; percepero : ſtatim ſententiam profero, dicens:
Odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata.Oleum effuſum nomen tuum.Prophe
ticum ſacramentum eſt. Tantummodo nomen Ieſu uenit in mundum, & unguentum præ/
dicatur effuſum.In euangelio quoq; mulier accipiens alabaſtrum unguenti nardi piſtici pre
cioſi,caput Ieſu pedesq; perfudit. Obſerua diligenter quæ de duabus ſuper caput effuderit
ſaluatoris.Siquidem peccatrix ſuper pedes:& ea quę dicitur non fuiſſe peccatrix,ſuper caput
eius fudiſſe monſtratur. Obſerua,inquam,& inuenies in euangelica lectione non fabulas &
narrationes ab euangeliſtis, ſed myſteria eſſe conſcripta. Impleta eſt utiq; odore unguenti
domus:ſi quid peccatrix habuit,ad pedes referendum eſt:& ſi quid ea quæ nõ peccatrix,ad
caput.Nec mirum domum fuiſſe odore completam,cum hoc odore mundus completus ſit.
Scribitur in eodem loco de Simone leproſo & domo eius. Ego puto leproſum, mũdi iſtius
eſſe principem:& hunc leproſum,Simonem nuncupari,cuius domus ad aduentum Chriſti,
ſuaui odore completa ſit,agente pœnitentiam peccatrice,& ſancta caput Ieſu unguenti odo
ribus perfundente. Vnguentum effuſum nomen tuum. Quomodo unguentum quod effu/

ſione

A sione sua odorē longe lateq; dispergit:sic Christi nomen effusum est.In uniuersa terra Chri
stus nominatur,in omni mūdo prædicatur dominus.Vnguentū enim effusum nomen eius.
Nunc Moysi nomen auditur,quod prius Iudææ tantum claudebatur angustijs.Neq; enim
Græcorum quispiam meminit eius:neq; in ulla gentilium literarū historia de illo seu cæteris
scriptum aliquid inuenimus.Statim ut Iesus radiauit in mundo,eduxit secum legem & pro
phetas,& uere completum est,unguentū effusum nomen tuum.Propterea iuuenculæ dilexe
runt te.Quia per spiritum sanctum,charitas dei diffusa est in corda nostra,congrue nomen
effusionis infertur:unguentū effusum nomen tuum. Hæc dicens sponsa adolescentulas con
spicit. Quando illa sponsi patrem rogabat: & ad ipsum sponsum cominus loquebatur, nec
dum adolescentulæ aderant.In medijs uero precibus ingreditur iuuencularū chorus,& spon
sæ laudatur eloquijs:Propterea iuuenculæ dilexerunt te,& attraxerunt te.Adolescentulæq;
respondent:Post te in odore unguentorum tuorum curremus. Quàm pulchre sponsi pedi
sequæ,necdum fiduciam habent sponsæ. Sponsa non post tergum sequitur: sed ingreditur
iuncta lateri.Apprehendit dexteram sponsi,& manus eius sponsi dextera continetur.Famu
læ uero ingrediūtur post eam. Sexaginta sunt reginæ & octoginta concubinæ,& iuuenculæ
quarum non est numerus. Vna est columba mea,perfecta mea:una est matri suæ,una est ei
quæ concepit illam.Post te ergo in odore unguentorū tuorum curremus.Cum omni hone
state deambulantibus dictum est: post te in odore unguentorū tuorum curremus,secūdum
illud: Cursum consummaui. Et illud: Qui in stadio currunt, omnes quidem currunt:unus
autem accipit brauium. Brauium Christus est, & hæc quidem adolescentulæ, quas propter
amoris exordium foris stare cognoscimus,iuxta illud exemplū: Amicus autem sponsi stans
& audiens eum,gaudio gaudet propter uocem sponsi. Tale quiddam & adolescentulæ susti
nent.Introeunte sponso,forinsecus remanent,sponsa uero speciosa perfecta,sine macula,sine
ruga,in sponsi cubiculum,in regium penetral ingressa,reuertitur ad iuuenculas,& nunciat eis,
B quæ sola conspexerit,dicitq;:Introduxit me rex in cubiculum suum.Non ait,introduxit nos
plures in cubiculum suum. Plures foris remanent,in cubiculum sola ingreditur sponsa,ut ui
deat thesauros absconditos & tenebrosos,renuncietq; iuuenculis:Introduxit me rex in cubi
culum suum. Rursus adolescentulæ,id est,sponsarum incipientium turba quàm plurima: in
gressa sponsa cubiculum sponsi, & uidente diuitias uiri sui, dum illius præstolantur aduen
tum, lætæ concinunt: Exultabimus & lætabimur in te. Pro sponsæ perfectione lætantur.
Non est æmulatio in uirtutibus.Amor iste mundus,amor iste sine uitio est. Exultabimus &
lætabimur in te:diligemus ubera tua. Illa quæ maior est,iam tuorū uberum lacte perfruitur,
& loquitur exultans: Bona ubera tua super uinum. Istæ uero quæ exultationem & lætitiam
deferunt: adolescentulæ quippe sunt, deferunt charitatem, & dicunt: Exultabimus & læta
bimur in te,diligemus ubera tua super uinum. Diligemus,inquiunt,non diligimus. Deinde
loquūtur ad sponsam:Aequitas dilexit te.Laudant sponsam,nomen illi æquitatis à proprijs
uirtutibus imponentes. Aequitas dilexit te. Rursum ad adolescentulas sponsa respondet:
Nigra sum & speciosa filiæ Hierusalē ut tabernacula cedar,ut pelles Solomonis.Ne intuea
mini me,quia ego sum denigrata,quoniam despexit me sol. Speciosa quidem est: & possu
mus inuenire quomodo speciosa sit sponsa:quærimus autē quomodo nigra & sine candore
sit pulchra.Pœnitentiam egit à peccatis,speciem ei largita est conuersio,& ideo speciosa can
tatur. Quia uero necdum omni peccatorum sorde purgata, necdum lota est in salute, nigra
dicitur,sed in atro colore non permanet.Fit itaq; candida quādo ad maiora consurgit:& cum
ab humilibus incipit ad alta conscendere,diciturq; de ea: Quæ est ista,quæ ascendit dealbata?
Et quo manifestius hoc mysterium describatur, non ait, ut in plerisq; codicibus legitur: In
nixa super fratruelem suum,id est, ἐπισκειξομένη ὡσὶ τὸμ ἀδελφιδῶ αὐτῆ, sed ὡσὶ τὸ στῆθος
αὐτῶ,id est,super pectus eius recūbens.Significanterq; de anima sponsæ & sermone dicitur,
super pectus illius recumbens, quia principale illi cordis est nostri. Vnde à carnalibus rece
dētes,spiritualia sentire debemus:& intelligere,multo melius esse sic amare,quàm amare de

sistere

ſiſtere. Aſcendit igitur recumbens ſuper pectus fratruelis ſui:& quæ nunc in exordio cantici C
nigra ponitur,in epithalamij fine de ea cantatur.Quæ eſt iſta,quæ aſcendit dealbata? Intel/
leximus quomodo & nigra & formoſa ſit ſponſa. Si autem & tu non egeris pœnitentiam,
caue ne anima tua nigra dicatur & turpis, & duplici fœditate turperis:nigra propter peccata
præterita: turpis propter hoc,quia in eiſdem uitijs perſeueras. Si uero pœnitentiam egeris,
nigra erit anima tua propter antiqua delicta: propter pœnitentiam uero habebit aliquid,ut
ita dicam,Aethiopici decoris. Et quia ſemel Aethiopem nominaui, uolo teſtem ſcripturam
ſuper hunc aduocare ſermonem. Aaron & Maria murmurant,quia Moyſes Aethiopiſſam
habet uxorem. Et nunc Moyſes Aethiopiſſam ducit uxorem. Siquidem lex eius ad hanc
noſtram Aethiopiſſam tranſmigrauit. Murmuret Aaron ſacerdotium Iudæorũ, murmuret
& Maria ſynagoga eorum.Moyſes de murmuratione non curat:amat Aethiopiſſam ſuam,
de qua & alibi dicitur per prophetam: Ab extremis fluminum afferent hoſtias. Et rurſum:
Aethiopia præueniet manus eius deo.Pulchre præueniet.Quomodo enim in euangelio mu
lier illa quæ ſanguine fluebat,archiſynagogi filiam curatione præuenit: ſic Aethiopia Iſrael
ægrotante ſanata eſt. Illorum delicto, ſalus gentibus facta eſt ad æmulandum eos. Nigra
ſum & ſpecioſa filiæ Hieruſalem. Et tu eccleſiaſtica anima ad filias Hieruſalem conuerte ſer/
monem,& dic: Me plus amat ſponſus,me magis diligit,quàm uos quæ multæ filiæ Hieru/
ſalem. Vos foris ſtatis,& ſponſam cubiculum uidetis intrantem. Nemo dubitet nigram uo
catam eſſe formoſam. Qui nos ſumus, ut cognoſcamus deum, ut cantica prædicemus can/
tici, ut ab Aethiopiæ finibus, ut ab extremo terræ ueniremus ſapientiam ueri audire Solo/
monis? Et quando ſaluatoris uox intonantis auditur: Regina auſtri ueniet in iudicium, &
condemnabit homines generationis huius:quia uenit à finibus terræ audire ſapientiam So/
lomonis: & ecce plus quàm Solomon hic:audi myſtica quæ dicantur. Regina auſtri uenit à
finibus terræ,eccleſia:& condemnat homines generationis huius,id eſt,Iudæos carni & ſan
guini deditos. Venit à finibus terræ audire ſapientiam Solomonis: non illius qui in teſta/
mento ueteri prædicatur:ſed huius qui in euangelio Solomone maior eſt.Nigra ſum & ſpe/ D
cioſa filiæ Hieruſalem: nigra uelut tabernacula cedar, ſpecioſa ut pelles Solomonis. Ipſa
quoq; nomina cum ſponſæ decore conueniunt. Aiunt Hebræi cedar interpretari tenebras.
Nigra ſum ergo ut tabernacula cedar,ut Aethiopes: ſpecioſa,ut pelles Solomonis,quas eo
tempore in tabernaculi ornamento compoſuit, quando templum ſummo ſtudio & labore
fabricatus eſt. Diues quippe Solomon:& in omni ſapientia illius,nemo præceſſit illum. Ni/
gra ſum & ſpecioſa filiæ Hieruſalem,ut tabernacula cedar,ut pelles Solomonis. Ne intuea/
mini me,quia ego ſum denigrata. Satisfecit de nigrore ſuo: & per pœnitentiam ad meliora
conuerſa,annunciat ſe filiabus Iſrael nigram quidem eſſe ſed pulchram,ſecundum quod ſu/
perius expoſuimus, & dicit: ne intueamini me, quia ego ſum denigrata. Ne,inquit,admire/
mini coloris eſſe me tetri: ſol deſpexit me: pleno quippe radio in me luminis ſui fulgor illu/
xit,ut eius ſim calore fuſcata. Neq; enim ut decuerat, ut ſolis dignitas expetebat,illius in me
lumen accepi.Delicto eorum ſalus gentibus facta eſt,& rurſum incredulitate gentium,ſcien
tia Iſrael. Habes utrunq; apud Apoſtolum: Filij matris meæ pugnauerunt aduerſum me.
Conſiderandum quomodo ſponſa dicat:filij matris meæ pugnarũt aduerſum me.Et quan/
do aduerſus eam fratrum pugna ſurrexit? Vide Paulum eccleſiæ perſecutorem: & intelliges
quomodo filius matris eius pugnauerit aduerſus eam. Perſecutores eccleſiæ egerunt pœni/
tentiam, & aduerſarij eius rurſum ad ſororis ſigna conuerſi, prædicauerũt fidem, quam ante
deſtruebant.Hoc prophetico ſpiritu ſponſa nunc cantans,ait: Dimicauerunt in me: poſue/
runt me cuſtodem in uineis:uineam meam non cuſtodiui. Ego eccleſia,ego ſponſa,ego ſine
macula,plurimarum cuſtos ſum poſita uinearum à filijs matris meæ,qui contra me aliquan/
do pugnauerant. Qua ſolicitudine curaq; diſtricta, dum plures cuſtodio uineas, uineam
meam non ſeruaui.Intellige hoc de Paulo,& alio quocunq; ſanctorum,qui pro omnium ſit
ſalute ſolicitus: & uidebis quomodo uineam ſuam non cuſtodiens, aliorũ uineta cuſtodiat:

Quomodo

A Quomodo etiam ut alios lucrifaciat, ipſe in quibuſdam damna ſuſtineat. Etenim cum fuerit liber ex omnibus,ſeipſum ſeruum fecit,ut omnes lucrifaceret:Factus ſum,inquit,infirmus infirmis,Iudæis Iudæus:his qui ſub lege erant,quaſi ſub lege,& cætera: dicatq́ꝫ,uineam meam non cuſtodiui. Deniqꝫ conſpicit ſponſum,qui conſpectus abſceſſit. Et frequenter hoc in toto carmine facit,quod niſi quis ipſe patiatur, non poteſt intelligere. Sæpe,deus teſtis eſt, ſponſum mihi aduentare conſpexi, & mecum eſſe quàm plurimum : quo ſubito recedente, inuenire non potui quod quærebam. Rurſus igitur deſidero eius aduentum, & nonnunquam iterum uenit:& cum apparuerit, meiſq́ꝫ manibus fuerit comprehenſus, rurſum elabitur: & cũ fuerit elapſus, rurſum à me inquiritur:& hoc crebro facit,donec illum uere teneam, & aſcendam innixus ſuper fratruelem meum. Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi paſcis,ubi cubas in meridie.Non quæro alia tempora,quãdo ueſpere,quãdo diluculo,quando in ſolis paſcis occubitu: illud tempus inquiro,quando in florente die, quando plena luce in maieſtatis tuæ ſplendore uerſaris: Annuncia mihi,quem dilexit anima mea,ubi paſcis,ubi cubas in meridie.Diligẽter obſerua ubi meridiem legeris.Apud Ioſeph meridie fratres prandium celebrant.Angeli meridie Abrahæ ſuſcipiuntur hoſpitio:& cætera iſtiuſmodi. Quære & inuenies ſcripturam diuinam non fruſtra ſeu fortuitu unumquenq́ꝫ uſurpare ſermonem. Quiſputas eſt dignus è nobis,ut ad meridiem uſq́ꝫ perueniat & uideat, ubi paſcat, ubi cubet ſponſus? Annũcia mihi,quem dilexit anima mea,ubi paſcis,ubi cubas in meridie.Niſi enim tu mi annunciaueris, incipio errabunda iactari : & dum te quæro , in aliorum greges incurro:& quia aliorum erubeſco aſpectus,faciẽ meã atq́ꝫ ora mox contegere incipio. Sum quippe ſponſa formoſa , & alijs nudam faciem meam non oſtendo, niſi tibi ſoli quẽ iam pridem deoſculata ſum.Annuncia mihi,quem dilexit anima mea,ubi paſcis,ubi cubas in meridie:ne quando fiam ſicut cooperta ſuper greges ſodalium tuorum. Vt iſta non patiar,ut non fiam cooperta, ut ora non contegam,& ad alios uſq́ꝫ perueniens , incipiam forſitan & eos amare
B quos neſcio:idcirco annuncia mihi,ubi te quæram & inueniã in meridie: ne forte fiam,quaſi cooperta ſuper greges ſodalium tuorum. Poſt hæc uerba ſponſus ei cõminatur,& dicit: Aut cognoſce temetipſam,quoniam regis es ſponſa,& formoſa,& à me facta formoſa:ſiquidem ego mihi exhibui glorioſam eccleſiam,non habentem maculam neq́ꝫ rugam:aut ſcito,quia ſi te non cognoueris,& tuam ſcieris dignitatem,patieris hæc quæ ſequuntur. Quæ nam iſta ſunt? Si non cognoueris temetipſam,ò pulchra in mulieribus,egredere tu in ueſtigijs gregũ: & paſce,non greges ouium, nõ agnorum,ſed hædos tuos.Statuet quippe oues à dextris,& à ſiniſtris hædos.Si non cognoueris temetipſam ò pulchra in mulieribus,egredere tu in ueſtigijs gregum:& paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorum.In ueſtigijs,inquit, paſtorum nouiſſima fies:non inter oues,ſed inter hædos tuos, cum quibus habitans, non poteris mecum,id eſt,cum bono paſtore eſſe. Equitatui meo,in curribus Pharaonis aſſimilaui te amica mea. Si uis intelligere ò ſponſa, quomodo ſcire te debeas:cognoſce cui te comparauerim:& tunc uidebis talem te eſſe,quæ turpari non debeas,cum tuam ſpeciem cognoueris. Quid eſt igitur: equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te? Scio equitem ſponſum, propheta dicẽte:Et equitatio eius ſalus. Aſſimilata es ergo equitatui meo,in curribus Pharaonis.Quãtum differt equitatus meus qui ſum dominus,& demergo in fluctibus Pharaonem,& criſtatos eius,& aſcenſores eius, & equos & currus eius: quantum inquam differt equitatus meus ab equis Pharaonis,tanto melior es omnibus filiabus,tu ſponſa,tu eccleſiaſtica anima,omnibus animabus quæ nõ ſunt eccleſiaſticæ . Igitur ſi eccleſiaſtica anima es, omnibus animabus es melior:ſi non es melior,non es eccleſiaſtica.Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te proxima mea.Deinde pulchritudinem ſponſæ,ſpirituali amore deſcribit.Genæ tuæ,ut turturis . Faciem illius laudat,& genarũ rubore perfunditur . Pulchritudo quippe mulierum in genis dicitur eſſe quàm plurima. Ita & nos pulchritudinem animæ intelligamus in genis. Labia uero eius & linguam,intelligentiam prædicemus. Collum tuum ut monile. Vt ornamentum,quod ſolet uirginum collo pendere,& nuncupatur ὁρμίσκος, ita ſine hoc decore &

tuum ipſum collum eſt ornamentum. Poſt hæc ſit ſponſus in recubitu: requieuit ut leo, ut ca c
tulus leonis obdormiuit, ut deinceps poſſit audire: Quis ſuſcitabit eum? Quo interim dormi
ente apparent ſponſæ ſponſi ſodales angeli: & his eam ſermonibus conſolantur. Nos tibi au
rea ornamenta facere non poſſumus: non enim tam diuites ſumus, ut ſponſus tuus, qui aure
um tibi monile largiatur. Nos ſimilitudinem auri faciemus, non habemus aurum. Et in hoc
quoq; lætandum eſt, ſi ſimilitudines auri, ſi ſtigmata faciamus argenti. Similitudines auri fa
ciemus tibi, cum ſtigmatibus argenti, uerum non omni tempore, ſed donec ſponſus tuus
ſurgat à cubitu. Cum enim ille ſurrexerit, ipſe tibi aurum, ipſe faciet argentum, ipſe tuam
mentem ſenſumq; decorabit, & eris uere diues in ſponſi domo ſponſa formoſa: cui eſt glo
ria in ſecula ſeculorum. Amen.

SECVNDA HOMILIA EX ORIGENE TRADVCTA AB EO LOCO in quo ſcriptum eſt: Nardus mea dedit odorem ſuum, uſq; ad eum locũ in quo ait: Quia uox tua ſuauis & forma tua decora, & cætera.

OMnes animæ motiones, uniuerſitatis conditor deus creauit ad bonum: ſed pro uſu noſtro fit ſæpe, ut res quæ bonæ ſunt per naturam, dum male his abu
timur, nos ad peccata deducant. Vnus de animæ motibus amor eſt: quo bene utimur ad amandum, ſi ſapientiam amemus & ueritatem. Quando uero amor noſter in peiora corruerit, amamus carnem & ſanguinem. Tu igitur ut ſpiritualis, audi ſpiri
tualiter amatoria uerba cantari: & diſce motum animæ tuæ & naturalis amoris incendium ad meliora transferre, ſecundum illud: Ama illam, & ſeruabit te: circunda illam, & exaltabit te. Viri, diligite uxores ueſtras, ait Apoſtolus: ſed non ſtetit in eo quod dixerat, uiri diligite uxores ueſtras: uerum ſciens eſſe dilectionem uirorum in proprijs quoq; uxoribus inhone
ſtam, ſciens eſſe placentem deo, docuit, quomodo uiri uxores ſuas amare deberent, inferens: D
Viri diligite uxores ueſtras, ſicut & Chriſtus eccleſiam. Et hęc quidem in proœmio eorum, quæ poſtea differenda ſunt, diximus. Quia amici ſponſi, dum rex in recubitu ſuo eſt, requi
eſcens enim dormiuit ut leo & ut catulus leonis, ſponſæ promiſerant, donec ille conſurge
ret, ſimilitudines auri & argenti eſſe facturos, non habentes aurum, ut ſponſus, & quodam
modo alijs uerbis ſponſi paſſio prædicata eſt: non irrationabiliter ad hæc ſponſa reſpondet, & ipſa diſpenſationem quandam paſſionis intelligens: ad id quod audierat, ſimilitudines au
ri faciemus tibi cum ſtigmatibus argenti, donec rex in recubitu ſuo eſt, ait: Nardus mea de
dit odorem ſuum. Faſciculus guttæ fratruelis meus mihi: in medio uberum meorum demo
rabitur. Quomodo igitur aptabimus ei quod præceſſit donec rex in recubitu ſuo eſt: id quod ſequitur, nardus mea dedit odorem ſuum? Loquitur euangelium, quia uenit mulier habens alabaſtrum unguenti nardipiſtici precioſi: non illa peccatrix, ſed ſancta, de qua nunc mihi ſermo eſt. Scio quippe Lucam de peccatrice, Matthęum uero & Ioannem & Marcum non de peccatrice dixiſſe. Venit ergo non peccatrix illa, ſed ſancta, cuius nomen quoq; Ioan
nes inſeruit: Maria quippe erat habens alabaſtrum unguenti nardipiſtici precioſi, & effudit ſuper caput Ieſu. Deinde ſuper hoc indignantibus, non omnibus diſcipulis, ſed Iuda ſolo di
cente, potuit uenundari hoc trecentis denarijs, & dari pauperibus: reſpondit magiſter atq; ſaluator: Semper pauperes habetis uobiſcum, me autem non ſemper. Præueniens quippe hæc in diem ſepulturæ meæ fecit. Ideo ubicunq; prædicatum fuerit euangelium iſtud: dice
tur & quod fecit hæc in memoriam eius. In figura ergo iſtius, quod nunc loquitur: Nardus mea dedit odorem ſuum: illa ſuper caput domini fudit unguentum: & tu quoq; aſſume nar
dum, ut poſtquam caput Ieſu ſuaui odore perfuderis, poſſis audacter effari: Nardus mea dedit odorem ſuum: & à Ieſu reciprocum audire ſermonem, quia ubicunq; prædicatum fue
rit hoc euangelium in toto mundo: dicetur & quod fecit hæc in memoriam eius. Tu quoq; facito in uniuerſis gentibus prædicato. Quando aũt hoc facies? Si factus fueris ut Apoſto
lus, & dixeris: Chriſti bonus odor ſumus deo in omni loco, in his qui ſaluantur, & in his qui

pereunt

A pereunt:bona opera tua nardus ſunt.Si uero peccaueris,peccata tetro odore redolebunt.Di
cit quippe pœnitẽs: Computruerũt & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.
Non de nardo propoſitũ eſt nunc ſpiritui ſancto dicere: neq; de hoc quod oculis intuemur
euangeliſta ſcribit unguento:ſed de nardo ſpirituali:de nardo quæ dedit odorẽ ſuum. Faſci/
culus ſtactes,id eſt guttæ ſiue ſtillæ,fratruelis meus mihi. Guttam unguẽti,caſiam,galbanũ,
in Exodo legimus præcepto domini in thymiama,id eſt in ſacerdotale chriſma,confectum.
Si ergo uideris ſaluatorem meum ad terrena aut humilia deſcendentem, uidebis quomodo
uirtute magna & maieſtate diuina ad nos modica quædam ſtilla defluxerit. De hac ſtilla &
propheta cecinit, dicens: Et erit, de ſtilla populi huius congregandus congregabitur Iacob.
Et ſicuti ſecundum alium ſenſum, lapis erat præciſus è monte ſine manibus, noſtri in carne
ſaluatoris aduentus: neq; enim totus mons fuit qui deſcendit ad terras,nec poterat humana
fragilitas totius montis magnitudinem capere: ſed lapis ex monte,lapis offenſionis,& petra
ſcandali deſcendit in mundum: ſic ſecundum alium intellectum ſtilla nuncupatur. Oporte/
bat quippe ut quia omnes gentes in ſtillam ſitulæ reputatæ ſunt, is qui pro omnium ſalute
factus eſt omnia, etiam ſtilla fieret ad eas liberandas. Quid enim pro noſtra ſalute non fa/
ctus eſt? Nos inanes, & ille exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens. Nos populus
ſtultus,& non ſapiens:& ille factus eſt ſtultitia prædicationis,ut fatuum dei,ſapientius fieret
hominibus. Nos infirmi:infirmum dei fortius hominibus factum eſt. Quia igitur uniuerſæ
gentes,ut ſtilla ſitulæ,& ut momentum ſateræ reputatæ ſunt: idcirco factus eſt ſtilla,ut per
eum à ueſtimentis noſtris odor ſtillæ procederet,iuxta illud:Myrrha & ſtilla & caſia à ueſti/
mentis tuis, à domibus elephantinis, ex quibus lætificauerunt te filiæ regum in honore tuo,
quæ in quadrageſimo quarto pſalmo dicuntur ad ſponſam.Faſciculus ſtillæ fratruelis meus
mihi.Conſideremus quid ſibi fratruelis nomine uelit.Eccleſia quæ hoc loquitur de fratruele,
nos ſumus ex gentibus congregati. Saluator noſter, ſororis eius eſt filius,id eſt, ſynagogæ.
B Duæ quippe ſorores ſunt,eccleſia & ſynagoga.Saluator ergo,ut diximus,filius ſynagogæ ſo
roris,uir eccleſiæ,ſponſus eccleſiæ,fratruelis eſt ſponſæ ſuæ. Faſciculus ſtillæ fratruelis meus
mihi,in medio uberum meorum cõmorabitur. Quis ita beatus,ut habeat hoſpitem in prin/
cipali corde,in medio uberum,in pectore ſuo,ſermonem dei.Tale eſt quippe quod canitur:
In medio uberum meorum cõmorabitur. Si non fuerint fractæ mammæ tuæ: in medio ea/
rum habitabit ſermo diuinus.Decebat in carmine nuptiali,mammas potius appellari quàm
pectus. Et perſpicuum eſt, cur ad expoſitionem eius quæ dicit: In medio uberum meorum
cõmorabitur: ſit aſſumptum,ſi non fuerint fractæ mammæ tuæ, in medio uberum tuorum
commorabitur ſermo diuinus. Vnde dixi,ſi non fuerint fractæ mammæ tuæ? De Ezechiele,
Eo quippe loco, ubi Hieruſalem dominica corripitur uoce, inter cætera dicitur ad eam: In
Aegypto fractæ ſunt mammæ tuæ. Caſtarũ ubera non franguntur, ſed meretricum ubera
laxis pellibus irrugantur. Pudicarum erecta ſunt ubera,& uirginali robore tumentia. Suſci/
piunt ſermonem ſponſi,& dicunt:In medio uberum meorum commorabitur.Botrus Cypri
fratruelis meus mihi. Initium eſt ſermonis in germine, & initium Cypri,id eſt, floritionis in
uerbo,unde ait: Botrus Cypri,id eſt,floritionis fratruelis meus mihi. Non omnibus eſt Bo/
trus Cypri:ſed his qui eius flore digni ſunt. Alĳs uua uaria eſt: huic ſoli quæ nigra eſt & for
moſa,in floris decore ſe præbet.Botrus Cypri fratruelis meus mihi. Non ſimpliciter ait,bo/
trus Cypri fratruelis meus: ſed cum additamento, mihi: ut doceret non omnibus eum eſſe
botrum Cypri. Videamus autem in quibus regionibus botrus iſte ſit ſponſæ. In uineis en/
gaddi,quod interpretatur oculus tentationis. In uineis igitur oculi tentationis,botrus Cypri
fratruelis meus mihi. Tentationis oculus in præſenti eſt. Siquidem in tentatione moramur
in hoc mundo:& tentatio eſt uita humana ſuper terram.Dum in hac luce uerſamur,in uineis
ſumus engaddi.Si autem meruerimus poſtea tranſplantari,à noſtro agricola transferemur.
Nec dubites, quin poſſis de engaddi uineis ad loca meliora transferri. Agricola noſter ad
transferendã uineam,crebra meditatione iam calluit. Vineam enim ex Aegypto tranſtuliſti:

eieciſti gentes & plantaſti eam. Operuit montes umbra eius, & arbuſta eius cedros libani. ¶ Et hæc quidem quæ expoſuimus, locuta ſit ſponſa de ſponſo, ſignificans amorem ſuum, & ſponſi uenientis hoſpitiũ, quomodo in medio uberum & ſui cordis arcano, ſponſus ueniens commoretur. Rurſus ſponſi ad eam ſermo dirigitur, & dicit: Ecce ſpecioſa proxima mea, ecce ſpecioſa, oculi tui columbæ. Illa ſic dicit ad ſponſum: Ecce ſpecioſus fratruelis meus, non adiungit, & proximus meus. Hic autem quãdo loquitur ad eam: ecce ſpecioſa, adiungit, & proxima mea. Quare autem illa non dicit: Ecce ſpecioſus, proximus mihi: ſed tantum, ecce ſpecioſus? Quare ille non ſolum ſpecioſa es dicit: ſed ſpecioſa es proxima mea? Sponſa ſi longe fuerit à ſponſo, non eſt ſpecioſa: tunc pulchra fit quando dei uerbo coniungitur. Et merito nunc docetur à ſponſo, ut proxima ſit, & à ſuo latere nõ recedat. Ecce ſpecioſa proxima mea, ecce ſpecioſa. Incipis quidem eſſe ſpecioſa, ex eo quod proxima mihi es. Poſtquam autem eſſe cœperis ſpecioſa, etiam ſine additamento proximæ, abſolute es ſpecioſa. Ecce ſpecioſa proxima mea, ecce ſpecioſa. Videamus & aliam laudem ſpecioſæ: ut & nos æmulemur ſponſæ fieri. Oculi tui columbæ. Qui uiderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, oculos non habet columbæ. Si quis uero oculos columbæ non habet, domum fratris ſui ingreditur infelix, non ſeruans illud quod in Prouerbijs eſt præceptum: In domum fratris tui ne intres infelix. Pro eo quod Septuaginta infelix interpretati ſunt, Aquila Hebræam exprimens ueritatem ἀγχοικὸν poſuit. Qui autem habet oculos columbæ, uidet recta & miſericordiam promeretur. Videns quippe recta, miſericordiam conſequetur. Porrò quis uidet recta, niſi qui caſto conſpectu, & puris intuetur oculis? Noli igitur mihi de his tantum carnis oculis intelligere, quæ dicta ſunt: licet & de his intellexiſſe non inutile ſit: ſed ingrediens ad interiora cordis tui, & alios oculos mente perquirens: qui & à dei mandato illuminantur, mandatum quippe dei illuminans oculos, illud enitere, labora, contende, ut ſancte intelligas uniuerſa quæ dicta ſunt: & ſimilis ſpiritui, qui in ſpecie deſcendit columbæ, audias, quia oculi tui columbæ ſunt. Si intelligis legem ſpiritualiter, oculi tui co- ¶ lumbæ ſunt. Si intelligis Euangelium ut ſe uult intelligi Euangelium & prædicari, uides Ieſum omnem languorem & infirmitatem non ſolum eo tempore quo carnaliter facta ſunt fuiſſe medicatum, ſed hodieq; medicantem: & non tantum tunc ad homines deſcendiſſe, ſed hodieq; deſcendere, & eſſe præſentem, Ecce enim, inquit, uobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationẽ ſeculi: oculi tui columbæ ſunt. Ecce ſpecioſa, proxima mea, ecce ſpecioſa oculi tui columbæ. Has de ſe ſponſa audiens laudes, ſponſo uicem in laudibus tribuit: non quo ei quod non habet ſuo præconio largiatur, ſed intelligens decorem eius atque conſpiciens, ait: Ecce ſpecioſus fratruelis meus. Et quidem pulchre. Lectus noſter umbroſus. Quæro lectum in quo ſponſus cum ſponſa requieſcat, & ni fallor corpus humanum eſt. Siquidem ille in Euangelio paralyticus qui iacebat in lecto, & abire in domum ſuam ſublato grabato, uoce iuſſus eſt ſaluatoris, antequam ſanaretur, ſuper debile membrorum ſuorum corpus iacebat, quod poſtea dei uirtute ſolidatum eſt. Sic ego intelligo: Tolle grabatũ tuum, & uade in domum tuam. Neq; enim ad hoc filius dei de cœleſtibus ad terrena deſcenderat: ut de lectulis deſcendere imperaret: & conſurgentẽ ab ægrotatione ſua, ſine lectulo non pateretur abſcedere, Tolle, inquiens, grabatũ tuum, & uade in domum tuam. Et tu igitur à ſaluatore ſanatus tolle grabatum tuum, & uade in domũ tuam, ut cum ad te uelut ad ſponſam uenerit ſponſus, & in eo tecum fuerit reclinatus, dicas: Ecce ſponſus fratruelis meus. Et quidem pulchre. Acclinatio noſtra umbroſa. Ecce ſpecioſus fratruelis meus, ipſe & ſpecioſus eſt & umbroſus. Per diem quippe ſol non uret te, neq; luna per noctem. Trabes domorum noſtrarum cedri. Multitudinis uerba ſunt. Videntur autem mihi uiri hæc dicere: qui cum ſponſo ſunt, de quibus ſuperius ſermo præfatus eſt: domos cedrinas trabibus intextas, & cypreſſis contignatas. Siquidem pro ſtybe aſcendit cypreſſus: & pro coniza aſcendit myrtus. Requirens igitur, cuius naturæ iſta ſunt ligna: & cedrum imputribilem, & cypreſſum odoris optimi deprehendens: labora & tu ita contignare domum tuam, ut de te quoq; poſſit dici:

Trabes

A Trabes domuum noſtrarum cedri,& contignationes noſtræ cypreſſi.Poſt hæc ſponſus loquitur: Ego flos campi & lilium conuallium.Propter me qui in ualle eram deſcendit in uallem:& in uallem ueniens fit lilium.Pro ligno uitæ quod plantatum eſt in paradiſo dei,totius campi,id eſt totius mundi & uniuerſæ terræ flos factus eſt. Quid enim ſic poteſt eſſe flos mundi, ut uocabulum Chriſti? Vnguentum effuſum nomen eius. Aliter ad ipſum dicitur: Ego flos campi, & lilium conuallium. Et hæc quidem de ſemetipſo. Deinde ſponſam laudans,ait: Vt lilium in medio ſpinarum,ſic proxima mea in medio filiarum. Sicut lilium non poteſt ſpinis comparari inter quas ſemper exoritur: eodem modo proxima mea ſuper omnes filias lilium eſt in medio ſpinarum. Iſta audiens ſponſa,uicem reddit ſponſo: & ſentiens illius etiam ſuauitatem, in uocem laudantis erumpit. Vnguentorum quippe odor licet ſuauiter ſpiret, & ſenſum odore demulceat: non tamen eiuſmodi eſt, ut ſuaue ſit ad edendum. Eſt autem aliud quod optimi ſaporis ſit & odoris, id eſt, ut fauces dulcore delectet, & ſpiritum mulceat odoratu. Tale eſt malum, & iſtiuſmodi eſt naturæ, ut in ſe utraque poſſideat. Idcirco uolens non ſolum bene olentes ſermones ſponſi, ſed & dulcorem eius ſponſa laudare, ait: Vt malum in lignis ſyluæ: ita fratruelis meus in medio filiorum. Omnia ligna, omnes arbores, ad comparationem ſermonis dei, ſyluæ inferaces exiſtimantur. Ad Chriſtum ſaltus eſt omne quod dixeris, & infructuoſa ſunt omnia. Quæ enim poſſunt dici ad eum comparata fructifera? Etiam ligna quæ uidebãtur fructibus incuruari, ad collationem aduentus eius infructuoſa monſtrata ſunt. Ideo ut malum in lignis ſyluæ,ita fratruelis meus in medio filiorum. In umbra eius concupiui & ſedi. Quàm pulchre, non ait, in umbra illius concupiſco,ſed in umbra eius concupiui: &, non ſedeo,ſed ſedi. Si quidem in principio non poſſumus cum eo proprium conferre ſermonem: uerum in principio, ut ita dicam,quadam maieſtatis illius umbra perfruimur. Vnde & in prophetis legitur:Spiritus faciei noſtræ Chriſtus dominus, cui diximus: In umbra eius uiuemus in gentibus, & ab umbra ad umbram
B aliam tranſmigramus. Sedentibus enim in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et tranſeamus ab umbra mortis ad umbram uitæ. Semper iſtiuſmodi ſunt profectus, ut in exordio deſideret quiſpiam ſaltem in uirtutum umbra conſiſtere. Ego puto ideo & natiuitatem Ieſu ab umbra cœpiſſe, & non in umbra, ſed in ueritate finitam. Spiritus,inquit,ſanctus ueniet in te,& uirtus altiſſimi obumbrabit tibi.Natiuitas Chriſti ab umbra ſumpſit exordium. Non ſolum autem in Maria ab umbra eius natiuitas cœpit,ſed & in te,ſi dignatus fuerit,naſcitur ſermo dei. Fac igitur,ut poſſis capere umbram eius: & cum umbra fueris dignus effectus,ueniat ad te,ut ita dicam,corpus eius,ex quo umbra naſcitur. Nam qui in modico fidelis eſt, & in maioribus erit fidelis. In umbra eius concupiui & ſedi. Vides,quia non ſemper in umbra ſtetit, ſed inde ad meliora tranſierit, dicens: Et fructus eius dulcis in gutture meo. Ego,inquit,deſideraui in umbra eius requieſcere,ſed poſtquã me ſua protexit umbra, etiam fructu illius ſaturatus dico: Et fructus eius dulcis gutturi meo. Introducite me in domum uini. Foris ſtetit ſponſus, & ab ſponſa ſuſceptus eſt: In medio quippe uberum illius requiuit. Proximæ iuuenculæ non ſunt iſtiuſmodi, ut ſponſum hoſpitem habere mereãtur. Multitudini foris in parabolis loquitur. Quàm uereor ne multæ adoleſcentulæ forte nos ſimus. Introducite me in domum uini. Cur tam diu foris maneo? Ecce ſto ante oſtium, & pulſo. Si quis mihi aperuerit,ingrediar ad eum,& cœnabo cum eo,& ipſe mecum. Introducite me. Et nunc eadem dicit ſermo diuinus:Ecce Chriſtus loquitur,introducite me. Vobis quoq; catechuminis loquitur,introducite me.Introducite me,non ſimpliciter in domũ,ſed in domum uini. Impleatur uino lætitiæ, uino ſpiritus ſancti anima ueſtra. Et ſic introducite in domum ueſtram ſponſum,uerbum,ſapientiam,ueritatem. Poteſt autem & ad eos dici,qui nondum perfecti ſunt:introducite me in domum uini. Ordinate in me charitatem. Eleganter locutus eſt,ordinate.Plurimorũ quippe inordinata eſt charitas:quando quod in primo loco debent diligere, diligunt in ſecundo: quod in ſecundo, diligunt in primo: & quod oportet amare quarto,amant in tertio: & rurſus tertium in quarto:& eſt in pleriſque charitatis ordo peruer-

ſus. Sanctorũ uero charitas ordinata eſt. Volo ad intelligendum hoc quod dictum eſt, or- c
dinate in me charitatem, aliqua exempla replicare. Te uult diuinus ſermo diligere patrem, fi
lium, filiam: uult te ſermo diuinus diligere Chriſtũ: nec dicit tibi, ne diligas liberos, ne paren-
tibus charitate iungaris. Sed quid dicit tibi? Ne inordinatã habeas charitatem, ne primum
patrem aut matrem, deinde me diligas: ne filij & filiæ plus quàm mei charitate tenearis. Qui
amat patrem, aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: qui amat filium, aut filiam ſuper me,
non eſt me dignus. Recole conſcientiã tuam de patris, matris, fratriſue affectu: & conſidera
qualem circa ſermonem dei & Ieſu habeas charitatem: ſtatim deprehendes magis te filium
& filiam diligere, quàm uerbum: magis te parentes amare, quàm Chriſtum. Quiſputas ita
proficit ex nobis, ut præcipuam & primam inter omnia ſermonis dei habeat charitatem: qui
in ſecundo loco liberos ponat? Iuxta hunc modum, ama uxorem tuam. Nullus quippe ali-
quando ſuam carnem odio habuit, ſed amat ut carnem. Et erunt, inquit, duo in carne una: &
non in uno ſpiritu. Ama & deum, ſed ama illum, non ut carnem & ſanguinẽ, ſed ut ſpiritum.
Qui enim adhæret deo, unus ſpiritus eſt. Igitur ordinata eſt charitas in perfectis. Vt autem
poſt deum etiam inter nos ordo ponatur: Primum mandatum eſt, ut diligamus parentes: ſe-
cundum, ut filios: tertium, ut domeſticos noſtros. Si autem filius malus eſt, & domeſticus bo
nus: domeſticus in charitate filij collocetur. Et ita fiet, ut ſanctorũ ordinata ſit charitas. Ma-
giſter quoq; & dominus noſter, in Euangelio præcepta de charitate conſtituens, ad uniuſ-
cuiuſq; dilectionem proprium aliquid appoſuit: & dedit intelligentiam ordinis his qui poſ-
ſunt audire ſcripturam, dicentem: Ordinate in me charitatem: Diliges dominũ deum tuum
ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota uirtute tua. Diliges
proximũ tuum, ſicut teipſum: non proximũ ex toto corde, ex tota anima, & ex tota uirtute,
& ex tota mente. Rurſus, inquit: Diligite inimicos ueſtros, & non appoſuit, ex toto corde.
Non eſt inordinatus ſermo diuinus, nec impoſſibilia præcipit, nec dicit: diligite inimicos ue-
ſtros ut uoſmetipſos: ſed tantum, diligite inimicos ueſtros: ſufficit eis, ſi eos diligimus, & odio d
non habemus. Proximũ uero ut teipſum. Porrò deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex
tota mente, & ex tota uirtute. Si hæc intellexeris, & intellecta cõpleueris, feciſti quod ſponſi
ſermone præcipitur: introducite me in domum uini, ordinate in me charitatem. Quiſputas è
nobis charitatis eſt ordinatæ? Confirmate me in unguentis. Vnus de interpretibus poſuit
ὀινανθίνωρ. Hæc eſt autem ſponſa quæ loquitur: Stipate me in malis. In quibus malis? Vt ma
lum in lignis ſyluæ, ita fratruelis meus in medio filiorũ. Idcirco in malis eius ſtipate me, quia
uulneratæ charitatis ego. Quàm pulchrum eſt, quàm decorum à charitate uulnus accipere.
Alius iaculum carnei amoris accepit, alius terreno cupidine uulneratus eſt: tu nuda membra
tua, & præbe te iaculo electo, iaculo formoſo, ſiquidem deus ſagittarius eſt. Audi ſcripturam
de hoc eodem iaculo loquentem, imò ut tu amplius admireris, audi ipſum iaculum quid lo-
quatur. Poſuit me ut ſagittã electam, & in pharetra ſua ſeruauit me, & dixit mihi: Magnum
eſt tibi hoc, uocari puerũ meum. Intellige ſagittam quid dicat, & quomodo à deo ſit electa.
Quàm beatum eſt hoc iaculo uulnerari. Hac ſagitta uulnerati fuerant illi qui inter ſeinuicem
conferebant: Cor noſtrũ ardens erat in uia cum aperiret nobis ſcripturas. Si quis ſermone no
ſtro, ſi quis ſcripturæ diuino magiſterio uulneratur, & poteſt dicere, quia uulneratæ charita-
tis ego: hunc & illud forſitan ſequitur. Quid forſitan dico? Manifeſtam promo ſententiam:
Siniſtra eius ſub capite meo, & dextra illius amplexabitur me. Habet & in ſiniſtra, & in dex-
tera ſermo dei ſapientiam: quæ cum pro intellectus uarietate ſit multiplex, in ſubiacenti una
eſt. Ipſe Solomon de leua, & dextera ſapientiæ docuit, dicens: Longitudo enim & anni uitæ
in dextera eius: in ſiniſtra autem ipſius diuitiæ & gloria. Igitur leua eius ſub capite meo, ut me
faciat requieſcere, & brachiũ ſponſi fiat ceruical meum, & reclinetur animæ principale ſuper
ſermonẽ dei. Leua eius ſub capite meo. Non expedit tibi habere ceruicalia, quæ lamentatio
ſequatur. In Ezechiele ſcriptum eſt: Væ his qui conſuunt ceruicalia ſub omni cubitu manus.
Noli conſuere ceruicalia, noli capiti aliunde requiem quærere: habe ſponſi leuam ſub capite
tuo, &

A tuo,& dic: Leua eius ſub capite meo:quã cum habueris,omnia tibi quæ ſunt in leua tribuun-
tur. Dicis quippe,in ſiniſtra eius diuitiæ & gloria,& dextera eius amplexabitur me. Totum
te ſponſi dextera complectatur. Longitudo quippe & anni uitæ,in dextera eius:& ob id lon-
gæ uitæ,& multorum dierum eris ſuper terram bonam, quam dominus deus tuus dat tibi.
Adiuraui uos filiæ Hieruſalem in uirtutibus & in uiribus agri. Quid adiurat ſponſa filias
Hieruſalem? Si leuaueritis & ſuſcitaueritis charitatem. Quàm diu charitas dormit in uobis,
ò filiæ Hieruſalem, ò adoleſcentulæ,quæ in me non dormit, quia uulnerata ſum charitate?
In uobis autẽ,quæ plures eſtis,& adoleſcentulæ,& filiæ Hieruſalem dormit charitas ſponſi.
Adiuraui ergo uos filiæ Hieruſalem: ſi leuaueritis,& non ſolum leuaueritis,ſed & ſuſcitaue-
ritis,quæ in uobis eſt charitatẽ. Creator uniuerſitatis cum uos conderet,inſeruit in cordibus
ueſtris ſemina charitatis. Nunc autẽ,ſicut alibi dicitur: iuſtitia dormiuit in ea:ſic dilectio dor
mitat in uobis:iuxta quod & alibi dicitur,ſponſus requieuit,ut leo,& ut catulus leonis. Adhuc
in infidelibus,& in his qui corde ſunt dubio,dormitat ſermo diuinus:uigilat in ſanctis. Dor-
mitat in his qui tempeſtatibus fluctuant: ſuſcitatur uero eorũ uocibus,qui cupiunt uigilante
ſponſo ſaluari. Statim ſit eo uigilante tranquillitas:ſtatim undarum moles conquieſcunt,ſpi-
ritibus contrarijs concrepatur: fluctuum rabies ſilet. Illo dormiente,tempeſtas,mors & de-
ſperatio eſt. Adiuro ergo uos filiæ Hieruſalem in uirtutibus, & in uiribus agri. Cuius agri?
Nempe illius agri pleni,quem benedixit dominus. Si leuaueritis & ſuſcitaueritis charita-
tem: quoaduſque uelit uox fratruelis mei. Ecce hic uenit ſaliens ſuper montes. Hæc adhuc
loquitur eccleſia exhortans adoleſcentulas, ut ad ſponſi præparentur aduentum: ſi tamen
uenire uoluerit, & ſuum illis præbere colloquium. Adhuc igitur loquente ea,uenit ſponſus
quem digito monſtrat,& dicit:Ecce hic uenit ſaliens ſuper montes. intellige ſponſæ animam
beatam atq; perfectam:quæ citius uideat,citius ſermonis contempletur aduentum,quæ ſibi
ſapientiam ueniſſe ſentiat & charitatem,& dicat non uidentibus: Ecce hic uenit. Orate ut &
B ego poſſim dicere: Ecce hic uenit. Si enim potuero dei differere ſermonem,quodammodo
& ego dicam: Ecce hic uenit. Quo? Non utiq; ubi uallis,non ubi humilia loca. Quó uenit?
Saliens ſuper montes,tranſiliens ſuper colles. Si fueris mons,ſalit in te ſermo dei. Si non ua-
lueris eſſe mons,ſed fueris collis ſecundus à monte,tranſiliet ſuper te. Quàm uero pulchra &
cõuenientia rebus uocabula. Salit ſuper montes,quia maiores ſunt:tranſilit ſuper colles,quia
minores ſunt. Non tranſilit ſuper montes, non ſalit ſuper colles. Ecce hic uenit ſaliens ſuper
montes,tranſiliens ſuper colles. Similis eſt fratruelis meus capreæ,aut hinnulo ceruorum
in montibus Bethel. Hæc duo animalia in ſcripturis frequentius nominãtur:& quo amplius
admireris,ſæpius iuncta ponuntur. Et hæc ſunt,ait,quæ manducabis,poſt paululũ inferens,
capream & ceruum. In præſenti quoq; libro pariter nominantur ceruus & caprea. Quodam-
modo enim cognata ſibi ſunt & uicina iſta animalia. Caprea,id eſt dorcas, acutiſſime uidet.
Ceruus interfector ſerpentum eſt. Quiſputas eſt dignus è nobis, qui iuxta dignitatem loci
atque myſterij, plenam poſſit explicare rationem? Oremus dominum, ut nobis largiatur
ſenſum ad aperiendas ſcripturas,& poſſimus dicere: Quomodo aperuit nobis Ieſus ſcriptu-
ras? Quid igitur dicimus:quia dorcas,hoc eſt caprea, ſecundum eorum phyſiologiam, qui
de naturis omnium animaliũ diſputant,ex inſita ſibi ui nomen acceperit? Ab eo enim quod
acutius uideat,id eſt ἀπὸ τοῦ ὀξέως ὁρᾶσθαι, dorcas appellata eſt. Ceruus uero ſerpentum ini-
micus ac debellator eſt: ita ut ſpiritu narium, eos extrahat de cauernis: & ſuperata pernicie
ueneni, eorum pabulo delectetur. Forſitan ſaluator meus caprea ſit iuxta θεωρίαν: ceruus
iuxta opera. Quænam iſta ſunt opera? Interficit ipſe ſerpentes,contrarias fortitudines iugu-
lat. Ideo dicam ei: Tu contriuiſti capita draconum ſuper aquas:tu contriuiſti caput draconis.
Similis eſt fratruelis meus capreæ uel hinnulo ceruorum ſuper montes domus dei. Be-
thel quippe interpretatur,domus dei. Non omnes montes domus dei ſunt, ſed qui montes
eccleſiæ ſunt. Inueniuntur quippe & alij montes erecti & conſurgentes aduerſus ſcientiam
dei,montes Aegyptiorũ & Allophylorum. Vis ſcire quia ſimilis eſt fratruelis meus capreæ,

aut hinnulo ceruorum ſuper montes Bethel? Eſto mons eccleſiaſticus,mons domus dei: & c
ueniet ad te ſponſus ſimilis capreæ uel hinnulo ceruorũ ſuper montes Bethel. Cernit ſponſum appropinquaſſe uicinius,qui ante ſuper montes uerſabatur & colles:aſſimilat eum tranſilientem atq; ſalientem:& poſt hæc ad ſe & ad alias adoleſcentulas aduenisſe cognoſcẽs,ait: Ecce hic retro poſt parietem noſtrum.Si ædificaueris parietem & feceris ædificationẽm dei, ueniet poſt parietem tuum proſpiciens per feneſtras.Vna feneſtra,unus eſt ſenſus:per hunc proſpicit ſponſus. Alia feneſtra, alius eſt ſenſus: & per hunc ſponſus ſolicite contuetur. Per quos enim ſenſus non proſpicit ſermo dei? Quid ſit autem proſpicere per feneſtras, & quomodo per eas ſponſus aſpiciat, ſequens docebit exemplum. Vbi non proſpicit ſponſus, ibi mors inuenitur aſcendens,ut legimus in Hieremia:Ecce mors aſcendit per feneſtras ueſtras. Quando uideris mulierem ad concupiſcendum eam, iam mors aſcendit per feneſtras tuas.

Eminens per retia. Intellige quia in medio laqueorũ ambulas: & ſubtus machinas tranſeas imminentes.Omnia retibus plena ſunt:diabolus laqueis cuncta compleuit.Si autem uenerit tibi ſermo dei,& cœperit eminere de retibus,dices: Anima noſtra erepta eſt de laqueo uenantium:laqueus contritus eſt,& nos liberati ſumus.Benedicti uos à domino qui fecit cœlum & terram.Eminet igitur ſponſus per retia tibi uiam faciens.Ieſus deſcendit ad terras,ſubiecit ſe retibus mundi. Videns magnum hominũ gregem retibus impeditũ:nec eum ab alio, niſi à ſe poſſe conſcindi: uenit ad retia,aſſumens corpus humanũ, quod inimicarum fortitudinum laqueis tenebatur: ea tibi dirupit,& loqueris: Ecce hic retro poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, eminens per retia: cum uero eminuerit, dicit tibi. Reſpondet fratruelis meus, & dicit: Surge ueni proxima mea, uiam tibi feci, conſcidi retia: ſic ueni ad me proxima mea: Surge ueni proxima mea, ſpecioſa mea, columba mea. Cur ait, ſurge? Cur propera? Ego pro te ſuſtinui rabiem tempeſtatum, ego fluctus qui tibi debebantur,excepi. Triſtis eſt facta anima mea propter te uſque ad mortem. Surrexi à mortuis, fractis mortis ianuis,& inferni uinculis diſſolutis,ideo dico tibi:Surge,ueni proxima mea,ſpecioſa mea,co- D
lumba mea:quia hyems tranſiuit,pluuia abiit ſibi,flores uiſi ſunt in terra. Ego à mortuis ſurgens,tempeſtate compreſſa,tranquillitatem reddidi.Et quia ſecundum diſpenſationẽ carnis ex uirgine cum uoluntate patris creui,& ſapientia & ætate profeci:flores uiſi ſunt in terra,tempus ſectionis adeſt. Sectio remiſſio peccatorũ eſt. Omnem enim ramum,ait,in me manentem & afferentem fructum,pater meus mundat,ut fructus maiores afferat.Habeto fructus, & priora quæ in te infructuoſa ſunt,auferentur. Tempus quippe ſectionis adeſt. Vox turturis audita eſt in terra noſtra. Non ſine cauſa in ſacrificio aſſumitur par turturum, aut duo pulli columbarũ,nam idem ualent:& nunquã dictum eſt ſeparatim: par tantũmodo columbarum,ſed par turturũ & duos pullos columbarũ.Columba,ſpiritus ſanctus eſt.Spiritus autem ſanctus quando de magnis & occultioribus ſacramẽtis,& quæ multi capere non poſſunt loquitur, in turturis appellatione ſignatur,id eſt in eius auis, quæ ſemper in montiũ iugis & in arborũ uerticibus cõmoratur: in uallibus autem & his quæ ad homines uſq; perueniunt, columba aſſumitur. Deniq; ſaluator quia hominẽ eſt dignatus aſſumere, & uenit ad terras, multiq; tunc circa Iordanem peccatores erant: idcirco ſpiritus ſanctus non in turturẽ uertitur ſed columba fit. Inter nos propter hominũ multitudinẽ,auis manſuetior cõuerſatur. Turtur autem uidetur, uerbi gratia Moyſen, & unũquemlibet intelligere prophetarũ,recedentiũ in montes & deſerta,& ibi accipientium ſermones dei. Vox ergo turturis audita eſt in terra noſtra. Ficus produxit groſſos ſuos. A ficu cognoſcite parabolã. Cum ramus eius tener factus fuerit,& folia miſerit:ſcitote quia iuxta eſt æſtas. Vult nobis dei eloquiũ nunciare,poſt hyemem,poſt procellas, animarũ appropinquaſſe meſſem,& ait: Ficus produxit groſſos ſuos: uites floreſcũt,dederunt odorẽ.Si iam erumpũt in florem, ẽpus aduenier & erunt uuæ.Surge,ueni proxima mea,ſpecioſa mea,columba mea. Hæc quæ ſuperius expoſuimus,ſponſus non audientibus adoleſcentulis,ſed ſola ſponſa audiente loquitur. Volumus autem & ipſius iam audire ſermonẽ loquentis ad ſponſam. Surge,ueni proxima mea,columba mea,& ueni

columba

A columba mea ſub tegmine petræ. Et Moyſes ſub tegmine petræ ponitur: ut uideat poſterio/ra dei in tegmine antemuralis. Primum ueni ad id quod ante murum eſt, & poſtea poteris introire ubi murus eſt petræ. Oſtende mihi faciem tuam. Vſq; ad pręſentem diem ſimilia dicuntur ad ſponſam. Necdum enim habebat fiduciam ut reuelata facie gloriam domini con/templaretur. Quia uero iam ornata eſt atq; compoſita, dicitur ei: Oſtende mihi faciem tuã. Nondum enim erat uox eius ita ſuauis, ut mereretur ei dici: Audire me fac uocem tuã. Quando ergo didicit loqui? Tace enim, ait, & audi Iſrael, & ſcies quid loquatur dominus. Et ſuauis facta eſt uox eius ſponſo, ſecundum illud propheticum: Suauis fiet ei poſtulatio mea. Tunc ad eam ſponſus effatur: Et audire me fac uocem tuam: quia uox tua ſuauis eſt. Si aperueris os tuum uerbo dei, dicet tibi ſponſus: Vox tua ſuauis eſt, aſpectus tuus ſpecioſus. Quapro/pter conſurgentes, deprecemur dominũ: ut digni efficiamur ſponſi ſermone, ſapientia Chriſti Ieſu: cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

HIERONYMVS MINERIO ET ALEXANDRO, EXPONENS ILlud Apoſtoli, non omnes quidem dormiemus ſed omnes immutabimur.

IN ipſo iam profectionis articulo fratris noſtri Syſinnij qui ueſtra mihi ſcripta detulerat, hæc qualiacunq; ſunt, dictare compellor: nec poſſum ueſtram cælare prudentiã: ſed obſecro ne hoc dictum referatis ad gloriam: quin potius ad plenam neceſſitudinem, dum ita uobis quaſi mihi loquor. Multas ſanctorum fratrum ac ſororum de ueſtra prouincia ad me detulit quæſtiones, ad quas uſque ad diem Epiphaniorum, largiſſimo ſpacio me reſponſurum putabam. Cumq; furtiuis noctium lucubratiunculis ad pleraſque dictarem, & expletis alijs me ad ueſtram quaſi ad difficillimam reſeruarem, ſubito ſuperuenit, aſſerens ilico profecturum. Cumq; eum rogarem ut differret iter, libere mihi cœpit famem obtendere monaſteriorum, Aegypti neceſſitates, Nili non plenas
I aquas, multorum inediam, ut prope offenſa eſſet in dominũ, illum ultra uelle retinere. Itaq;
B ſubtegmen & ſtamina, liciaq; & telas, quæ mihi ad ueſtram tunicam paraueram, uobis inconfecta tranſmiſi: ut quicquid mihi deeſt, ueſtro texatur eloquio. Prudentes eſtis & eruditi, & de canina, ut ait Appius, facundia ad Chriſti diſertitudinem tranſmigraſtis. Nec magno mihi apud uos labore opus eſt, quod philoſophũ quendam in ſuadendo ruſticum eſſe perpeſſum narrant fabulæ. Vix dum dimidium, inquit, dixeram, iam intellexerat. Itaq; & ego tempore coartatus, ſingulorum uobis qui in ſacram ſcripturam cõmentariolos reliquerunt, ſententias protuli: & ad uerbum pleraq; interpretatus ſum, ut & me liberem quæſtione, & uobis ueterum tractatorum mittatur autoritas, qui in legendis ſingulis ac probandis, non meæ uoluntati, ſed ueſtro acquieſcatis arbitrio. Quæritis quo ſenſu dictum ſit, & quomodo in prima ad Corinthios epiſtola Pauli apoſtoli ſit legendum: Omnes quidem dormiemus, non autem omnes immutabimur. An iuxta quædam exemplaria, nõ omnes dormiemus, omnes autem immutabimur: Vtrunq; enim in Græcis codicibus inuenitur. Super quo Theodorus Heracleotes, quæ urbs olim Perinthus uocabatur, in cõmentariolis Apoſtoli ſic locutus eſt: Omnes quidem non dormiemus: omnes autem immutabimur. Enoch enim & Elias, mortis neceſſitate ſuperata, ita ut erant in corporibus, de terrena conuerſatione ad cœleſtia regna translati ſunt. Vnde & ſancti qui die conſummationis atq; iudicij in corporibus reperiendi ſunt, cum alijs ſanctis qui ex mortuis reſurrecturi ſunt, rapientur in nubibus obuiam Chriſto in aera: & non guſtabunt mortem: eruntq; ſemper cum domino, grauiſſima mortis neceſſitate calcata. Vnde ait Apoſtolus: Omnes quidem non dormiemus, omnes autem immutabimur. Qui enim ex mortuis reſurrexerint, & in nubibus uiuentes rapti fuerint, tranſibunt ad incorruptionem: & à mortalitate in immortalitatem mutabuntur, non in tempore, non ſaltem in breui ſpacio: ſed in atomo & in puncto temporis atq; momento, quo palpebra oculi moueri poteſt in nouiſſima tuba. Tanta enim fiet celeritate reſurrectio mortuorũ, ut uiui quos in corporibus ſuis conſummationis tempus inuenerit, mortuos de inferis reſurgentes præuenire non ualeant. Quod manifeſte Paulus ediſſerens, ait: Canet enim tuba, &

mortui

mortui reſurgent incorrupti,& nos immutabimur. Oportet enim corruptibile iſtud induere c
incorruptionem: & mortale hoc induere immortalitatem,ut poſſit in utranq; partem,uel in
pœnis,uel in cœlorum regno manere perpetuo. Diodorus Tarſenſis epiſcopus, præterito
hoc capitulo,in conſequentibus breuiter annotauit:in eo quod ſcriptum eſt:Et mortui reſur-
gent incorrupti,& nos immutabimur. Si,inquit,incorrupti reſurgent mortui, haud dubium
quin & ipſi ad meliora mutati: quid neceſſe fuit dicere,& nos immutabimur? An hoc uoluit
intelligi, quod incorruptio cõmunis ſit omnium, immutatio autem proprie iuſtorum? dum
non ſolum incorruptionem & immortalitatem, ſed & gloriam conſequuntur. Apollinarius
licet aliꝭs uerbis,eadem quæ Theodorus aſſeruit:quoſdã non eſſe morituros, & de præſenti
uita rapiendos in futurã:ut mutatis glorificatiſq; corporibus,ſint cum Chriſto. Quod nunc
de Enoch & Elia credimus. Didymus non pedibus,ſed uerbis in Origenis tranſiens ſenten-
tiam,contraria uia graditur.Ecce myſterium uobis loquor:Omnes quidem dormiemus,non
omnes autem immutabimur. Quod ita diſſeruit:Si non indigeret reſurrectio interprete,nec
obſcuritatem haberet in ſenſibus:nunquam Paulus poſt multa quæ de reſurrectione loquu-
tus eſt,intuliſſet: Ecce myſterium uobis dico:Omnes quidem dormiemus,id eſt,moriemur:
non omnes autem,ſed ſoli ſancti immutabimur. Scio quod in nonnullis codicibus ſcriptum
ſit:Non quidem omnes dormiemus,omnes autem immutabimur. Sed conſiderandũ: an ei
quod præmiſſum eſt,omnes immutabimur, poſſit conuenire quod ſequitur: Mortui reſur-
gent incorrupti,& nos immutabimur.Si enim omnes immutabuntur,& hoc commune cum
cæteris eſt,ſuperfluũ fuit dicere,& nos immutabimur. Quamobrem ita legendum eſt:Om-
nes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur. Si enim in Adam omnes mori-
untur,& in morte dormitio eſt: omnes ergo dormiemus ſiue moriemur. Dormit autẽ iuxta
idioma ſcripturarum,qui mortuus eſt ſpe reſurrectionis futuræ. Omniſq; qui dormit,utiq;
expergiſcitur: ſi tamen non ſubita uis mortis eum oppreſſerit, & mors ſomno fuerit copula-
ta.Cumq; omnes ita dormierint lege naturæ,ſoli ſancti & corpore & anima in melius muta D
buntur: ita ut incorruptio omnium reſurgentium ſit,gloria autem atq; mutatio proprie ſan-
ctorũ.Quodq; ſequitur iuxta Græcos,ἐν ἀτόμῳ,ἐν ῥιπῇ,ſiue ἐν ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ,utrunq; enim 2
legitur:& noſtri interpretati ſunt,in momento & in ictu, ſiue in motu oculi, idem Didymus
ita explanauit: iuncta ſimul omnium reſurrectione,rapientur obuiam Chriſto: ſed hi quos
mors diſſoluerit, quæ præſens ſermo ſignificat. Quando enim dicit, in puncto temporis,&
in motu oculi atque momento futuram omnium reſurrectionem,cunctam primæ & ſecun-
dæ reſurrectionis excludit fabulam: ut alij primi, alij nouiſſimi reſurrecturi eſſe credantur.
Atomus autem punctum temporis eſt,quod ſecari & diuidi non poteſt. Vnde & Epicurus
ex ſuis atomis mundum ſtruit, & uniuerſa conformat. Ictusq; oculi ſiue motus, qui Græce
dicitur ῥοπή, tanta uelocitate tranſcurrit, ut penè ſenſum uidentis effugiat. Verum quia in
pleriſque codicibus pro ῥοπὴ, id eſt ictu uel motu, ῥιπὴ legitur: hoc ſentire debemus,quod
quomodo leuis pluma uel ſtipula, aut tenue ſiccumq; folium, uento flatuq; raptatur, & de
terra ad ſublime transfertur:ſic ad ictum oculi & ad nutum dei,omnium mortuorũ corpora
mouebuntur parata ad aduentum iudicis. Quodq; iungit & dicit: In nouiſſima tuba: canet
enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corrupti-
bile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: duplicem habet
intelligentiam,ut clangor tubæ, aut uocis indicet magnitudinem: iuxta illud quod ſcriptum
eſt: Sicut tuba exalta uocem tuam:aut apertam omnium reſurrectionẽ: iuxta illud quod in
Euangelio legimus: Tu autem quando facis eleemoſynam,noli tuba canere ante te:hoc eſt,
abſcondite fac miſericordiam & in ſecreto,ne uidearis de alterius miſeria gloriari.Quærimus
autem cur ad nouiſſimã tubam mortuos ſcripſerit reſurrecturos. Quando enim nouiſſima
dicitur,utiq; aliæ præceſſerunt. In Apocalypſi Ioannis, ſeptem deſcribuntur angeli cum tu-
bis:& unoquoq; clangente,primo uidelicet,ſecundo & tertio,quarto & quinto & ſexto:quid
per ſingulos actum ſit,indicatur. Nouiſſimo autem,id eſt ſeptimo, claro tubæ ſtrepitu per-
ſonante

A ſonante,mortui ſuſcitantur,corpora quæ prius habuerant corruptibilia incorrupta recipientes. Vnde poſt nouiſſimam tubam,exponit Apoſtolus quid ſequatur: Canet enim tuba,& mortui reſurgent incorrupti, nos autem immutabimur. Quando dicit nos, alium ſe, & eos qui ſecum ſunt,præter mortuos eſſe ſignificat. Ad quod intelligendum,ſunt qui dicant mortuos qui reſurgant incorrupti,eſſe corpora mortuorum: eos autem qui dicantur eſſe mutandi,animas debere accipi,quando in maiorem gloriam fuerint commutatæ,& peruenerint in uirum perfectum,in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Alij uero aſſerunt,mortuos debere intelligi peccatores, qui reſurgent incorrupti, ut poſſint æterna ſuſtinere ſupplicia: eos autem qui commutantur eſſe ſanctos, qui de uirtute in uirtutem, & de gloria transferuntur in gloriam. Vnde & ad incorruptionem mortuorum intulit:Oportet enim corruptiuum hoc induere incorruptionem.Ad id aũt quod dixerat,nos immutabimur:illud adiunxit,& mortale hoc induet immortalitatem. Aliud eſt enim immortalitas, aliud incorruptio: ſicut aliud mortale,& aliud corruptiuum. Quicquid autem mortale eſt, & corruptiuũ eſt:ſed nõ quod corruptiuũ,ſtatim & mortale.Corruptiua quippe ſunt corpora,quæ carent anima,& tamen non ſunt mortalia:quia nunc̃ habuere uitam,quæ proprie animantium eſt. Vnde ſignãter Apoſtolus corruptioni incorruptionem,& mortalitati immortalitatem, reſurrectionis futuram tempore copulauit. Acacius Cæſareæ,quæ prius turris Stratonis uocabatur, poſt Euſebium Pamphili epiſcopus,in quarto συμικτῶν ζητημάτων libro proponẽs ſibi hãc eandem quæſtionẽ,latius diſputauit:& utrunq; ſuſcipiẽs, quod inter ſe uidetur eſſe contrarium, poſt principium quod omiſimus,ſic loquutus eſt: Dicamus primũ de eo quod magis in plurimis codicibus inuenitur.Ecce myſterium dico uobis:omnes quidem dormiemus,non omnes aũt immutabimur.Myſterium dixit,ut attentos faceret auditores,de reſurrectione pleniusdiſſerturus.Dormitio aũt mortem iſtam,quæ cõmunis eſt omniũ, ſignificat:unde rectiſſime poſuit, q̃ omnes dormiamus,id eſt, moriamur: ſicut ſupra dixit, Quomodo in Adam
B omnes moriuntur,ſic & in Chriſto omnes uiuificabũtur.Cum ergo omnes morituri ſint,audite ſacramenta quæ dico:omnes quidem moriemur,ſed non omnes immutabimur. Canet enim tuba,haud dubium quin angelus ſeptimus,& mortui reſurgent incorrupti.Si aũt incorrupti erunt mortui,quomodo non immutabũtur,cum incorruptio ipſa mutatio ſit? Sed hic cõmutatio,qua Paulus mutandus & ſancti ſunt,glorificatio intelligitur.Incorruptio aũt idcirco cõmunis eſt omnium,quia in eo miſerabiliores erunt peccatores,ut ad tormenta perpetui ſint,& non mortali & corruptibili corpore diſſoluãtur.Legimus in eadem epiſtola,Apoſtolo diſſerẽte,ſacratã diuerſitatem reſurrectionis,non in natura corporum,ſed in uarietate gloriæ:dum alij reſurgunt ad pœnas perpetuas,alij ad gloriam ſempiternã. Alia enim caro uolatilium,alia piſcium,alia iumentorum,& corpora cœleſtia, & corpora terreſtria. Sic,inquit, erit & reſurrectio mortuorum.Cui ſentẽtiæ magis acquieſcit eccleſia,ut omnes cõmuni morte moriamur, & non omnes mutemur in gloriã: iuxta illud quod Daniel ſcribit: Multi dormientes in terræ puluere,reſurgent,alij in gloriam æternam,alij in confuſionem & opprobrium ſempiternum. Qui enim reſurgent in opprobrium & confuſionem ſempiternam,nõ reſurgent in æternam gloriam:in quam Paulus & qui cum eo ſunt,mutabuntur. Quæ cum ita ſe habeant,& ſic intellecta ſint à nobis,eorum tantum cõmutationem ſuſcipere,qui reſurgẽt in gloriã:peccatorum autem & infidelium, qui mortui appellãtur,& reſurgent incorrupti,ne quaq̃ cõmutationem,ſed pœnas perpetuas eſſe dicendas:tranſeamus ad ſecundam lectionem,quæ ita fertur in pleriſq; codicibus. Non quidẽ omnes dormiemus,omnes aũt immutabimur.Ex qua nonnulli aſſerunt multos uiuos in corporibus reperiendos: & ſi non dormiant omnes,non omnes eſſe morituros:ſi aũt non moriantur omnes, non omnes reſurrecturos.Reſurgere enim proprie dicitur,qui prius moriendo cecidit.Vnde & Paulum uolunt ſcribere in prima ad Theſſalonicenſes epiſtola: Nos qui uiuimus,qui reſidui erimus in aduentu domini, non præueniemus eos qui dormiunt: quoniam ipſe dominus in iuſſu & uoce archangeli & in tuba dei deſcendet de cœlo:& mortui in Chriſto reſurgent primum:deinde

nos

nos qui uiuimus,qui reſidui ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in c
aera, & ſic ſemper cum domino erimus. Et ex his dictis probare conantur apoſtolum Pau/
lum,& qui cum eo ſcribebant epiſtolam,putaſſe ſe non eſſe morituros, ſed reperiẽdos in die
conſummationis in corpore. Quod ſi uerũ eſt,errauit Paulus, & humana æſtimatione dece/
ptus eſt:ut arbitraretur ſe inueniendum in corpore,quod falſum eſſe, rerum exitus approba
uit. Hoc intellexerant & ipſi Theſſalonicenſes,ſacramẽta ſermonis myſtici neſcientes,& con
iecturis uarijs fluctuabant,dicebantq́;:Si Paulus inueniendus in corpore eſt, proximus eſt
dies iudicij. Vnde corrigit eos,ſecundam epiſtolam ſcribens:Rogamus uos fratres per aduẽ/
tum domini noſtri Ieſu Chriſti,& noſtri congregationem in ipſum, ut non cito moueamini
mente,nec terreamini,neq; per ſpiritum,neq; per uerbum,neq; per epiſtolam,tanquam per
nos miſſam,quaſi inſtet dies domini: ne quis uos ſeducat ullo modo: quoniam niſi diſceſſio
uenerit primum,& reuelatus fuerit homo peccati,filius perditionis, qui aduerſatur & extolli
tur ſuper omne quod dicitur deus,aut quod colitur,ita ut in templo dei ſedeat,oſtendens ſe
tanquam ſit deus. Non meminiſtis quod cum apud uos eſſem adhuc,hæc dicebam uobis?
Quibus dictis hoc agit,ut eos reuocet ab errore:ne putent diem appropinquare iudicij:& id
quod ſcripſerat:Nos qui uiuimus,qui reſidui ſumus,in aduẽtu domini nõ præueniemus eos
qui dormierunt:aliter intelligant, quàm intelligi uoluit ipſe qui ſcripſit. Neq; enim fieri po/
teſt,ut qui ad Timotheum ſcripſerat:Ego enim iam delibor,& tempus reſolutionis meæ in/
ſtat,putaret ſe in carne perpetuum,& nunquam eſſe moriturum, & de uita æterna ſtatim ad
regna cœleſtia tranſiturum: præſertim cum ad Romanos ſcribens eadem dixerit: Quis me
liberabit de corpore mortis huius? Et ad Corinthios: Habitantes in corpore, peregrinamur
à domino. Magis autem uolumus exire de corpore,& eſſe cum domino. Qui hæc dicebat,
nouerat utiq; ſe eſſe moriturũ. Melius eſt igitur ſpiritualiter ſentire quod ſcriptum eſt,& dor
mitionem in præſenti loco, non mortem accipere, per quam anima à corpore ſeparatur: ſed
peccatum poſt fidem & offenſam dei,dormitionemq́; poſt baptiſmum:de qua & ad Corin d
thios loquebatur:Et ideo inter uos multi infirmi ſunt,& dormiunt plurimi. Et in alio loco:Er
go & qui dormierunt in Chriſto, perierunt: qui cum mortui ſint, non ſunt perpetua morte
perituri,quia non in mortali crimine continentur,ſed leui modicoq́; peccato. Quod & alius
ſanctus uitare cupiens,loquebatur:Ne forte obdormiam in morte. Eſt enim ſomnus pecca/
ti,qui ducit ad mortem:& eſt alia delicti dormitio,quę morte non ſtringitur. Qui ergo uixe
rit ea uita quæ dicit: Ego ſum uita (etenim uita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in deo)&
nunquam ab ea fuerit ſeparatus,nec ad mortem uſq; peccauerit: iſte de uiuẽtibus, & ſemper
uiuẽtibus eſſe dicitur, de quibus & ſaluator in euangelio Ioannis, myſtico ſermone teſtatur:
Qui credit in me,non morietur. Et omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur in æternum.
Vnde & Apoſtolus,domini ſui calcans ueſtigia,ea docuit diſcipulos,quę didicit à magiſtro.
Omnes itaq; non dormiemus. Qui enim omni cuſtodia ſeruat cor ſuum,& ad Chriſti præ/
cepta uigilat,mandatiq́; eius memor eſt,dicentis: Vigilate,quia neſcitis qua hora fur ueniat:
Et in alio loco:Ne dederis ſomnum oculis tuis,& palpebris tuis dormitationem, ut ſaluus fi/
as quaſi caprea de uinculis, & quaſi auis de laqueis: iſte non dormiet. Cum igitur quidam
non dormiant,qui ſemper in Chriſto uiuũt & uigilant,ſequitur ut nequaquam omnes dor/
miant,& econtrario omnes immutentur:non immutatione gloriæ,quæ proprie debetur ſan
ctis,ſed ea immutatione qua corruptiuum hoc incorruptiuũ efficitur, ut uel pœnas uel præ/
mia recipiat ſempiterna. Quod & ſi dormierit aliquis in Chriſto, & negligentiæ ſomno ob/
dormierit, debet audire quod ſcriptum eſt: Nunquid qui dormit non reſurget? Qui uero
non dormit,ſed uigilat,& ſemper uiuit in Chriſto,de uita ad uitam tranſiet: ſiue rapietur in
nubibus,ut ſemper cum domino ſit. De iſtiuſmodi dormientibus Lazarus erat, de quo do/
minus ait: Lazarus amicus noſter dormit. Et de hoc dormiente dicebat ad Martham: Qui
credit in me,etiam ſi mortuus fuerit,uiuet:& omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in
æternum. Qui enim tota mente in Chriſto confidit,etiam ſi ut homo lapſus,mortuus fuerit

in

A in peccato,fide ſua uiuit in perpetuum. Alioqui mors iſta communis,& credentibus & non credentibus debetur æqualiter,& omnes pariter reſurrecturi ſunt: alij in confuſionem æternam:alij ex eo quod credunt in ſempiternā uitam.Et ſic ſtare poteſt:ut qui credit in Chriſto, non moriatur:& etiam ſi mortuus fuerit,uiuat in perpetuum.Quod iuxta corporalem mortem,excepto Enoch & Elia,nulli contigiſſe perſpicuū eſt.Qui autem fidei magnitudine ſemper uiuunt in Chriſto,non dormient,neq; morientur: ſed imitatores erunt uitæ apoſtolicæ, qui abſq; ulla culpa uixerunt in lege iuſtitiæ: & ad fidem domini tranſeuntes,credentesq; in eum qui uita uocatur & reſurrectio,nunquam dormiere,nunquā mortui ſunt. Anima enim quæ peccauerit,ipſa morietur. Sicut igitur anima quæ peccat,uiuente corpore mortua eſt:& eadem die qua peccauerit, dormit in morte, dicente Eccleſiaſte: Qui peccauerit,mortuus eſt ex tunc: ſic anima quæ Chriſti præcepta ſeruauerit, etiam ſi corpus mortuum fuerit,uiuet in æternum. Hoc autem ſciendum,quod magis conueniat ueritati, ita legere: Omnes quidem dormiemus,non omnes autem immutabimur:maxime quia ſequitur: Mortui reſurgent incorrupti,& nos immutabimur.Si enim omnes ſunt immutandi,iuxta alterā lectionem:quomodo poſtea dicitur,quaſi præcipuū atq; priuatum,& proprie apoſtolorū, & nos immutabimur? Quando autem dicit nos,ſanctos quoſq; ſignificat. Quæritis quomodo intelligendum ſit illud,quod in prima ad Theſſalonicēſes epiſtola ſcribitur: Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini:quia nos qui uiuimus,qui reſidui ſumus, in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt:quoniam ipſe dominus in iuſſu,& in uoce archangeli,& in tuba dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt,reſurgent primi: deinde nos qui uiuimus, qui reſidui ſumus,ſimul cum illis rapiemur in nubibus obuiam Chriſto in aera:& ſic ſemper cum domino erimus. Super quo quamuis ſuperior Acacij diſputatio plenius uentilarit: tamen dicendū eſt quid uideatur alijs,Theodoro uidelicet,Apollinario & Diodoro,qui unam ſequuntur ſententiam:quorum Diodorus hæc ſcripſit. Reſiduos atq; uiuentes,Paulus apo-
B ſtolus uocat:non quo uelit intelligi & ſe & alios reſurrectionis tempore in corpore reperiendos:ſed nos dixit,pro eo quod eſt,iuſtos:de quorum & ego ſum numero. Ipſi enim rapientur obuiam Chriſto, & non peccatores. Viuentes autem non iuxta tropologiam ſanctos accipimus, qui peccato non mortui ſunt:ſed omnes quos in corpore aduenies Chriſtus inuenerit. Quodq; ſequitur: Non præueniemus eos qui dormierunt: nequaq; ad peccatores referre debemus. Neq; enim peccatores cum iuſtis rapientur obuiam Chriſto,ſed eos quos mors diſſoluerit. Verum quid iſta perquiro, & apoſtolicis dictis calumniam facio, cum ipſe manifeſtiſſime ſcribat:qui reſidui ſumus in aduentu domini? Qui ſint autem reſidui, uerbis diſcimus ſaluatoris: Sicut in diebus Noe ducebant uxores,& nubebant: & repente uenit diluuium,& tulit omnes:ſic erit aduentus filij hominis. Quibus ſermonibus approbatur, in fine mundi multos uiuos,& adhuc in corporibus reperiendos. Sequitur:In iuſſu & in uoce archangeli,& mortui reſurgent primi. Et hoc rurſum ſaluator loquitur in Euāgelio:Media autem nocte ſponſus uenit: qui utiq; uiuentes in corpore deprehendet, quando duo erunt in lectulo uno:unus aſſumetur,& alius relinquetur: & duæ molentes,una aſſumetur,& alia relinquetur. Quibus dictis oſtenditur,medio noctis ſecuris omnibus conſummationē mundi eſſe uenturā. Origenes in tertio uolumine ὑπομνηματικῶν epiſtolæ Pauli ad Theſſalonicenſes primæ, poſt multa quæ uario prudentiq; ſermone diſſeruit, hæc intulit: de quibus nulli dubium eſt & Acacium pleraq; libaſſe. Quid eſt ergo quod ſcribunt Theſſalonicenſibus in uerbo dei Paulus & Syluanus & Timotheus:Nos qui uiuimus,qui reſidui ſumus,in aduentu domini non præueniemus eos qui dormierunt? Qui ſunt iſti uiuentes qui loquūtur talia? Vtique Paulus non ab hominibus nec per homines Apoſtolus:& chariſſimus eius filius in fide Timotheus, & Syluanus qui illis erat & affectione & uirtutibus copulatus. Et hoc non ſolum illi,ſed quicunq; Pauli & ſcientia & conuerſatione ſimilis eſt,dicere poteſt:Nos qui uiuimus,quorum corpus mortuum eſt propter peccatū:ſpiritus autem uiuit propter iuſtitiam: & quorum mortificata ſunt membra ſuper terram: ita ut nequaquā concupiſcat caro contra

ſpiritum. Si enim adhuc deſiderat caro,uiuit:& quia uiuit,deſiderat:& non ſunt mortificata membra illius ſuper terram. Quod ſi mortificata ſunt,nequaq; contra ſpiritum concupiſcũt: quæ mortificatione ſui, huiuſcemodi deſiderium perdiderunt. Sicut igitur qui uita caruere præſenti,& ad meliora translati ſunt: magis uiuunt,depoſito mortis corpore,& uitiorũ omnium incentiuis: ſic qui mortificationem Ieſu in corpore ſuo circumferunt, nequaq; uiuunt iuxta carnem,ſed iuxta ſpiritum:uiuunt in eo qui uita eſt,& uiuit in eis Chriſtus: de quo ſcriptum eſt: Viuens eſt ſermo dei & efficax: qui eſt dei uirtus,deiq; ſapientia. Viuunt enim in quibus uiuit uirtus dei, omni humana fragilitate depoſita: & in quibus uiuit ſapientia, quæ abſcondita eſt in deo:& in quibus uiuit & operatur iuſtitia. Chriſtus enim factus eſt nobis, non ſolum iuſtitia ex deo, ſed & ſapientia & omne quod uirtus eſt. Et ſiquidem in præſenti loco ſe à dormientibus & in Chriſto mortuis,qui hanc ſcribunt epiſtolam,ſepararent, uidebatur ſuperflua annotatio:& ex uno loco aſſumptum teſtimonium non ualeret. Nunc uero eodem ſenſu,quia & eodem ſpiritu,in prima ad Corinthios loquitur: Omnes non dormiemus,omnes autẽ immutabimur: in momento,in motu oculi,in nouiſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Hoc quod in præſenti loco ſcriptum eſt: In tuba dei deſcendet de cœlo: compara illi quod ad Corinthios dicitur: In nouiſſima tuba,canet enim tuba,& cætera. Illi autem,quod ad Theſſalonicenſes legitur:& mortui in Chriſto reſurgent primi:hoc quod ad Corinthios ſcriptum eſt,& mortui reſurgent incorrupti. Porrò quod ſequitur:deinde nos qui uiuimus,qui reſidui ſumus:illi reſpondet: Et nos immutabimur: quorũ utrunq; ſic intelligi poteſt: Nos qui uiuimus,qui reſidui ſumus in aduentu domini,& nos qui immutabimur:& non ſumus ex his qui appellantur mortui,ſed uiuimus:idcirco præſentiam domini non in morte, ſed in uita præſtolamur:quia de Iſraelitico genere ſumus,& electæ ſunt de nobis reliquiæ,de quibus dominus olim loquebatur: Dereliqui mihi ſeptem milia uirorum,qui non curuauerunt genu Baal. In Ioannis quoq; Euangelio,uiuorum & non uiuorum,duplex ordo deſcribitur. Omnis qui credit in me,etiam ſi mortuus fuerit,uiuet:& omnis qui uiuit & credit in me,non morietur in æternũ. Si uiuos ita intelligimus, ut iam à nobis dictum eſt: dormientes & in Chriſto mortuos, illos eſſe credamus, qui cum uelint in Chriſto uiuere, tamen peccato mortui ſunt. Sin autem reliquiæ & electio ſecundum gratiam,appellantur uiuentes,qui non ita credunt,nec de Iſraelitica nobilitate generati ſunt,dormientes & mortui appellantur in Chriſto. Sunt qui hunc locum ita ediſſerãt: Viui appellantur qui nunquam peccato mortui ſunt: qui autem peccauerunt,& in eo quod peccauerũt mortui ſunt:& poſtea conuerſi ad pœnitentiam,purgant antiqua delicta,mortui appellantur,quia peccauerũt: in Chriſto autem mortui,quia plena ad deum mente conuerſi ſunt. Porrò qui uiuunt & habent teſtimonium fidei,& necdum receperunt promiſſionẽ dei, qui & de aliis melius quiddam cogitant,ut non abſq; his qui iuſti ſunt coronentur, in eo habent beatitudinẽ quod fruuntur bono conſcientiæ & uiuunt,& relicti ſunt in aduentu domini ſaluatoris. Sed quia clemens eſt deus,& uult ſaluare etiam eos qui dormierunt,& in Chriſto mortui ſunt,non præuenient illos,neque ſoli rapientur in nubibus: ſed iuxta exemplum euangelicæ parabolæ, unum denarium unamq; mercedem, & undecimæ horæ operarij & primæ qui in uineam miſſi ſunt,ſalutis precium accipient. Nec hoc alicui uideatur iniuſtum, ut diſpar labor unum præmium conſequatur. Magna quippe diuerſitas eſt eorum qui poſt uulnera ſunt ſanati,& eorum qui nunquam uiderunt mortis errorem. De his puto dictum: Quis eſt homo qui uiuat & non uideat mortem? redimet de morte animã ſuam. Neq; enim (ut quidam putant) quis,pro eo quod eſt,nullus accipitur: ſed quaſi dixerit,quiſputas,iuxta illud quod ſcriptum eſt: Quis ſapiens,& intelliget hæc? Et in alio loco: Domine,quis habitabit in tabernaculo tuo? Et iterum: Quis cognouit ſenſum domini? Reſidui ergo erunt de credentibus pauci,qui aduentum domini uideant,ſecundum id quod deus uerbum factum eſt, nequaq; in uilitate carnis,ſed in gloria triumphantis. Et conſiderandum quomodo primum dormientes appellauerit:deinde in Chriſto mortuos:quos uiuentes præuenire non poterũt.

Qui enim

A Qui enim non cuſtodierit hoc quod ſcriptum eſt: Ne dederis ſomnum oculis tuis,neq; palpebris tuis dormitationem,ut ſaluus fias ſicut caprea de uinculis,& ſicut auis de laqueis,dormiet & culpabili ſopore torpeſcet. Cumq; dormierit,tranſibit in mortem. Sicut enim mouetur qui uigilat,ſic qui dormit iacet immotus & mortis torpet ſimilitudine. Quod autem dormitionem ſequatur mors,& prima ad Corinthios epiſtola docere nos poterit:in qua ita ſcriptū eſt: Nunc aūt Chriſtus ſurrexit ex mortuis, primitiæ dormientiū: quia per hominem mors,& per hominem reſurrectio mortuorum.Et poſt paululum.Non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimnr in momento,in ictu oculi,in nouiſſima tuba. Canet enim tuba,& mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Cum ergo hæc de dormitione dicantur & morte,& illud legamus in Apoſtolo: Surge qui dormis & exurge de mortuis & illuminabit te Chriſtus: iuremus domino, & uotum faciamus deo Iacob,unuſquiſq; dicens in corde ſuo:Si aſcendam ſuper ſtratum meum,ſi dedero ſomnum oculis meis,& palpebris meis dormitationē, donec inueniam locum domino, haud dubium quin in anima ſua tabernaculum deo Iacob:ut deus in illo æterna ſede requieſcat. Sequitur. Quia ipſe dominus in iuſſu,& reliqua.Deſcendet enim miſſus à patre,non diuerſitate uirtutis,ſed diſpenſatione iudicis:& deſcendet ad eos,qui deorſum ſunt,uerbum dei & ſapientia, & ueritas atq; iuſtitia. Et quāq; mortui ſint ad quos dignatur deſcendere,non tamen ſunt ab eo alieni. Mortui enim uocantur in Chriſto.Qui autem uiuunt,hoc habēt priuilegiū,quod eliguntur è pluribus.Attamen utrunq; agmen, & mortuorū in Chriſto & uiuentium, rapientur pariter in nubibus obuiam Chriſto:ut non eum expectent donec ad terrena deſcendat:ſed præſentia illius & contubernio in ſublimibus perfruantur. Quantaq; clementia Chriſti,ut pro ſalute noſtra non ſolum caro factus ſit, ſed ad mortuos uſque deſcenderit: & in ipſa morte habeat ſigna uiuentium. Aqua enim & ſanguis de latere eius egreſſa ſunt. Deſcēdit igitur ſermo diuinus uoce archangeli præcedente,& præparante ſibi uiam,in his qui eius poſſunt ferre præſentiam. Quod ut
B queamus intelligere,primi aduentus myſteria cognoſcamus:Scriptū eſt de Ioanne,qui præcurſor eius fuit,quod in eremo dixerit:Ego uox clamantis in deſerto:& reliqua. Quid clamauit uox in deſerto? Parate uiam domini, rectas facite ſemitas eius. Ob quod præmiū quām ue mercedem? Omnis uallis implebitur:& omnis mons & collis humiliabitur:& erunt praua in directa,& aſpera in uias planas,& uidebit omnis caro ſalutare dei. Hoc autē ideo,quia uerbum caro factum eſt, & habitauit in nobis. Nunc autem nequaq; uox prophetæ in deſerto erit:ſed uox archangeli parantis uias,non in carnis humilitate uenienti,ſed ei qui eſt apud patrem uerbum deus. Et tunc quidem egrediebātur in deſertum,ut audirent aſſumpti hominis præcurſorem:& uiderēt arundinem uento agitatam:de qua factæ ſunt tibiæ, & uocalis calamus,qui in ore puerorū dulci ſonat modulamine,canentiū in plateis atq; dicentium: Cantauimus uobis & non ſaltaſtis.Nunc autē in uoce archangeli præcedentis dominū deſcendentem de cœlis, & in clariſſima tuba, unuſquiſq; credentiū, uel ad prælium uel ad ſacerdotalia miniſteria prouocat. Legimus in Numerorū libro, ſacratas deo tubas quæ ante hoſtias perſonent.Sin autem magna eſt uox angeli,& tubæ,& archangeli,quanto maior erit tubæ dei, quæ parat uias primum dormientiū & mortuorū in Chriſto:deinde eorum qui uiuunt,& reſidui ſunt,& ſermonis dei præſtolantur aduentū? Forſitan ſimplicis tubæ clangor,dormientibus & mortuis in Chriſto neceſſarius eſt:uox autem archangeli & tubæ dei,his qui uiuunt & in prę̄ſentia dei reſeruātur. Videamus quid poſſit intelligi,& id quod ſequitur:Simul cum illis rapiemur. Quo uerbo oſtendi puto, ſubitū ad meliora tranſcenſum:& idcirco raptum ſe noluiſſe dicere,ut uelocitas trāſeuntis ſenſum cogitantis excederet. Quod & in alio loco eiuſdem uerbi proprietate ſignauit: Scio hominē in Chriſto ante annos quatuordecim, ſiue in corpore neſcio,ſiue extra corpus neſcio,deus ſcit,raptum iſtiuſmodi uſq; ad tertium cœlum. Et ſcio huiuſmodi hominē,ſiue in corpore ſiue extra corpus neſcio, deus ſcit, quia raptus eſt in paradiſum,& audiuit uerba ineffabilia quæ nō licet homini loqui. Alij enim proficientes & (ut ita dicam) gradientes ad maiora creſcebant, donec fierent iuxta id quod ſcriptum eſt:

Magni ualde nimis:& quoſdam in cœlum aſſumptos legimus. Paulus autem uas electionis c
in tertium cœlum raptus aſcendit:& idcirco audiuit uerba ineffabilia. Quomodo autē hi qui
rapiuntur in nubibus,rapiantur obuiam Chriſto,diligentius contemplandū eſt. Scimus nu/
bes prophetas, quibus præcepit deus ne pluerent ſuper Iſrael imbrem, quando impleuerūt
menſurā patrum ſuorū,& facta eſt lex & prophetæ uſq; ad Ioannem Baptiſtā. Et quia deus
poſuit in eccleſia primū apoſtolos,ſecundo prophetas:non ſolum prophetæ, ſed & apoſtoli
nubes intelligendi ſunt. Si quis igitur rapitur ad Chriſtū,aſcendit ſuper nubes legis & Euan
gelij,ſuper prophetas & apoſtolos:& aſſumptis alis columbæ,eorumq; doctrina ad excelſa
ſublatus,occurrit,non deorſum,ſed in aere & ſpirituali intelligentia ſcripturarū. Occurrens au
tem in ſpiritualibus & terrena dimittens: ſiue ille ſit dormiens, ſiue in Chriſto mortuus, ſiue
uiuens & in illius præſentiā reſeruatus,ſemper cum illo erit,& perfruetur uerbo dei,& ſapien/
tia,ueritate atq; iuſtitia. Hæc celeri ſermone dictaui,quid eruditi uiri de utroq; ſentirent loco:
& quibus argumētis ſuas uellent probare ſententias,ueſtræ prudentiæ exponēs. Neq; enim
tanta eſt meæ puſillitatis autoritas qui nihil ſum,& inuidorū tantum morſibus pateo:quanta
eorū qui nos in domino præceſſerunt. Nec iuxta Pythagoræ diſcipulos,præiudicata docto/
ris opinio,ſed doctrinæ ratio ponderāda eſt. Si quis autē contrariæ factionis immurmurat,
quare eorū explanationes legam, quorū dogmatibus non acquieſco:ſciat me illud Apoſtoli
libenter audire: Omnia probate,quod bonum eſt tenete. Et ſaluatoris uerba dicentis: Eſtote
probati numularij:ut ſi quis nummus adulter eſt,& figuram Cæſaris nō habet nec ſignatus
eſt moneta publica,reprobetur. Qui autē Chriſti faciem claro præfert lumine,in cordis no/
ſtri marſupiū recondatur. Etenim ſi dialecticā ſcire uoluero,aut philoſophorū dogmata,&
ut ad noſtra redeam,ſcientiā ſcripturarū:nequaq; ſimplicis eccleſiæ uiros interrogare debeo:
quorū alia gratia eſt,& unuſquiſq; in ſuo ſenſu abundat:præſertim cum in domo magna pa
triſfamiliæ uaſorum diuerſitas multa dicatur:ſed eos, qui artem didicere ab artifice & in lege
domini meditantur die ac nocte. Ego & in adoleſcētia & in extrema ætate profiteor & Ori/ D
genem & Euſebium Cæſarienſem uiros eſſe doctiſſimos,ſed erraſſe in dogmatum ueritate.
Quod econtrario de Theodoro,Acacio, Apollinario poſſumus dicere: & tamen omnes in
explanationibus ſcripturarū,ſudoris ſui nobis memoriā reliquerūt. In terra aurum quæritur,
& de fluuiorū alueis ſplendens profertur glarea, Pactoluſq; ditior eſt cœno quàm fluento.
Cur me lacerant amici mei,& aduerſum ſilentem,craſſæ ſues grunniunt? Quarum omne ſtu
dium eſt,imò ſcientiæ ſuperciliū,aliena carpere:& ſic ueterū defendere perfidiam,ut perdant
fidem ſuam. Meum propoſitū eſt antiquos legere,probare ſingula,retinere quæ bona ſunt,
& à fide eccleſiæ catholicæ non recedere. Volens ad alias quæſtiunculas reſpondere, & uel
mea uel aliena dictare, extēplo à fratre Siſinnio admonitus ſum, ut & ad uos & ad cæteros
ſanctos fratres,qui nos amare dignantur,literas ſcriberē. Cohibebo igitur gradum,& ſi uita
comes fuerit,futuro me operi reſeruabo:ut & uobis per partes paream, & fractum ac ſenile
corpuſculū onus poſſit ferre moderatū. Illud autē breuiter in fine cōmoneo,hoc quod in La/
tinis codicibus legitur: Omnes quidem reſurgemus,non omnes autē immutabimur:in Græ/
cis uoluminibus non haberi:ſed uel,omnes dormiemus,non autē omnes immutabimur:uel,
non omnes dormiemus,omnes autem immutabimur:quorū quis ſenſus ſit,ſupra diximus.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA.

NIli non plenas aquas.) Nam exundatio Nili,ubertatē frumentariam inducit. Subtegmen & ſtamina.) Mira ſimilitudine ſignificat uim rerum congeſtarū ad opus futurum:ſiquidem hæc eſt materia & inſtrumenta perficiendæ telæ. Canina facundia.) id eſt,eloquentia rhe/ torū,quæ accuſandis alijs exercetur,& cuius magna pars maledicētia eſt. Id ita eſſe fatebitur, qui legerit Demoſthenis orationē in Aeſchinē, Ciceronis multas in multos. Quod philoſophum.) Non ſatis liquet quam notet fabulam. Certe in poetarū fabulis nulla philoſophorū mentio,niſi forte al/ luſit ad id quod eſt apud Ariſtophanē in Nubibus de Socrate & Strepſiade. Porro quod ſequitur,mix dum dimidium dixerā,eſt apud Terentium. Vtrunq; enim in Græcis codicibus inuenitur.) Græci codices,quos ego uiderim,habent: πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, id eſt,omnes qui/ dem non

A dem nõ dormiemus,omnes aũt immutabímur. Verũ hac de re paulo copioſius diximus in Anno/
2 tationibus noſtris,quas edidimus in Nouũ teſtamentũ recognitũ. ἐν ῥιπῇ ſiue ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ.) ῥιπὴ ſignificat ictũ,ut teli miſſi ſeu fulminis,à ῥίπτω iacio,ῥοπὴ momentũ lancis, huc aut illuc inclinãtis, à ῥέπω uergo ſiue propẽdeo.Hieronymus oſtẽdit in quibuſdã codicibus inueniri ῥιπὴ,in quibuſdã ῥοπὴ. Verũ quomodo Hieronymus poſtea facit mentionem atomorũ,cũ de his nullã fecerit menti onem? Vnde uideor mihi locum hũc poſſe reſtituere ad hunc modum,ut legamus: Quodq; ſequi/tur iuxta Græcos: ἐν ἀτόμῳ καὶ ῥιπῇ,ſiue ῥοπῇ ὀφθαλμοῦ,utrũq; em̃ legitur. Quarto συλλεκτῶν ζητημάτων.) id eſt,collectitiarum quæſtionum. In tertio uolumine ἐξηγηματικῶν.) id eſt,enarratoriorũ. Sic enim uocat cõmentarios,in quibus explicat ſcripturam ſacram, ab ἐξηγέομαι enarro.Præiudicata doctoris.)Sic enim reſpondere ſolent diſcipuli Pythagoræ,poſcentibus rationẽ,αὐτὸς ἔφα, id eſt, ipſe dixit,quaſi ſatis eſſet Pythagoram ita docuiſſe. Quorũ dogmatibus.)δόγματα proprie dicuntur decreta ſeu placita. Vnde alibi Hieronymus teſtatur, Originem ſequi ſe ut interpretẽ ſcripturarum,non ut dogmatiſten. Glarea.)id eſt,harena. Vergilius:Diuini glarea ruris. Quidã hic depra/uate poſuerant,pro glarea gloria. Pactolus.) Inter fluuios auriferos numerat. Eſt aũt in Lydia Pactolus, in Hiſpania Tagus. Imò ſcientiæ ſupercíliũ.)Correctio eſt.quaſi parũ recte uocauerit ſtudium,cũ potius ſcientiæ ſupercíliũ appellare debuerit. Supercíliũ aũt uocat faſtũ & arrogantiam.

HIERONYMVS PAVLINO

VOce me prouocas ad ſcribendum,terres eloq uentia: & in epiſtolari ſtilo propè Tullium repræſentas. Quod quereris me paruas & incomptas literulas mitte/re, non uenit de incuria, ſed de timore tui,ne uerboſius ad te loquens, plura re/prehendenda tranſmittam: & nauigandi tempore, tantæ à me ſimul epiſtolæ flagitantur:ut ſi cuncta ad ſingulos uelim ſcribere,occurrere nequeã. Vnde accidit ut omiſſa
1 compoſitione uerborum & ſcribentium ſolicitudine, dictem quicquid in buccam uenerit: & amicum te tantum meorum dictorum, non iudicem conſiderem. Duas quæſtiunculas tuæ literæ præferebant: Vnam,quare ſit à deo induratum cor Pharaonis, & Apoſtolus dixerit: Non uolentis neq; currentis,ſed miſerentis eſt dei,& cætera,quæ liberum uidentur tollere ar
B bitrium. Alteram, quomodo ſancti ſint qui de fidelibus,id eſt,baptizatis naſcuntur,cum ſine dono gratię poſtea acceptæ & cuſtoditę,ſalui eſſe nõ poſſint.Primæ in libris περὶ ἀρχῶν quos nuper Pammachio noſtro iubente interpretatus ſum, Origenes fortiſſime reſpondet: quo detentus opere, implere non potui quod promiſeram tibi, & Danielem noſtrum rurſum comperendinaui. Et quidem quamuis mei amantiſſimi & egregij uiri Pammachij, tamen unius, uoluntatem in tempus aliud diſtuliſſem: niſi omnis penè fraternitas de urbe eadem poſtulaſſet,aſſerens multos periclitari,& peruerſis dogmatibus acquieſcere. Vnde neceſſitate compulſus ſum transferre libros, in quibus mali plus quàm boni eſt: & hanc ſeruare menſuram,ut nec adderem quid,nec demerem: Græcamq; fidem, Latina integritate ſeruarem. Quorum exemplaria à ſupradicto fratre poteris mutuari: licet tibi Græca ſufficiant: & non debeas turbidos noſtri ingenioli riuulos quærere, qui de ipſis fontibus bibis. Præterea quia docto uiro loquor,& tam diuinis ſcripturis, quàm ſeculi literis erudito: illud dignationem tuam admonitam uolo, ne me putes in modum ruſtici Balatronis cuncta Origenis
2 reprobare quæ ſcripſit: quod in me criminatur Calphurnius Lanarius & diſcipuli eius: & quaſi Dionyſium philoſophum arguant,ſubito mutaſſe ſententiam: ſed tantũ praua dogmata repudiare. Scio enim æquali maledicto eos ſubiacere, qui bona mala dicunt, & illos qui mala bona iudicant:qui faciunt amarũ dulce, & dulce amarum. Aut quæ eſt tanta pertinacia,ſic laudare alicuius doctrinam,ut ſequare blaſphemiam? De ſecundo problemate tuo,Tertullianus in libris de monogamia differuit, aſſerens ſanctos dici fideliũ filios, quod quaſi candidati ſint fidei,& nullis idololatriæ ſordibus polluantur.Simulq; conſidera,quod & uaſa ſacra in tabernaculo legimus, & cætera quæ ad ritum ceremoniarum pertinent: cum utiq; ſancta eſſe non poſſint,niſi ea quæ ſentiunt & uenerantur deum.Idioma igitur ſcripturarum eſt, ut interdũ ſanctos pro mundis & purificatis atq; expiatis nominent:ſicut & Bethſabee ſanctificata ſcribitur ab immundicia ſua:& ipſum templũ ſanctuariũ nominatur. Obſecro te,ne tacito mentis iudicio,me aut uanitatis arguas, aut falſitatis. Teſtis eſt enim mihi

conſcientiæ meæ deus, quod ab ipſo procinctu & interpretationis exordio, ſupradicta ne/ c
ceſſitas me retraxit: & ſcis ipſe non bene fieri, quod occupato animo fiat. Pileolum textu/
ra breue, charitate latiſſimum, ſenili capiti confouendo, libenter accepi, & munere & mu/
neris autore lætatus.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA.

Dictem.) Qui dictat, pronunciat alijs ſcribẽda: qui ipſe ſcribit, exactius expendit, & qui di 1
ctat. Quicquid in buccã.) Prouerbialis ſermo, id eſt, impræmeditate. Comperẽdinaui.)
id eſt, diſtuli & prorogaui, quemadmodũ dicimus & recraſtinare. Ruſtici balatronis.)
Mihi uidetur hic locus nõ admodum eſſe ſyncerus. Conijcio pro ruſtico xuſticũ eſſe le/
gendum, ut intelligas ſcurram gladiatoriũ & procacẽ. Balatro ſcurra quiſpiã fuit mordax, de quo
Oratius: Balatro ſuſpendẽs omnia naſo. Quod in me criminatur.) Locus hic plane deprauatus
eſt, quanq; ſenſus ferme eſt idẽ. Antiqui codices ſic habẽt: Quod in me criminant ὑπόθεσιν eius.
Hyperaſpiſtæ aũt dicuntur, qui clypeo obtento protegunt aliquẽ. Videtur aũt aliquis uelut expli/
care uolens ſubieciſſe hæc uerba, quibus alibi ſcribẽs ad Auguſtinũ, notat Ruffinũ Origeniſtam.
Quaſi Dionyſiũ.) Refertur Dionyſius quidã Alexãdrinus, Origenis diſcipulus, qui forte poſtea 2
deſciuit à præceptoris dogmatibus: niſi mauis ad Syracuſanũ Dionyſiũ referre, q̃ è tyrãno ludima
giſter factus eſt. Quod quaſi candidati ſint filij.) Pro filij, legendũ eſt fidei: & ſic habetur in exẽpla
ribus emendatis. Candidati hic ſubſtantiuũ eſt nomen, ſignificatq; eos, qui honorẽ aliquẽ ambiũt:
ut olim candidati præturæ dicebantur, qui præturã peterent. Et Sulpicius in uita Martini: Agebat,
inquit, bonis operibus quendã baptiſmatis cãdidatũ. Et Fabius filiũ uocat auitæ eloquẽtiæ cãdida
tũ. Ergo qui naſcuntur ex Chriſtianis, ſancti uocãtur & ante baptiſmũ, quod uelut ambiãt et expe/
ctent baptiſmũ. Idioma.) id eſt, proprietas. Nam unaquæq; lingua ſua quędam habet peculiaria.

HIERONYMVS DESIDERIO.

Lecto ſermone dignationis tuæ, quem mihi non opinanti tua beneuolentia tri/
buit, gauiſus quidem ſum teſtimonio honeſti & eloquẽtis uiri: ſed in memet re
uerſus, ſatis dolui, indignum tantis laudibus atq; præconio, opprimi me potius
quàm leuari. Scis enim dogma noſtrum, humilitatis tenere uexillum: & per ima
gradientes, ad ſumma nos ſcandere. Quotus igitur ego, uel quãtus ſum, ut eruditæ uocis me/
rear teſtimonium, ut mihi ab eo palma eloquentię deferatur, qui ſcribendo diſertiſſime, de/
terruit ne ſcriberem? Veruntamen audendum eſt, ut charitas, quæ non quærit quæ ſua ſunt, D
ſed quæ proximi, reddat ſalutationis officia, quoniam locum implere nõ ualet præceptoris.
Gratulor tibi & ſanctæ atq; uenerabili ſorori tuę Sereníllæ, quæ pheronymos calcatis fluctí 1
bus ſeculi, ad Chriſti tranquilla peruenit: quanquam hoc nominis uaticinio in te prædeſtina
tum ſit. Legimus enim ſanctum quoq; Danielem appellatum deſideriorum uirum & ami/
cũ dei, quia myſteria eius ſcire deſiderauit. Itaq; quod uenerabilis Paula me eſt deprecata ut
facerem, ſponte facio: hortorq; uos & precor per domini charitatẽ, ut nobis ueſtros tribua/
tis aſpectus: & per occaſionem ſanctorum locorum, tanto nos ditetis munere. Certe ſi con/
ſortia noſtra diſplicuerint, adoraſſe ubi ſteterunt pedes domini, pars fidei eſt, & quaſi recen/
tia natiuitatis & crucis ac paſſionis uidiſſe ueſtigia. Opuſculorum meorum quia plurima euo
lauerunt de nidulo ſuo, & temerario æditionis honore uulgata ſunt, nihil miſi, ne eadem forſi
tan mitterem quæ habebas. Quod ſi exemplaria libuerit mutuari, uel à ſancta Marcella quę
manet in Auentino: uel à Lot temporis noſtri, Domnione uiro ſanctiſſimo, accipere poteris.
Ego autem opperiẽs præſentiam tuam, aut totũ tibi dabo cum affueris: aut ſi hoc aliquę im/
pedierint difficultates, quæcunq; præceperis, libens mittam. Scripſi librum de illuſtribus ui/
ris, ab apoſtolis uſq; ad noſtram ætatem, imitatus Tranquillũ, Græcumq; Apollonium: &
poſt catalogum plurimorum me quoque in calce uoluminis quaſi abortiuum & minimum
omnium Chriſtianorum poſui: ubi mihi neceſſe fuit uſque ad decimumquartũ annũ Theo/
doſij principis quid ſcripſerim breuiter annotare: quem librum cum à ſupradictis ſumpſeris,
quicquid de indice minus habueris, paulatim ſcribi faciam ſi uolueris.

PRAECEDENTIS EPISTOLAE SCHOLIA.

Sereníllæ quę.) Hic ſequebatur dictio Græca, quã quidã ſuſtulerãt, alij uarie poſuerant, ſed 1
ita, ut nihil potuerim conijcere quod mihi ſatisfaceret. Sed tamen reperta eſt germana lectio Phero
nymos, id eſt φερώνυμος, hoc eſt, ſuo reſpondens nomini, aut nomen habens ex re, quemadmodum
docet

docet Suidas & Hesychius. Conuenit enim ut Serenilla, iuxta nomen suum, calcatis seculi fluctibus ad tranquilla serenitatemq; perueniat. Quanq; hoc munus uaticinio.) Et hic locus uarie scribitur, legendum est autem, nominis uaticinio, quod Serenillæ nomine significaret illã effugituram seculi tempestatem. Tranquillum.) Extat illius libellus De claris grammaticis. Apollonius intercidit, sed Philostratus supersest De claris sophistis.

HIERONYMVS AD PAVLAM VRBICAM DE INterpretatione alphabeti Hebraici.

NVdiustertius cum centesimũ decimumoctauũ psalmum tibi insinuare conarer, & dicerem omnem moralem locum in eo esse comprehensum: & quomodo philosophi solent disputationes suas in Physicam, Ethicam, Logicamq; partiri: ita et eloquia diuina, aut de natura disputare, ut in Genesi & in Ecclesiaste: aut de moribus, ut in Prouerbijs, & in omnibus sparsim libris: aut de logica, pro qua nostri theoricen sibi uendicant, ut in Cantico canticorum, & in euangelijs: licet Apostolus sæpe proponat, assumat, confirmet atq; concludat, quæ propriè artis dialecticæ sunt: studiosissime perquisisti, quid sibi uelint Hebrææ literæ, quæ psalmo quem legebamus, uidebãtur insertæ. Respondi secundum ordinem literarum eum esse compositum, quod uidelicet ex prima litera, quæ apud eos uocatur Aleph, octo uersus inciperent. Rursus ex sequenti Beth, totidem uersus exordium sumerent: ac postea ex Gimel idem numerus compleretur, atq; ita usq; ad Thau, quæ apud eos extrema litera est, psalmum esse conscriptum, & ex singulis quibusq; elementis secundum interpretationes eorum debere intelligi quæ sequerentur. Identidem flagitasti, ut tibi interpretationes literarum edicerem singularum. Dixi fateor, uerum quia propter barbariem linguæ memoria labitur omne quod diximus, desideras commentariolum fieri: ut si in aliquo forte titubaueris, obliuionem lectio consoletur. Ac prius quàm de singulis disseram, scire debes, quatuor psalmos secundum ordinem Hebræorum incipere elemẽtorum, centesimumdecimum & centesimumundecimum, & hunc de quo nunc scribimus, & centesi-
B mumquadragesimumquartum. Verum debes scire in prioribus psalmis, singulis literis, singulos uersiculos, qui trimetro iambico constant, esse subnexos. Inferiores uero tetrametro iambico constare, sicuti & Deuteronomij canticum scriptum est. In centesimo decimooctauo psalmo, singulas literas octoni uersus sequuntur. In centesimo quadragesimoquarto, singulis literis, singuli uersus deputantur. Sunt qui & alios hoc ordine putant incipere, sed falsa eorum opinio est. Habes & in lamentationibus Hieremiæ quatuor alphabeta, è quibus duo prima quasi Sapphico metro scripta sunt: quia tres uersiculos qui sibi cõnexi sunt, & ab una tantum litera incipiunt, Heroici comma concludit. Tertiũ uero alphabetũ trimetro scriptum est, & à ternis literis sed eisdem terni uersus incipiunt. Quartum alphabetũ simile est primo & secundo. Prouerbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum, quod tetrametro iambico supputatur: ab eo loco in quo ait: Mulierem fortem quis inueniet? Quomodo autem in his nostris literis non potest quis ad legenda uerba texendaq; procedere, nisi prius ab elementis cœperit: ita & in scripturis diuinis non ualemus ea quæ maiora sunt nosse, nisi ab ethica habuerimus exordium: secundum illud quod propheta dicit: A mandatis tuis intellexi: quod uidelicet post opera cœperit habere scientiam secretorum. Verũ iam complendum est quod petisti, ut sensum uniuscuiusq; elementi interpretatio annexa significet. Aleph, doctrina interpretatur. Beth, domus. Gimel, plenitudo. Daleth, tabularum. He, ista. Vau, &. Zain, hæc. Heth, uita. Teth, bonum. Iod, principium. Caph, manus. Lamed, disciplinæ siue cordis. Mem, ex ipsis. Nun sempiternum. Samech, adiutoriũ. Ain, fons siue oculus. Phe, os, ab ore, nõ ab osse dictum intellige ne literarum ambiguitate fallaris. Za de, iusticia. Coph, uocatio. Res, capitis. Sin, dentium. Thau, signa. Post interpretationem elementorũ intelligentiæ ordo dicendus est. Aleph, Beth, Gimel, Daleth, prima connexio est, doctrina domus, plenitudo tabularum: quod uidelicet doctrina ecclesiæ quæ domus dei est, in librorum reperiatur plenitudine diuinorũ. Secunda connexio est, He, Vau, Zain, Heth, ista & hæc uita. Quæ enim alia potest esse uita sine scientia scripturarum? per quam

etiam ipſe Chriſtus agnoſcitur qui eſt uita credentium. Tertia connexio habet, Teth, Iod, c
bonum principium: quia quamuis nunc ſciamus uniuerſa quæ ſcripta ſunt, tamen ex parte cognoſcimus,& ex parte prophetamus: & nunc per ſpeculum in ænigmate uidemus. Cum autem meruerimus eſſe cum Chriſto, & ſimiles angelis fuerimus, tunc librorum doctrina ceſſabit:& tunc uidebimus facie ad faciem bonum principium ſicuti eſt. Quarta cõnexio eſt, Caph,Lamed,manus diſciplinæ ſiue cordis. Manus intelliguntur in opere, cor & diſciplina intelliguntur in ſenſu:quia nihil facere poſſumus,niſi prius quæ faciẽda ſunt ſcierimus. Quinta connexio eſt,Mem, Nun, Samech, ex ipſis ſempiternum adiutorium:hoc explanatione non indiget,ſed omni luce manifeſtius eſt,ex ſcripturis æterna ſubſidia miniſtrari. Sexta connexio habet, Ain, Phe, Zade,fons ſiue oculus oris iuſticiæ, ſecundum illud quod in quarto numero expoſuimus. Septima connexio eſt, quæ & extrema, quo & in ipſo quoq; ſeptenario numero ſit myſticus intellectus, Coph, Res, Sin, Thau,uocatio capitis,dentium ſigna. Per dentes articulata uox promitur,& in his ſignis ad caput omniũ qui eſt Chriſtus peruenitur,per quem uenitur ad regnum ſempiternum. Oro te,quid hoc ſacratius ſacramẽto? Quid hac uoluptate iucundius? Qui cibi,quæ mella ſunt dulciora,quàm dei ſcire prudentiam, & in abdita eius intrare, & ſenſum creatoris inſpicere, & ſermones domini dei tui, qui ab huius mundi ſapientibus deridentur,plenos docere ſapientia ſpiritali? Habeant ſibi cæteri,ſi uelint ſuas opes,gemma bibant,ſerico niteant,plauſu populi delectentur:& per uarias uoluptates, ſuas diuitias uincere nequeant. Noſtræ diuitiæ ſint,in lege domini meditari die ac nocte, pulſare ianuam non patentem,panes trinitatis accipere, & ſeculi fluctus domino præeunte calcare. Saluta Bleſillam & Euſtochium tyrunculas noſtras. Saluta Felicianam,uere carnis & ſpiritus uirginitate felicem. Saluta reliquum caſtitatis chorum,& domeſticam tuam eccleſiam,cui omnia etiam quę tuta ſunt timeo, ne dormiẽte patrefamilias,inimicus homo zizania ſuperſeminet. Quamuis enim dicere audeant:ego ciuitas firma,ciuitas quæ non oppugnatur, nullo hoſtili obſidente exercitu ſecurus eſt. Nemo(ut beatus Cyprianus ait)ſatis tutus, periculo D
proximus. Exemplar epiſtolæ ſi accipere uoluerit φιλοπονοτάτῃ noſtra Marcella tribuito. & memento mei, obſecrans ut dominus noſter Ieſus Chriſtus conterat ſatanam ſub pedibus noſtris uelociter. Amen.

DIVI HIERONYMI IN QVAESTIONES SIVE TRADITIONES Hebraicas Librorum Geneſeos proœmium.



Qui in principijs librorum debebam ſequuturi operis argumenta proponere, cogor prius reſpondere maledictis, Terentij quippiam ſuſtinens, qui comœdiarum prologos in defenſionem ſui ſcenis dabat. Vrgebat enim eum Luſcius Lauinius, noſtro Luſcio ſimilis, & quaſi publici ærarij furem, Poetam criminabatur. Hoc idem paſſus eſt ab æmulis & Mantuanus uates: ut cum quoſdam uerſus Homeri tranſtuliſſet ad uerbum,compilator ueterum diceretur. Quibus ille reſpondit, magnarum eſſe uirium, Herculi clauam extorquere de manu. Sed & Tullius, qui in arce eloquentiæ Romanæ ſtetit,rex oratorum, & Latinæ linguæ illuſtrator, repetundarum accuſatur à Græcis. Non mirum ergo ſi contra me paruum homunculum immundi ſues grunniant,& pedibus margaritas conculcent, cum aduerſus doctiſſimos uiros,& qui gloria inuidiã ſuperare debuerant,liuor exarſerit. Verum hoc illis merito accidit,quorum in theatris,curia, cõcione,pro roſtris eloquentia pertonabat. Semper enim in propatulo fortitudo æmulos habet, feriuntq; ſummos fulgura mõtes. Me uero procul ab urbibus,foro,litibus,turbis remotum, ſic quoq; (ut Quintilianus ait)latẽtem inuenit inuidia. Vnde lectorẽ obſecro (ſi quis tamen hæc quoq; captus amore leget) ut in libris Hebraicarum quæſtionũ,quos in omnẽ ſcripturam ſanctam diſpoſui ſcribere, non quærat eloquentiã, nõ oratorũ lepõrem:ſed magis inimicis pro nobis ipſe reſpõdeat,nouo operi ueniam concedendam. Vt enim nos humiles atq; pauperculi, nec habemus diuitias, nec oblatas dignamur accipere: ita & illi nouerint, non poſſe ſe notitiam ſcripturarum, id eſt,

diuitias